This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

Digitized by Google

Gilles Colomne

Digitized by Google

62 - 2 - 580

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

307941

Illustrissimi & Reuerendissimi Domini,

D. ÆGIDII DE COLVMNA ROMANI, EX ORD. EREMIT.

S. AVGVSTINI

S. R. E. CARD. ARCHIEPISCOPI BITVRICENSIS ET SACROSANCTAE THEOLOGIAE Doctoris Fundamentalis.

Defensorium seu Correctorium librorum Doctoris Angelici S. Thomæ Aquinatis.

IN

GVILHELMI LAMERENSIS THOMAE Mastigis Corruptorium

A MENDIS QVIBVS VNDIQVE SCATEBAT expurgatum, characterum, titulorumque varietate distinctum.

OPERA

R. P. GVALTERI HENRICI STREVESDORFF, Nouesiani SS. Theol. Doctoris Coloniensis, Ordinarij professoris, & Ordinis Eremitarum S. AVGVSTINI *Ibidem Prioris.*

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE
LYON
1893

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE DE

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM Wulffraht, sub signo Cerui,
Prope Gymnasium Laurentianorum,
ANNO M. DC. XXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino,

D. PETRO ALOYSIO

CARAFÆ TRICARICENSI EPISCOPO SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI VRBANI Octaui Pontificis Maximi per Germaniam & partes Rheni cum poteſtate Legati de Latere, Nuntio Apoſtolico.

INITIO ſtudiorum meorum Theologicorum Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Præſul ſelegi ex omnibus mihi præter S. Th. Aquinatis, Ægidij ex ſanguine principum de Columna oriundi libros, vt tanti viri veſtigijs inhęrendo ea quę abſcondita ab oculis ſapientum mundanorum erant ingeniolo meo penetrarem: addidit maximum calcar tunc R.P.M. Alphonſus Mendoza SS. Theologiæ Doctor, & in Academia

Salmanticẽsi Scoti Cathedræ professor eximius Confrater meus in quæstione tertia Scholastica §.5. vbi agens de visione beatifica in hoc encomium laudis Ægidij prorũpit: *remittere libuit diligentem Lectorem ad AEgidium qui in defensorio S. Thomæ art. 1. rem hanc pro virili tractauit. Vtque nonnunquam ego à proposito scopo digrediar, Thomistas certiores volo reddere, multis titulis obstrictos se teneri AEgidio Romano, primũ quidẽ Generali nostri Ordinis Magistro Archiepiscopo deinde Bituricensi ac demum S.R.E. Cardinali longe dignissimo. Fuit is D. Thomæ Aquinatis discipulus & auditor non degener, nam in eius doctrina tantos fecit progressus vt Doctoris Fundamentarij cognomentum iure sortitus sit. Tantaque fuit erga præceptorem obseruantiæ, vt non solum in eum nunquam recalcitrauerit, ac licenter eius vestigia conculcauerit sed ipsius potius doctrinam acerrime propugnauerit. Fuere qui eo temporis doctrinam S. Thomæ prorsus abijcerent, aut quia ægris oculis lucem Doctoris Angelici ferre non poterant aut vt aiunt nebulones quidam multorum errorum nebulis purissimos eius libros offuderant ac repleuerant. Quamobrem calamum stringere & acuere in Thomæ mastyges necessarium sibi esse iudicauit AEgidius, aut quia pauci aut quia nulli supererant qui in defensionem D. Thomæ militare aut possent aut vellent. Militauit itaque non sine gloria noster AEgidius librum construendo & euulgando quem*

præti-

Digitized by Google

prætitulauit, Defensoriũ seu Correctorium in Corruptorium Fratris Thomæ Aquinatis Ordinis Prædicatorum, vbi diligentissime & acutissime ab hostium calumnijs asseruit ac vendicauit D. Tho. Et tã inde factũ est vt paulatim omnes fere Theologorũ Scholæ susceperint, fouerint, amplexati fuerint. D. Tho. vides bone Lector Thomista quantum nostro debeas Ægidio. Hæc verba Ex M. N. Mẽdoza prima lectione animũ plurimũ pulsarunt & ad diligentius AEgidij libros euoluendos incitarunt, occasioque fuere altius ruminandi, indagandi, & scrutandi diuersorum locorum Germaniæ Bibliothecas, anne tale Defensorium & præclarum omnis Thomisticæ doctrinæ propugnaculum oculis meis tenuioribus sese conspiciendum offerret. At frustra hisce in oris laboraui, non enim hic thesaurus à Germanis tenebatur, coactus igitur alias orbis partes lustrare, non quidem corpore sed animo, & litteris. Et ecce exhibuit tandem vnicum, non sine magno scrutinio & temporis interuallo, idque antiquissimum, lacerum, mẽdis, erroribus, monstrisque ortographicis refertissimum, exemplar Italia. Quo emendato & pristino nitori nonnihil, quantum per otium licuit, restituto Typographo prelo mandandum & luci conspiciendum consignaui.

Ast quia omnino mihi perspectum erat, insurrecturos Zoiolos si non momos qui hoc De-

 fenso-

fenſorium arroderent, ei Patronum aliquem inſignem & Tutelarem quærere debui, quo ſecurius prodire, procedere totiuſque orbis partes peragrare tuto & in offenſo pede valeret. Offerebantur mihi mei Profeſſores S.S. Theologiæ Doctores eximij huius Almæ vniuerſitatis Colonienſis Regentes digniſſimi & nunc collegæ maxime Venerandi, & mens erat eis inſcribere primo. Sed quia fœtus ille conceptus, editus, & tranſmiſſus ex Italia fuit ſuperſedi. Atque in tali Prouincia Protectorem quærere conſtitui vnde acceperam, & dum his cogitationibus implicor tu Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Præſul tãquam Aſtrum fulgens ex Vrbe à ſede Apoſtolica vt Legati officio fungaris in Germania exoriris, ilico mihi occurris, & me ad tibi inſcribendum authoritate qua polles maxima impellis, nec renuo: Tibi igitur Inſcribo Dedicoque hoc Defenſorium. Tuo certe Patrocinio ſecurius in lucem prodibit, aliorumque oculis præſentare ſe non erubeſcet, atque de tua Illuſtriſſima D. nonnihil nominis & ſplendoris accipiet, quod votis meis ceſſurum omnino ſpero, cum te clarum virtutibus & genere Patronum nactum ſit. Omnia enim quæ veteres requirebant Philoſophi in vero nobili in te Excellentiſſime reſidere in veritate comperio. Natus es Claris, bonis, iuſtiſque parentibus. Conſanguineus es Nobiliũ & principum virorum originem trahis ex maioribus

fama

Digitized by Google

fama & opinione celeberrimis. Testabitur vna cum Regno Neapolitano Ecclesia Romana, in qua habuisti cognatos Cardinales plures, & Paulum Quartum, cuius fama Britanniam & Indiã pulsat, qui ad summum honoris fastigium & dignitatum gradus euectus, in eminenti Apostolatus specula resedit, vicem Christi & sacram S. Petri hæreditatem & Principatum vno lustro æquissima lance & sanctissime est moderatus, cuius & tu in hodiernum diem in amoris perpetui symbolum (vtinam & ominis) annulum gestas. Quid non Historiographi grauissimi de vestræ familiæ splendore, comitatuum amplitudine, virtutum præstantia asserunt? Legantur etiã illi qui familiæ vestræ oblatrarunt aliquando veritatem conticere nequeunt. Inter illos vero quibus adhuc vita comes est, quot videmus Illustrissimos & Amplissimos Cardinales & Reuerendissimos Episcopos? quot oculis conspicimus Principes Excellentissimos? & vt omnes prætercam, quibus non dotibus est ornatus Illustrissimus Princeps Bisignani grandis Hispaniæ Germanus frater tuus? tam ille præclara & nullo tẽpore obliuioni tradenda edidit facinora, vt Vice Reges Neapolitani, adeoque ipsa Catholica Maiestas ipsum admiretur, honoret, veneretur, colat, summasque omnium illi res committat.

Alterum inquit *Plato genus nobilitatis est præstantissimum, cum quis per se animi magnitudine*

excellit, quantum alios hac virtute antecedas (vt breuiter dicam & non adulator habear) testatum faciet in Prouincia Picœna nobilissimũ Firmũ in quo tu summa cum laude secutus Cardinales Illustrissimos Gubernatorem egisti. Non diffitebitur Illustrissimus Cardinalis Serra, tota Ferraria vbi quanta prudentia Vice Legati munere functus sis & ad has partes Germaniæ perlatum est, testabitur & ipsa Sanctitas Vrbani Octaui quod te ad summum & sacrosanctum legationis Germaniæ munus cæteris neglectis constituerit. Nouerat Zelum tuum: animi cõstantiam & virtutum doctrinæque copiam, sibi perspectum habebat & incipit sentire Germania. Quare Illustrissime Domine fruatur hoc Defensorium tuo splendore, prodeat tua gratia cinctum & redemitum, atq; vt hoc obsequij & meę in te obseruãtiæ qualecunque sit testimonium à tua Illust. Dominatione excipiatur humiliter peto, fundam cum meis preces ad altissimum vt hic te diu conseruet, ad altiora diademata vehat ac tandem perpetua fœlicitate muneret. Vale. Ex Musæo meo Coloniæ ipso S. P. N. Aurelij Augustini Anno 1624.

Illustrissimæ & Reuerendissimæ Amplitudinis tuæ cliens minimus,

F. Gualtherus Henricus Streuestorff SS. Theol. Doctor & Ere. S. Augustini Coloniæ Prior.

Digitized by Google

CENSVRA
R. P. F. AVGVSTINI
DE MONTE FALCO S.S. THEOL.
BACCA. ORDINIS ERE. S. Augustini.

QVIDAM contaminauit, corrupit, laniauit, infecit, carpsit Diui Thomæ Aquinatis præclara monumenta, cæco affectu impulsus, quo quendam professionis suæ Doctorem prosequebatur, cuius doctrinam ita molliter & effœminate secutus est, vt reliquos Doctores præcipue S. Th. in omnibus ferme desipisse, ac nec propterea legẽdos esse dijudicarit. Sicut & hodie plerisque accidit, qui Doctorum quorundam scripta sectantes, voluntatemque intellectui præferentes, omnia spernunt, omnia damnat, omnia calcant, quæ ab alterius viæ præceptoribus dicta sunt, nescientes diuisiones esse gratiarum, nec omnia omnes posse, vnumque videre & scribere potuisse, quod ne alius cogitauit quidem. Spiritus enim sanctus (vt placet S. Gregorio) posterioribus Theologis persæpe reuelat, quæ à prioribus prætermissa sunt. Quamobrẽ plura sciuit Moyses quam Abraham, prophetæ quam Moyses, Apostoli quam Prophetæ, & Doctores supra Apostolos quam

 plurim...

Digitized by Google

plurimas veritates adiecerunt. Nemo itaque S. Thom. spernat, eo quod modernus & posterior antiquis Ecclesiæ columnis sit. Sed neque eo posteriores despiciendos esse viri graues arbitrati sunt. Quippe quod exacta etiam & præclara volumina à modernis scripta sunt, sicuti AEgidij nostri Romani, Iacobi Viterbiésis Vgolini Vrbenetanij Michaelis de Massa, Gerardi Senensis, Gregorij Arminensis, Pauli Veneti, & aliorū prope innumerorum, tam nostræ quam alienæ professionis, qui non multum ante hæc tempora floruerunt, probatissima monimenta declarant. Bene ergo & sapienter Romanus noster AEgidius S. Tho. Aquinatis muli corruptelas correxit, nebulonisque illius ineptias è medio sustulit, argumentum namq; dedit nullius scripta facile esse condēnanda. Laudandus itaque S. Thomas, laudandus AEgidius ac cæteri Doctores, qui nō ex stulta opinione aut muliebri affectu, sed ex virtute & sano iudicio aliena scripta disquirūt, quique non ex peruicaci temeritate bonorum hominum labores aspernantur, sed ex pia & Christiana sinceritate eripiūt, prospectant, examinant, ac quicquid ad Dei gloriam, ad Ecclesiæ incrementum, ad animarum salutem conducibile passim inuenerint, id à quocunque scriptum sit amplectuntur, obseruant defendūt, amicisque oculis intuentur. Hæc omnia Ægidij nostri opus fusius, copiosius, elegantiusve monstrabit.

(.·.)

IN

Digitized by Google

IN ÆGIDIVM A COLVMNA ROMANVM S. R. E. CARD.

NON sic magnificæ phalæ potentum.
Non sic Herculeæ stabunt Columnæ.
Innixæ basibus suoque fundo.
Quam tuto schola sub Thomæ hac columna.
Durabit, stabit, aurea est Columna,
Argenteis basibus columna nixa.
Non Scoti obstreperos, timet cauillos
Quid venti furiæ sub hac columna?

F. IACOBVS Grauelius Theol.

IN ÆGIDIVM ROMANVM D. THOMAE DEFENSOREM.

QVAM bene progreditur Theseus Ariadna viarum
Dum pandit hæc pericula:
Ægidio duce procedit Thomæa palæstra.
Tuto, comes fidelis est:
Angelicam Thomæ mentem, sacra dogmata pandit,
Thomamque contemptum erigit.

F. IOANNES *Schild.* Theol:

INDEX

INDEX ARTICVLORVM HVIVS CORRECTORII ÆGIDII ROMANI

Articvli Primae Partis S. Thomæ.

Digitized by Google

Omnes

Articuli Sancti Thomæ in prima secundæ

Articuli Sancti Thomæ in secunda secundæ.

Digitized by Google

Articuli S. Tho. in materias seu quæstiones de Veritate, & de Anima ac Virtutibus.

Anima

Articuli S. Thomę in materijs & quæstionibus de potentia Dei.

Articuli S. Thom. in quolibet.

Articuli S. Thomæ in primo sententiarum.

FINIS.

Digitized by Google

CASTIGATORIVM FVNDAMENTARII DOCTORIS DOMINI ÆGIDII ROMANI

Archiepiscopi Bituricens. Ordinis Eremitarum Sancti AVGVSTINI in Corruptorium librorum Sancti Thomæ Aquinatis Ordinis Prædicatorum.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1893

QVARE *detraxistis sermonibus veritatis, cum è vobis nullus sit qui possit arguere me? Ad increpandum tantum eloquia continuatis: & in ventum verba profertis. Super pupillum irruitis, & subuertere nitimini amicum vestrum. Respondete obsecro absque contentione, & loquentes id quod iustum est iudicate, & non inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit. Iob.* 6. Quæstio proposita optime in persona S. Thomæ Doctoris eximij (cuius doctrina fulget ecclesia) potest proponi quibusdam qui eius doctrinam, immo veritatem quã docuit, deprauare nituntur, ipsius sermonibus *Iob. 6. vers.* 28.

 veri-

veritate plenis; & spiritu veritatis instigante conscriptis detrahentes. Et hæc ex eorum sententia de verbo ad verbum per singulos articulos digesta, & conuenienter ex dictis eiusdem Sancti Doctoris exterminata Deo iuuante patebit.

ARTICVLVS I.

EX PRIMA PARTE.

S. Thom. p. 1. q. 12. ar. 2.

DEVS in patria videtur per suam essentiam & non per speciem creatā. S. Thomas parte prima q. 12. art. 2. quærens, *an diuina essentia, videatur ab intellectu creato per aliquam similitudinem mediam?* dicit in responsione principali, *quod requiritur aliqua similitudo, id est, lumē gloriæ ex parte videntis, siue ex parte visiua potentia, qua. s. intellectus sit efficax ad videndum Deum. Sed ex parte rei visa quam necesse est aliquo modo vniri videnti, per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest*, & hoc videtur insinuare & ostendere quatuor rationibus.

Ratio 1 S. Thoma.

Prima ratio per quam hoc insinuat, licet non expresse, talis est: Similitudo non est necessaria ad aliquam cognitionem sensitiuam vel intellectiuam, nisi quia res ipsa non potest esse in sensu vel intellectu: Oportet autem quod cognoscibile sit in cognoscente, illud autem quod non est per essentiam suam cognoscibile, oportet quod sit in cognoscente per suam similitudinem: Sed DEVS est intelli-

telligibilis per suam essentiã, non ergo oportet quod per suam similitudinem.

Secunda ratio est, sicut dicit *Dionys. primo de diuin. nom. per similitudines rerum inferioris ordinis nullo modo possunt superiora cognosci, sicut per speciem corporis nullo modo potest cognosci substantia rei incorporeæ. Multo ergo minus essentia diuina per quamcunq; speciem creatam poterit cognosci vel videri.* 2. *Dionys. c. 1. de diuinis nom.*

Tertia ratio, *essentia Dei est ipsum esse eius, quod nulli formæ creatæ competere potest. Non potest ergo aliqua forma creata esse similitudo repræsentans videnti diuinam essentiam.* 3.

Quarta ratio est, *diuina essentia est aliquod incircumscriptum continens in se supereminenter quicquid potest significari vel intelligi ab intellectu creato. Sed hoc nullo modo potest repræsentari per aliquam speciem creatam, quia omnis species siue forma creata est determinata ad aliquam rationẽ, vel sapientiæ, vel veritatis, vel ipsius esse, vel alicuius huiusmodi. Dicere ergo, Deum videri per aliquam similitudinem creatam est dicere diuinam essentiam non videri.* 4.

Articuli Primi.

Corruptorium.

Esta positio non placet nobis, quia videtur falsa, & contra auctoritates Sanctorum. Dicit enim S. August. 9. de trinitate, cap. 11. *Cum enim Deũ nouimus, quamuis meliores efficiamur quam eramus antequam nosceremus, maximeq; cum eadem* *Primum, S. Augustinus Argumẽta contra propositam doctrinã.*

notitia etiam placita digneque amata verbum est, fitque aliqua Dei similitudo illa notitia, tamen inferior est, quia in inferiori natura est. Hic expresse dicit S. August. in mente noscentis Deum fieri aliquam Dei similitudinem quia constat quod diuina essentia non est seipsa inferior.

S. Thoma. Si dicas (sicut dicit S. Thomas) quod S. Aug. loquitur de cognitione Dei quæ habetur in via. Sufficit nobis ad propositum, quod saltẽ hoc habemus quod vbi diuina essentia pręsens est per seipsam potest fieri similitudo ipsius, & quod per similitudinem cognoscitur.

Secundum Anselm. Præterea Anselmus monol. c. 33. *quacunq; rem mens cupit veraciter cogitare, siue per corporis imaginem: siue per rationem: eius vtiq; similitudinem quantum valet in sui cognitione conatur exprimere, quod quanto verius facit, tanto verius rem ipsam cognoscit.*

Tertium Ad intelligendum quod creatum duo ad minus requiritur Præterea positio ista non videtur consentanea sibi ipsi. Videmus enim quod ad intelligendum quid creatum ad minus requiruntur duo scilicet similitudo rei intellectæ, informans intellectum, & lumen intelligibile, sub quo & in quo ipsa res videtur per suam similitudinem; econuerso ipse ponit in Deo & dicit, quod ad videndum Dei essentiam non requiritur aliqua similitudo ex parte rei visæ, cum per nullam similitudinem creatam diuina essentia videri possit, Sed ex parte potentiæ visiuæ, scilicet lumen gloriæ confortans intellectum ad videndum: Sed videtur quod qua ratione diuina essentia possit esse forma intellectus per se informans ipsum ad intelli-

intelligendum, pari ratione potest esse per se lumen illuminans & confortans ipsum ad videndum. Et si lumen naturale quod non est Deus potest ex se gignere vel facere lumen intelligibile quasi speciem sui in quo videatur quare non eodem modo potest essentia diuina generare vel facere similitudinem sui in qua videatur?

Quartum Præterea in colore & alijs intentionibus visibilibus differũt species per quas videntur, & lumen in quo, vel sub quo videntur, sed in luce visibili non differunt species lucis & lumen, sed ipsum lumen est ipsa species siue similitudo lucis. A simili videtur quod ita sit in luce intelligibili quæ Deus est, ergo lumen intelligibile, quod est lumen gloriæ est, ipsamet species lucis increatæ quæ Deus est, per quam videtur & in qua. Ponere ergo quod diuina essentia non videatur mediante specie sua vel similitudine. & quod mediante lumine, quod sit illius similitudo, videatur est ponere contraria.

Ad rationes S. Thomæ respondendum erit.

Responsio ad rationes. S. Thomæ. Ad primã Anselmus *Ad primam* cum dicit, quod præsente non est necessaria similitudo rei. Dico quod falsum est: Nam constat quod anima est sibi præsentissima & tamen non intelligit se nisi per similitudinem. Vnde dicit Anselmus monol. 33. cap. *Habet mens rationalis cum se cognoscẽdo intelligit secum imaginem suam ex se natam.* Id est cogitationem suam quasi sua impressione formatam, quæ imago etiam verbum eius

 est

Digitized by Google

est. Et etiam Commentator super tertium de anima super illam particulam:] *& est intelligibilis sicut intellecta* dubitauit, scilicet Aristoteles de intellectu materiali, vtrum intellectum ex eo ipse sit intellectus, an aliud aliquo modo sit in eum intellectum? & incipit determinare quod est intellectum in eo per intentionem sicut aliæ res intellectæ. Vel potest dici quod licet sit præsens intellectui, non tamen est præsens in ratione cognoscibilis vt moueat intellectum, quod fieri non potest nisi per formam fluentem, non quiescentem: sicut videmus quod innaturalis calor ethicæ qui versus est in habitum: & quasi quiescens, parum aut nihil sentitur à patiēte. Calor autem tertianæ qui longe minor est: valde sensibilis est, quia est in fieri & transmutatione: Vnde cum diuina essentia nullo modo possit in intellectu esse: vt in fieri & transmutatione, sed sic se habere potest similitudo diuinæ essentiæ. Hinc est quod ad intelligendum non sufficit diuina essentia, Quamuis præsens sit intellectui, sed requiritur similitudo eius. *Et hæc est doctrina Auicennæ sexto naturalium parte secunda cap. 3. & iterum parte 4. cap. 2.*

Auicenna

Ad secundum.

Ad secundam de Dionysio. quod superiora non possunt cognosci per similitudines inferioris ordinis. Dicendum quod illa verba non inueniuntur in nostra translatione, esto tamen quod inueniantur in alia, Dicendum quod Dionysius per similitudines inferioris ordinis non intelligit similitudines geni-

nitas

nitas vel expressas à re, sed rerum materialiũ proprietates, inquantum sunt symbolicæ similitudines rerum immaterialium, sicut proprietates ignis & leonis solum sunt symbolicæ similitudines proprietatum Dei, & de talibus similitudinibus verum dicit, sed non est ad propositum.

Ad tertium cum dicit, quod diuina essentia est suum esse, quod nulli formæ creatæ potest competere. Dico quod illa species repræsentat Deum, & quantum ad essentiam & quãtum ad esse, & hoc possibile est, quamuis ipsa forma nõ sit suũ esse, nõ enim requiritur omnimoda proportio inter similitudinem & ré cuius est similitudo. Species enim siue similitudo in anima non est corporalis, sicut dicit *S. Augustinus de trinit. lib. 13. c. 16. Species rei viua non est res viua, & tamen repræsentat eam viuam.* Similiter dico in proposito. quod species siue similitudo diuinæ essentiæ. quamuis ipsa non sit suũ esse tamen repræsentat diuinam essentiam, & quod ipsa est suum esse.

Ad quartum. Quod diuina essentia est incircumscripta. Dicendum quod ex hoc non sequitur quod diuina essentia non possit cognosci per speciem terminatam & finitam, sed sequitur quod per talem speciem non possit cognosci perfectè scilicet quantum cognoscibilis est, sic enim non est cognoscibilis à creatura nec per creaturam, sed à seipsa per seipsam.

(∴)

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S.Thomam.

ISTAM veritatem, scilicet quod DEVS à beatis in patria videtur per essentiã suam, & per nullã speciem creatam mediã docet S. Thomas *prima parte, quæst.12, artic.2. Et in quæstionibus disputatis de veritate. in q. prima de cognitione Angelorum.* Et *Alibi contra Gentiles. li. 3.ca.49.& 50.& 52.* cuius doctrina diuinitus inspirata si recte intelligatur, omnes prędictę cauillationum tenebræ quasi infusa luce euanescunt. Vt autem falsitatis tortuosa gibbositas: rectitudine veritatis ad ipsam applicare cunctis appareat, aliqua dictorum S. Thomæ veritatem secundum datam à Deo sibi sapientiam declarantia adducantur, per quæ istorum sophismata dissoluantur, & rationes eius veritatem ostendentes, per eorum cauillationes nequaquam impediri posint, comprobẽtur quem modum in singulis articulis sequẽtibus tenebimus Deo iuuante.

S. Thomas

Notabilia duo.

Ad euidentiam ergo prædictorum sunt duo consideranda, scilicet qualiter Deus potest esse: & est forma intelligibilis immediate informans intellectum ad intelligendum siue cognoscendum in beatis. Et qualiter oportet quod intellectus sic informatus per habitum luminis gloriæ eleuetur.

Qualiter Deus est forma intelligibilis Contra gentes li.3. cap.51.

Primum docet S.Thom.contra Gentiles.l.3.ca. 51. vbi sic dicit, *Substantia qua est per se subsistens vel est forma, vel est compositum ex materia & forma. Illud autem quod est compositum ex materia & forma non potest esse alteri forma, quia in eo forma*

eo forma iam cōtracta est ad illā materiam, quod forma alterius esse non poßit. Illud autem quod est solum forma subsistens potest etiam alteri esse forma: dummodo habeat esse tale quod potest ab alio participari cuiusmodi est anima. Si vero esse eius non potest ab aliquo alio participari, cuiusmodi est Angelus vel intelligentia, nulli rei potest esse forma, quia sic determinatur per suum esse quod non potest esse alterius rei forma, sicut materialia ita determinantur per suam materiam quod non poßint esse aliarum rerum forma. Hoc autem sicut in esse naturali & substantiali inuenitur, sic in esse intelligibili considerandum est. Cum enim perfectio intellectus sit verum, illud intelligibile est vt forma tantum in genere intelligibilium quod est ipsa veritas, quod conuenit soli Deo. Nam cum verum sequatur esse, illud tantum est sua veritas quod est suum esse, quod est proprium soli Deo. Alia igitur subsistentia intelligibilia non sunt pura forma in genere intelligibilium, sed vt forma habentia intelligibilem in subiecto. Est enim vnumquodque eorum verum non veritas sicut ens non esse. Sola igitur essentia diuina potest esse intellectui creato vt forma & species intelligibilis qua intelligit. Nec tamen potest esse forma alicuius alterius rei secundum suū esse naturale, sequeretur enim quod simul cum alio cōiuncta constitueret aliquam vnā naturam, quod est impoßibile, cum diuina essentia in se perfecta sit in sua natura. Species autem intelligibilis vnita intellectui non constituit aliquam naturam nouam, sed solum perficit ipsum ad intelligendum, quod perfectioni diuinæ essentiæ non repugnat: cum sit tantum forma & pura species intelligibilis, vt patet ex dictis.

Qualiter Deus non est forma alteri⁹ rei.

Cur requiritur lumen gloriæ ad visionem diuinæ essentiæ.

Secundum scilicet quod ad hoc quod intellectus creatus ista forma ac specie intelligibili informetur, oporteat quod per lumẽ gloriæ sublimetur. Docet S. Thomas *eodem libro.ca.2.vbi sic dicit. quod impoßibile est quod id quod est alicuius rei forma propria fiat forma alterius.*
53. *quod non participat aliquo modo similitudinem illius rei, cuius est illa forma propria, sicut lux qua est propria forma corporis summe diaphani, nullo modo fieret forma vel actus alicuius, quod nullo modo participat diaphaneitatem. Essentia autem diuina est propria forma intelligibilis intellectus diuini, vtpote ipsi soli proportionata. Impoßibile est ergo quod essentia diuina fiat sicut forma intelligibilis vel species alicuius intellectus creati, qua non est Deus nisi intellectus ille aliquam similitudinem Dei participet.* Cum autem ista forma scilicet Dei sit nobilissima oportet dispositionẽ ipsam vel similitudinẽ à Deo participatã esse nobilissimã. Huiusmodi autem est habitus luminis gloriȩ in patria, de quo dicitur
Ps.35.v.10 in Psalmis. *Et in lumine tuo videbimus lumẽ*, scilicet diuinæ essentiæ.

Quare dicitur lumẽ gloria.

Et nota quod illa dispositio qua intellectus creatus ad intellectualem Dei visionẽ extollitur, congrue lux gloriæ dicitur, non propter hoc quod facit intelligibile in actu, sicut lux intellectus agentis, sed propter hoc quod facit intellectũ patientẽ actu intelligere. Vnde ibidẽ plures alias efficaces rationes ponit hoc idẽ ostendentes, scil. quod ad hoc quod Dei essẽtia videatur, oportet intellectum per lumen gloriæ leuari: ex his quæ docet S. Th. patet

tet possibilitas positionis prædictæ superius impugnatę.

AD OBIECTIONES CORRVPTORII.

Ad 1. Argumentū,

AD primum igitur quod obijciūt in contrariū de S. Augst. de trinitate l. 9 c. 11. dicamus sicut dicit S. Tho. quod illa auctoritas habet intelligi de notitia Dei in via. Et quādo subiungitur quod hoc sufficit nobis ad propositum, manifestū est quod nō dicunt verū. Licet enim Deus in via per speculū & in ænigmate cognoscitur per similitudinem aliquā à se creatam imperfecte, non tamen in patria: vbi sicuti est ad videndum eum non sufficit aliqua similitudo creata, immo nec vniuersitas creaturæ, quoniā impossibile foret quod ipsum sufficiēter in tali visione repræsentaret. in via autem vbi per creaturas Deū cognoscimus, conceptum nostrū tali cognitioni expressum in mente nostra cernimus, quē S. Augustin. in prædicta auctoritate amatam notitiam & verbum mentis, & similitudinem Deo inferiorē, quia est in inferiori natura, appellat, vt patet intuēti verba eius ibidem. In patria vero quoniā videbimus Deū per essentiā propriam: cernemus in mēte nostra propriū Dei ipsius verbum, quod est perfecta similitudo plene ac perfectè adæquans paternū intellectum à quo exprimitur. Et secūdum hāc visionem maximè Deo assimilabimur, & maximè eius beatitudinis participes erimus, nā ipse Deus intelligendo se per suam essentiā in verbo ab eius intellectu expresso, omnia videt & hæc est eius fœlicitas. Et nos per eandē essen-

Digitized by Google

essentiam Deum vidētes idem verbum videbimus, & omnia in ipso cernemus. *Similes ergo ei erimus quando videbimus eum sicuti est.*

1. Ioã. 3. c.

Ad 2. Argumentū.

Ad secundum de Anselmo dicendum, quod illa similitudo expressa, de qua loquitur Anselmus ibidem est ipsa formata cogitatio & verbum mētis, quod non est principium cognoscendi rem, sed illud quod intelligendo vel cognoscendo in ipsa mente exprimitur siue formatur. Et hoc manifeste patet per verba Ansel. ibidem. & per S. Augustinum; vbique expressam enim siue formatam rationem rei intellectam & placentem vel amatam vocat S. Augustinus verbum mentis, quod philosophus vocat conceptum mentis, quem vox significat primo, & hic se tenet à parte obiecti cogniti, & non est principium cognoscendi. Istud docet S. Thomas in multis locis euidenter, & ideo quo ad hoc ista sufficiant.

Ad 3. Argumentū.

Ad tertium cum dicit quod qua ratione potest diuina essentia esse forma intelligibilis informans intellectum ad intelligendum, eadem ratione poterit immediate esse per se lumen confortans ipsum ad videndum. Manifestum est ex prædictis, quod illud nō sequitur. Quia vt dictū est ad hoc quod ista forma nobilissima diuina scilicet essentia fiat intellectui creato forma intelligibilis necesse est ipsū intellectū eleuari ad quandā Dei formitatem quantū possibile est: & ad hoc requiritur lumen gloriæ. Similiter cum quærunt, quare non posset Deus videri per similitudinem, quam gigneret vel faceret, sicut videtur

tur esse de lumine naturali? Dicendum quod Deus ipse perfectissime videbitur in patria, quãtum illam similitudinẽ quam gignit, quę est verbũ & filius, quem solum ex se gignit videbimus, & ideo ipse filius, Ioã. ait. *qui videt me videt & patrẽ*, sed nulla similitudo creata quã facit sufficit ad repræsentandũ ipsũ sicut est. Io. 14.

Ad quartum dicendum quod species lucis creatæ gignentis adæquatur virtuti eiusdem, & ideo sufficit ad perfectam eius repræsentationem, sed lumen gloriæ licet sit quædam deformitas & Dei similitudo, non tamen adæquat virtutem eius, sed in infinitum deficit, & ideo ad repræsentandum non sufficit. Et sic patet responsio ad obiecta. *Ad 4. Argumentũ.*

INFIRMATIO CAVILLATIONVM corruptorij quo ad primum articulum.

RESTAT ergo videre qualiter rationes istam veritatem ostendentes per prædictas illorum cauillationes supra positas non impediantur: Impediendo ergo primam rationem duo falsa dicunt. *Quorum primum* est quod mens nostra cognoscit seipsam per similitudinem à se genitam, similitudo autem de qua loquitur Anselmus, in auctoritate quam adducunt est ipsa formata cogitatio & verbum ipsius quod est seipsam cognoscendo mens in semetipsa exprimit, quod nõ est principium intelligendi vt dictum est, sed effectus ac terminus intelligibilis operationis: est enim ratio rei intellecta, quam nomen significat secundum philosophum qui nunquam posuit, nec Commentator prout isti fin-

Prima duo falsa. 1.

Digitized by Google

fingunt quod intellectus noster intelligit seipsum per speciem à se genitam, sed per hoc quod ducitur ad actum intelligendi per species intelligibilium aliorum. Istud docet S. *Thom. in prima parte q. 87. artic. 1.* prout enim ibi dicit. *Vnumquodque est cognoscibile secundum quod est in actu*, quia ergo intellectus noster secundum philosophũ in natura & essentia sua est in potẽtia, & quasi tabula rasa, ad hoc quod seipsum intelligat, necesse habent reduci per aliam speciem alicuius intelligibilis ad actum secũdum ipsum, & hoc est verum quamdiu manet forma corporis corruptibilis: quando vero anima nostra erit à corpore separata, intelliget se per suam essentiam, non per speciẽ à se genitam. *Secundum falsum & inconueniens maximũ*, quod ponitur in ista responsione est, quod Deus præsens intellectui non posit esse eidem præsens in ratione obiecti cognoscibilis nisi ipsum moueret, quod fieri non potest nisi per formam fluentẽ non quiescentem: vnde cum diuina essentia nullo modo in intellectu vt forma fluens esse potest, ideo non sufficit, quamuis præsens sit ad intelligendũ sicut dicũt, quod patet esse falsissimum. Nam species intelligibilis, quæ est ratio intelligendi & principium non est fluens sed manẽs in intellectu, qui est locus specierum secundum Philosophum. Hoc etiam patet per *S. Augustin. de Trinitate. li. 14. ca. 12.* vbi ait. *Trinitatem commendabimus sic vt illud vnde formatur cogitantis obtuitus in memoriam poneremus.* Ecce manifeste dicit quod acies mentis informatur à specie reposita in memoria: quæ non fluit sed manet

3. de anima tex. 14. 5.

Lib. 9. Phys. tex. 20.

Secundum

3. de anima. tex. 38.

2. t. conf. 6.

net, ipsum vero verbum quod non est principium cognoscendi, sed per actum cognoscendi in acie mentis formatur, non manet, quãdo mens ad alia cõuertitur. Non ergo illud quod est forma intelligibilis ac principiũ intelligendi est fluens & in fieri, sed quiescés & permanens, alioquin diuina essentia non sufficeret sibi, vt esset sibiipsi principium intelligendi, cum nec fluat nec sit in fieri, quod nefas est dicere. Sicut ergo illa incommutabilis essentia est sibiipsi principium intelligendi & forma intelligibilis per naturam, sic & menti beatæ erit forma intelligibilis & principium intelligendi per gratiam & gloriam.

Illud autem quod adducunt de Auicenna de calore ethica & tertiana, non est ad propositum. Licet .n. motus & mutatio faciat ad maioré perceptionem secundum sensum, non tamen requiritur ad perceptionem secundum intellectum, cuius obiectum est ab eiusmodi conditionibus abstractum. 2.

Præterea illud quod dicunt ad secundã rationẽ nihil facit ad propositum. Sicut enim symbolicæ proprietates rerum materialium quas ponunt non sufficiunt repræsentare proprietates immaterialium, sic nec aliqua creatura sufficit repræsentare Deum sicuti est. 3.

Præterea hoc quod dicunt ad tertiam rationem non valet, quia quamuis similitudo per quam cognoscitur res aliqua non cõueniat in omnibus cũ re, hoc tamẽ est necessariũ quod sit perfecta similitudo ipsius, alioquin nũquã plene ipsam repręsentabit, sed similitudo creata quæ non est suum esse, est deficiens à Deo quę est suum esse in infinitum. 4.

Item

5. *Item illud quod dicunt ad quartam rationem* nihil facit, quamuis enim diuina essentia non videatur quantum cognoscibilis est à creatura nullo tamen modo videri potest à creatura sicuti est, nisi per aliquid quod ipsam sic repræsentat, sed ad hoc non sufficit aliquid aliud ab ipsa vt probatum est. Ipsa ergo per seipsam videtur à beatis in patria, ad quã nos perducat qui sine fine viuit & regnat Amé.

Replica 1. NOTA. In quibusdam codicibus inueniuntur replicæ sequentes cum solutionibus. *Primo enim arguitur*, sicut intellectus in cognitione est illud quod cognoscit, ita species est illud quo cognoscit, sicut ergo virtute diuina intellectus potest eleuari vt cognoscat, ita & species vt sit illud quo cognoscat non obstante substantia infinita Dei.

Responsio. *Responsio.* Non est simile de potentia & specie, quia enim potentia rationalis est, potest eleuari vt intelligat, nõ sic species, vel sic non est simile, quia in specie requiritur repræsentatio rei, non autem in potentia: repræsentatio enim requirit æqualitatem, quam non est inuenire inter similitudinem creatam & essentiam diuinam.

2. Replica. *Itẽ* si species lapidis in oculo esset ipsa lux; non requireretur lumen in medio, vt patet in oculo catti: sed essentia diuina est lux vera, & est species quæ videtur vt dicis, ergo nõ requiritur lumen gloriæ.

Responsio. *Responsio.* quamuis essentia diuina sit lux propter distantiam, tamen intellectus ab ipsa oportet intellectum eleuari per lumen gloriæ.

Item

Item si quæritur, quare non videtur per speciem: Si dicas; quia species non potest ipsum perfecte repræsentare.

3. *Contra*, ergo cum species intelligibilis sit accidens in intellectu possibili nó potest perfecte repræsentare quod quid est rei nihil intelligere possumus vt videtur.

Responsio, non repræsentat species vt est accidens, sed vt est similitudo substantiæ. Vel melius dicendum quod sicut ignis generans ignem agit per accidentia, scilicet per qualitates actiuas quæ agunt & in virtute substantiæ generant substantiam, ita species in virtute substãtiæ habet vt repræsentet substantiá rei.

4. *Contra*, eadem ratione species creata in virtute substantiæ increatæ poterit repræsentare substantiam increatam.

Responsio, in accidente non requiritur virtus infinita vt repræsentet substantiam sicut ibi ideo non est simile.

ARTICVLVS II.

DE COGNITIONE SINGVLARIVM.

IN *prima parte q. 14. art. 11. in Responsione primi argument.* dicit S. Thomas *quod intellectus non cognoscit singularia, quia intellectus noster abstrahit speciem intelligibilē à principijs indiuiduantibus, vnde species intelligibilis intellectus nostri non potest esse similitudo principiorum indiuiduantium.* S. Tho. 1. p. q. 14. art. 11.

Digitized by Google

ARTICVLI II.
CORRVPTORIVM.

1. Argumentum. HOc præbet occasionem errandi; quia secundum hoc animæ separatæ & Angeli in patria Christum intelligibili cognitione non cognoscerent; quod est contra illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna*,&c. vsque ibi. *& quem misisti Iesum Christum contra.*

2. Io. 17. S. Aug. *Item hoc est S. Aug. 22. de ciuita. Dei cap.* 11. & contra ratiocinationem philosophorum dicentium. Ita mentis aspectu intelligentia videri vt sensu corporis, corporalia vt nec intelligibilia per corpus, incorporalia per seipsã mens valeat intueri, & vera ratio & philosophica irridetur auctoritas.

3. Seneca. *Præterea vt dicit Seneca in Prouer. peccatum est actio voluntaria*; sed actiones singularium sunt, ergo peccatum actio singularis est, & hoc nonnunquam est circa obiecta, quæ non sensu aliquo, sed intellectu apprehendi possunt. Si igitur intellectus non cognoscit singularia vt dicitur, & de hoc quod homo non cognoscit non pænitet, nec se corrigit, dicente Sene. ad Lucil. *Initium salutis est notitia peccati, qui enim peccatum non cognoscit, corrigi non vult; nec huiusmodi peccatum potest corrigere, nec de eo pænitere*, quod cum sit erroneum & illud ex quo sequitur, scilicet quod intellectus non intelligit singularia.

4. *Præterea hoc est contra philosophiam*, quia si intellectus non cognoscit singularia, tunc nõ pote-

Digitized by Google

poterit facere propositionem aliquam in qua esset singularis res, & ita nec syllogizare.

Præterea, tunc non posset ex multis singularibus colligere vnum vniuersale, ex incognitis enim non potest cognoscens intentionẽ cognoscibilem abstrahere.

Præterea, secundum hoc intellectus non posset inuenire & determinare rectam rationem agendorum, cũ omnis actio sit singulariũ, & circa singularia, & ita esset frustra consiliũ & deliberatio, quod stultissimũ est dicere

Ad rationẽ S. Thomæ, dici potest, quod intellectus non solum cognoscit vel intelligit per species vniuersales & abstractas à conditionibus indiuiduantibus & materialibus, sicut supponit & falsè: sed etiam intelligit per intentiones & species singulares & per tales intelligit singularia; quo modo enim intellectus componeret tales propositiones: Petrus nõ est Ioannes, nisi prius acciperet intentiones simplices Petri & Ioannis; reuera nullo modo, vnde argumentum procedit ex suppositione falsa scilicet, quod intelligit solum per species vniuersales. Hæc sunt verba eorum. 6. *Solutio rationis. S. Thomæ.*

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

VERITATEM circa cognitionem singularium ab intellectu nostro euidenter docet *S. Tho. parte prima q. 86. art. primo.* quẽ si isti intelligerent, non sic contra ipsum inaniter garrirẽt. Dicit enim sic vt patet cuilibet intuenti in responsione principali, quod singularitatẽ in rebus materialibus intellectus

 noster,

noster directe & primo cognoscere non potest. Cuius ratio est, quia principium singularitatis in rebus materialibus est materia indiuidualis, intellectus autem noster intelligit speciem intelligibilem abstrahendo ab huiusmodi materia, quod autem à materia indiuiduali abstrahitur est vniuersale, vnde intellectus noster directe non est cognoscitiuus nisi vniuersalium. Indirecte autem & quasi per quandam reflexionem potest cognoscere singulare, quia per species intelligibiles vniuersales quas abstrahit non potest actu intelligere nisi conuertendo se ad phantasmata singularium in quibus species intelligibiles intelligit, *vt in tertio de anima dicitur*. Sic igitur ipsum vniuersale per speciem intelligibilem intelligit directe, Indirecte autem singularia quorum sunt phantasmata, & hoc modo format propositionem hanc. Sortes est homo, vnde patet ex his quæ dicit hic S. Thomas quod non intendebat dicere supra. *q.14. artic.11. in responsione primi argum.* quod intellectus noster nullo modo cognoscit singularia, sed solum quod non cognoscit singularia rerum materialium primo & directe, vnde ipse dicit in ista. *q.86. art. primo in responsione ad tertium argumentum.* quod singulare non repugnat intelligibilitati inquantum singulare sed inquantũ est materiale, quia nihil intelligitur nisi immaterialiter, & ideo dicit quod singulare quod non est materiale cuiusmodi est intellectus hominis non repugnat intelligibilitati intellectus nostri.

Singularia in reb⁹ materialibus intellectus noster primo cognoscere non potest.

De anima tex. 39.

Digitized by Google

Ex his patet Responsio ad argumenta quæ adducuntur.

Ad primum dicendum, quod Angeli & animæ separatæ vident Deum per essentiam quæ summe est immaterialis & sufficiens ratio cognoscendi omnia sicuti sunt, per quam Christus in sua diuinitate non solum, sed etiam in sua humanitate cum omnibus alijs intelligibilibus cognoscetur in patria perfectissime. *Ad primũ*

Ad secundum dicendum, quod Augustinus intendit dicere, quod intellectus noster intelligit illa materialia & sensibilia, virtus enim cognoscitiua superior potest in omnia illa in quæ potest virtus inferior, licet cognoscat altiori modo sibi congruo: vnde illa quæ cognoscuntur à sensu sub conditionibus materialibus & indiuiduantibus cognoscuntur ab intellectu per abstractionem ab huiusmodi conditionibus. *Ad secundum.*

Ad tertium dicendum, quod actio interior cum sit spiritualis & immaterialis cognoscitur directe ab intellectu nostro: Actiones vero exteriores & corporales cognoscuntur ab intellectu indirecte sicut singularia ista materialia. Ratio igitur fundatur super falsum scilicet quod intellectus noster nullo modo cognoscat singularia materialia. *Et per idem patet Responsio ad quartum.* *Ad tertiũ.* *Ad quartũ*

Ad quintum dicendum, quod innititur falso scilicet quod intellectus primo intelligit singularia, & sic colligat cognitionem vnius vniuersalis, hoc enim falsum est & contra phi- *Ad quintum.*

Digitized by Google

losophum manifeste. Species enim intelligibilis abstracta est per intellectum agenté ab omnibus conditionibus indiuiduantibus & materialibus secúdum philosophum vnde repræsentat primo quidditaté rei abstractis huiusmodi conditionibus, & sic est vniuersalis, vnde vniuersale cognoscitur ab intellectu directe & primo.

Ad sextum. *Ad sextum dicendum sicut ad tertium & quartum.*

Destructio responsionis, quam afferunt ad rationem S. Thom. quando dicunt ad rationé S. Tho. falsum esse intellectum nostrum solú intelligere per species abstractas, manifestum est quod negant totam doctrinam philosophorum in hac parte sine ratione, & hoc sine ratione, & ideo non sunt audiendi.

ARTICVLVS III.

DE COGNITIONE DEI QVO ad contingentia.

S. Tho. ibidem. artic. 13. quod contingens dupliciter consideratur.

IN eadé q. 14. ar. 13. *vbi quæritur an scientia Dei sit respectu futurorum contingentium?* in Responsione quæ dicit, *contingens aliquod potest dupliciter considerari. Vno modo in seipso secundum quod iam actu est, & sic non consideratur vt futurum sed vt præsens, nec vt ad vtrumlibet contingens, sed vt determinatum ad vnum, & propter hoc sic potest subdi certæ cognitioni infallibiliter, vtpote sensui visus, sicut cum video Sortem sedere. Alio modo potest contingens considerari vt est in sua causa, & sic considerat vt est futurum, & vt est contingens & nondum determinatum*

tum ad vnum, quia causa contingens se habet ad opposita, & sic contingens non per certitudinem subditur alicui cognitioni, vnde quicumque effectū contingentem cognoscit in sua causa tantum, non habet nisi coniecturalem cognitionem. Deus autem contingentia non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout vnumquodque est actu in seipso cognoscit. Et ratio sua est aliquātulum infra, *quia cognitio diuina mensuratur æternitate sicut suum esse. Aeternitas autē est tota simul, & ambit totū tempus, vnde omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, sed non solum ea ratione, quia habet rationes rerum apud se præsentes, vt quidam dicunt: Sed quia eius intuitus fertur super omnia ab æterno prout sunt in sua præsentialitate, vnde manifestum est quod contingentia infallibiliter à Deo cognoscuntur.*

ARTICVLI III.

CORRVPTORIVM.

ISTA propositio non habet veritatem sed continet errorem manifestum, imo multos errores, quia non intendit dicere quod Deus æque certitudinaliter cognoscit futura contingentia ac si essent præsentia & determinata in rerum natura, hoc enim verum est: Sed intendit quod quia æternitas præsens est omni differentiæ tēporis & omnis differentia temporis præsens æternitati, Ideo contingentia quæ non sunt realiter in tempore, iam sunt realiter & actualiter per naturas suas in æternitate, & sic subijciuntur diuinæ vi-

 sioni,

sioni, & hoc maxime exprimunt verba sua cum dicit; *omnia quæ sunt in tempore sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione quia habet rationes rerum apud se præsentes, vt quidam dicũt, sed quia eius intuitus fertur super omnia ab æterno prout sunt in sua præsentialitate*, hoc enim est simpliciter falsum & erroneum, quia hoc est ponere contingentia, & multo fortius necessaria ab æterno in æternitate esse, licet in tẽpore sint producta de non esse in esse. Constat enim quod res non possunt dici Deo præsentes nisi dupliciter vel in sua ratione causali; vel in sua existentia actuali. Si ergo omnia quæ sunt in tempore sunt ab æterno præsentia Deo, non quia habet apud se rationes præsentes vt ipse dicit; necesse est quod omnia fuerint ab æterno in æternitate sub existentia actuali; sicut vnquam postea fuerunt in tempore, & hoc est ponere omnia ab æterno in æternitate, quod est contra fidem nostram.

Res dupliciter sunt Deo præsentes.

2. Hoc est etiam contra rationem. Certum est enim quod sancti & philosophi ponunt Deum ab æterno apud se habuisse rationes causales & ideales etiam omnium fiendorum, & per illas & iuxta illas fecisse & facere quidquid fecit & facit; Hoc autem est ociosum ponere si ab æterno & in æternitate præsentia erant in naturis proprijs, & sic subdita diuinæ visioni quia ad cognoscendum & faciendum omnia in tempore sufficiebant ipsæ res actualiter existentes in æternitate. Et ita esset

super-

Digitized by Google

superfluum ponere rationes in Deo, quod est contra sanctos & philosophos.

Ratio etiam sua procedit ex falso intellectu, quando dicit quod æternitas ambit omne tempus, & quod omnis differentia temporis est præsens æternitati. Non enim sic intelligitur, quod æternitas ambiat tempus & temporalia in naturis suis quamdiu non sunt, vel quod tempus & res temporales, quæ nihil sunt in natura propria sint præsentes æternitati. Sed hoc pro tanto dicitur quod causales rationes & ideales omnium temporalium sunt DEO præsentes ab æterno. Et hunc intellectum videtur explicare S. Augustin. dicens. *Cum videri dicuntur futura non ipsa quæ nondum sunt id est quæ futura sunt; sed horum causa vel signa forsitan videntur quæ non sunt futura, sed præsentia sunt iam videntibus ex quibus futura prædicuntur animo concepta, quæ rursum cõceptiones iam sunt, & ista apud se intuentur qui ista prædicunt.* Propter eundem sensum dicuntur omnia vita in Deo, scilicet quia res omnium in Deo viuunt. *Vnde Augustinus homil. super illud Ioan. prima: quod factũ est in ipso vita erat* dicit, *Ipsa terra quæ facta est non est vita, Est autem in ipso spiritualis quadam ratio per quam facta est terra, & hæc est vita.* Certe si res ipsæ in genere proprio fuissent ab æterno in æternitate: non dixisset Euangelista, vniuersaliter. *Quod factum est in ipso vita erat*, vel saltem S. Augustinus non transisset sine distinctione.

3.

S. Aug. lib. 18. confess. c. 18.

Præterea hoc quod dicitur in prædicta positione, quod quicunque cognoscit effectũ 4.

contingentem in sua causa tantum non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem, hoc constat esse falsum & contra rationem prophetiæ. Credimus enim quod prophetæ certitudinaliter vident, quæ de immobili veritate Dei enuntiauerunt, sicut habetur per diffinitionem prophetiæ. Constat autem quod non vident futura in sua natura, ergo in rationibus suis causalibus, quod si aliquis hoc negare voluerit de prophetis vel omnibus vel aliquibus, saltē de sanctis & Angelis negare non poterit, quin in verbo & rationibus causalibus præuideāt multa futura, non coniecturaliter sed certitudinaliter, & illa reuelantur Prophetis & alijs sanctis secundum beneplacitum & dispositionem Dei.

Prophetæ & Angeli multa præuident.

Præterea, tertium falsum & erroneū. quod ponit prædicta positio est quod Deus alio modo contingentia & temporalia nouit, quā prout sunt in suis causis, & alio modo quam per rationes rerum quas habet apud se præsentes, videlicet ferendo intuitum super ipsas res sibi actu præsentes ab æterno, hoc expresse habetur ex verbis suis, nā dicit sic in prædicta responsione, Deus *cognoscit omnia contingē-tia, non solum in suis causis, sed etiam prout est actu vnumquodq; in seipso*, & parum inferius subdit; *omnia quæ sunt in tēpore sunt Deo præsentia ab æterno prout sunt in sua præsētialitate*, hęc sunt verba eius. Ex his sequitur quod Deus cognoscit creaturam per receptionem: Si enim cognoscat aliter quam per rationes rerum quas habet apud se, & aliter quam prout sunt in suis causis

causis ferendo intuitum super ipsas res, hoc non potest intelligi vel saltem fingi, nisi per receptionem. Deum autem intelligere vel cognoscere per receptionem est impossibile tam secundum sanctos quam secundum philosophos, qui omnes concordant quod scientia Dei est causa rerum, & non causata à rebus sicut scientia nostra. Sed sine dubio si cognosceret per receptionem, scientia sua esset causata à rebus. Item ex hoc sequitur quod non est purus actus, sed est sciens in potentia, & quod potentia sciendi in ipso perficeretur per creaturas quæ omnia sunt absurdissima. Hæc sunt verba eorum, quæ procedunt ex falso intellectu, & vtinam non ex malo affectu.

Scientia Dei è causa rerum.

RESPONSIO, ad hæc secundum S. Thomã. Vt pateat omnibus quod deductio ad ista inconuenientia secundum istos nulla sit omnino, nec aliquid horum ex dictis S. Thomæ sequatur. In primis modus quo Deus nouit alia à se attendatur. Deus enim prout S. Thomas *parte prima q.14. art.13. in responsione docet,* non solum cognoscit res in seipso esse, sed per illud idem quod in se continet species rerum cognoscit eas in propria natura, quæ licet sint successiue in propria sub actuali existentia, non tamen subduntur successiue diuinæ cognitioni, quæ mensuratur æternitate, in qua non cadit successio, sed est tota simul cum tẽporis cuiuscumq; differentia, nõ quod partes tẽporis oẽs simul existẽtes æternitati coexistant vt ipsi putant & falso S. Thomã sensisse.

Quomodo Deus nouit alia à se.

Sed

Sed quia ipsa æternitas est tota simul cum singulis partibus temporis non simul existentibus, sed sibi inuicem succedentibus. Illud docet S. Thomas *libro pro contra Gentiles cap.* 66. tali exemplo, *punctus quicumque signatus in circumferentia circuli sic se habet, quod nullo modo potest esse simul cum alio puncto signato in eadem, & est quolibet alio puncto signato in ipsa prior vel posterior secundum situm. Omnes vero puncti in circumferentia signati ad centrum quod est extra circumferentiam directam habent oppositionem & consimilem habitudinem. Sicut ergo punctis in circumferentia quibuscumque secundum situm ordinem se habentibus & se consequentibus, punctus centralis extra ipsam existens directe & vniformiter obijcitur. Sic æternitas simplex & indiuisibilis extra temporis successionem existens, omnia eiusdem sibi succedentia inuicem vniformiter respicit sub præsentialitate, quam in se habent successiue, Actus ergo cognitionis mensuratus æternitate præsentialiter respicit omnia sibi inuicem succedentia in tempore, quia ipsam eorum præsentialitatem quam habent in se successiue, sed simul æternaliter intuendo, non quod ipse à rebus quas sic intuetur æternaliter sibi semper coexistentibus cognitionem accipiat, sed omnium rerum rationes quas in seipso simul intuetur per quod eius intuitus perfectissime fertur super ipsas, non solum earum quidditates, sed etiam præsentialitates præsentialiter, quia æternaliter intuendo.* Et hic patet quod S. Thomas (prout isti imponunt illi & falso) non intendebat quod omnia quæ sibi inuicẽ succedunt in tempore in natura propria, Deo

S. Thomas contra gentiles 1. *c.* 66.

coex-

Digitized by Google

coexistunt in æternitate, licet ab eo eorum præsentia æternaliter intueatur, & sic omnia sibi dicantur præsentia. Et quando dicunt quod res non possent esse Deo præsentes nisi dupliciter sed in ratione causali, vel in sua existentia actuali. Dicendum quod res sunt presentes Deo ab æterno non in sua existentia actuali, sed quia ipse actu intuetur eorum præsentiam æternaliter, per hoc quod omnium rerum rationes exempla res in seipso cognoscit quas videt in seipso, & omnia per ipsas perfecte cognitas cognoscit in natura propria, quorum scilicet per rationes causales easdem inuenitur causa, & sic habet intelligi quod dicit S. Thomas quod intuitus Dei fertur æternaliter super omnium in tempore sibi succedentium præsentialitates non solum quia habet rationes eorum apud se vt quidã dicunt, sed intuendo ea æternaliter in sua præsentialitate quam simul à Deo vt dictum est cognitam successiue habent in natura sua.

Ad rationem secundam corruptorij. Ex his patet responsio ad primam & secundã. Nõ enim illa positio si intelligatur euacuat ideas vel rationes rerum causales, quas sancti & & philosophi ponunt in Deo. immo ex hoc ipso sequitur necessario idearum positio, quia nisi Deus rationes ideales & causales omnium antequam sint æternaliter conspiceret rerum temporalium & creatarum præsentialitates in tempore succedentes non videret eas ex tali inspectione æternaliter intuendo. *Ad primã. Ad secundam.*

Ad

Digitized by Google

Ad 3. Ad rationem tertiam, cum dicit omnium rerum temporalium rationes causales æternaliter Deo esse præsentes; concedendum est, & pro nobis facit, per hoc ipsum enim præsentialitates omnium sunt simul in Dei notitia ab æterno, antequam essent in natura propria. Et hoc quoq; quod adducunt de *S. Aug.* quod scilicet futurum videtur per aliquod præsens, omnino facit ad istius veritatis declarationem; sicut enim intueor auroram & ortum solis adhuc futurum per aliquid, quod præsentialiter in animo imaginor, quod patet per verba *S. Aug.* ibidem, & est per se manifestum, sic Deus videndo suam essentiam in qua presentialiter & eternaliter cernit omnium rerum rationes ideales: necesse est eo ipso rerum futurarum sibi repræsentatas præsentialitates intueri. Per hoc idem patet ad illud aliud quod adducunt de *S. Aug. sup. Ioan.* quia enim omnia quæ facta sunt, sunt vita in verbo in suis rationibus idealibus in ipso, hinc est quod creaturæ æternaliter fuerunt cum earum præsentialitatibus (quæ vtique sunt creatæ) in ipso verbo cognitæ.

Ad 4. Ad quartam rationem cum dicunt effectum contingentem tantum cognosci in sua causa coniecturaliter est contra rationem prophetiæ. Prophetę enim effectus contingentes certitudinaliter in suis causis cognouerunt. Dicendum quod effectus contingentes habent causas suas proximas propter quas sunt contingentes, vtpote in ipsis indeterminate existentes, & in talibus causis non cognoscuntur nisi

nisi coniecturaliter, vt si videam magistrum multum studere, conijcio quod sit disputaturus, & hoc intendebat S. Thomas hic, Causa autem prima omnium contingentium sicut & omnium entium est Deus ipse per rationes causales omnium, quas penes se habet, in quo euentus omnium contingentium determinantur, ac certissime eorundem futura praesentialitas à Deo praesentialiter cernitur, suae vtique praesens ab aeterno notitiae. Et à sanctis Prophetis & Angelis in eisdem rationibus aeternis Deo reuelante non solum coniecturaliter, sed etiam certitudinaliter cognoscuntur: Sicut docet S. Thomas in multis locis:

Ad 5. Cum dicunt S. Thomā posuisse Deum cognoscere alio modo effectus contingentes, quam prout sunt in suis causis quasi ab ipsis sibi in aeternitate coexistentibus cognitionem recipiendo: Et hoc S. Thomam posuisse, manifestum est quod falsum dicunt apertissimum, quod patet cuilibet recto oculo respicienti dicta S. Th. Cū. n. dicit S. Th. quod omnia quae sūt in tépore sūt Deo pręsentia, prout sūt in sua praesētialitate, Intédit dicere & satis clare, quod diuinae notitiae praesens est omniū quę sūt successiue in tempore praesētialitas & actualis existētia ab eo aeternaliter cognita, nō tū coaeternaliter existés in natura ꝓpria: Nec op⁹ si aliquid sit diuinę notitię vel etiā nostrae pręsēs propter hoc sit pręsēs in se existés. Manifestū est. n. ꝙ intellectus noster super pręsētiā & actualē existētiā rei fertur: quę nō est sed praeterijt, quia habet speciē eius in se praesētē. Ad 5.

Mani-

Manifestum est ergo quod multo fortius Deus qui habet penes se omnium rerum rationes præsentes, ipsas perfectissime intelligendo poterit præsentialiter ferre intuitum sui intellectus super omnium præsentialitates antequam essent. Non ergo à non existentibus cognitionem recipit. Ad hoc ergo non entia cognoscendo essentiam suam nouit futura super præsentialitate quam erant habitura præsentialiter, quia æternaliter intuitum suũ ferendo, omnia enim nuda sunt oculis eius, qui non cognoscit per receptionem, nec est in potentia sciens, cuius scientia non causatur à creaturis, nec eius potentia cognitiua ab ipsis creaturis perficitur, hoc enim Deo attribuere est absurdissimum, quæ nunquam ex dictis S. Thomæ concludi possunt, sed per eius doctrinam vbique declaratur hæc & his similia nullo modo posse conuenire Deo, cui est honor & gloria.

ARTICVLVS IV.

DE Hoc quod Thomas dicit quod res quædam ideas proprias non habent in Deo. In q. 15. art. 3. cum quæritur, vtrũ omnium quæ cognoscit Deus sint ideæ in eo, vbi sic arguit. *Deus cognoscit materiam primam, quæ nullam potest habere ideam cum nullam habeat formam.*

Præterea, *Deus non solum species sed & genera & indiuidua cognoscit, & etiam accidentia, sed horum non sunt ideæ secundum Platonem.* Et in *responsione 3. argumenti de materia dicit, quia nos ponimus*

ponimus materiam creatam à Deo, non tamen sine forma, habet quidem materia ideam à Deo, sed non aliam ab idea compositi, quia materia secundum se neque esse habet neque cognoscibilis est.

CORRVPTORIVM.

VIDETVR hoc erroneum, quia Deus habet ideas omnium, quę potest facere, cum nihil possit facere nesciens, sed potest facere materiam sine forma, sicut determinatum est à magistris, sicut in Sacramēto altaris facit existere accidentia sine subiecto, quæ magis dependent à subiecto quam materia à forma, ergo materia habet ideam distinctam in Deo, etiam secundum quod idea est principium operationis & exemplar, quod ipse negat. *Prima ratio.*

Item videtur quod magis sit ponendum quod Deus habeat ideam distinctam materię quam compositi, cuius contrarium ipse dicit. Dicit enim *Commentator commento tertio in principium physicorum sup. 3. particulam, quod in rebus artificialibus causa notiores sunt apud artificem quam compositum, quia ex causis ex materia & forma facit compositum, vnde si nos faceremus res naturales: tunc causa essent notiores apud nos.* hæc Comment. ergo apud Deum qui est opifex omnium rerum naturalium, notiores sunt materia & forma quam totum compositum, quia ex causis sicut ex materia & forma facit compositum, ergo secundum rationem intelligēdi prius & expressius siue distinctius habent ideas in ipso. 2.

3. Præterea, in responsione argumenti quarti de genere & accidentibus dicit S. Thomas quod genus non potest habere aliam ideã ab idea specierũ, secundum quod idea significat exemplar, quia nunquam fit nisi in aliqua specierum. Similiter est de accidentibus quæ inseparabiliter consequũtur subiectũ, quia hæc simul fiunt cum subiecto. Accidẽtia vero quę superueniunt vt picturæ habent specialem ideã. Quod dicitur de idea generis falsum videtur, quia sicut dicitur 16. de animalibus. Embrio prius est animal quam equus vel homo. Et constat quod illud indiuiduum in via generationis vt sit homo vel vt sit equus, iã est indiuiduũ generis, & nondum est indiuiduũ alicuius speciei, & forma generis actu & per se existit in ipso ante formam omnis speciei, ergo necesse est quod per ideam aliam ab idea speciei cognoscatur & producatur à Deo.

4. Similiter quod dicit quod accidentia inseparabilia à subiectis non possunt habere ideã aliam ab idea subiecti. falsum est. Omnia enim illa distinctas habent ideas quæ per se distincte possunt produci & existere, sed huiusmodi accidentia distincte possunt existere absque subiecto, sicut firmissime credimus in Sacramento altaris, ergo necesse est quod distinctas ideas habeant. Hæc sunt verba eorũ.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

AD sciendum quæ debent dici habere proprias ideas in Deo. Sciendum quod sicut in multis locis docet S. Th. Idea in

Deo

Deo dicitur ipsa eius essentia ab eo intellecta cum habitudine ad res creatas, quæ possunt intelligi vt sunt ab eo in existentia producibiles, vel prout sunt in propria ratione cognoscibiles, secundum hunc modum dicitur essentia Dei idea rerũ, prout ipsa intellecta est ratio innotescẽdi earundẽ in ratione propria, secũdũ vero aliũ modũ dicitur essentia diuina idea prout ipsa quasi practice intellecta est exemplar iuxta quod res sunt per se in esse producibiles. Primo mõ ergo habent ideas in Deo proprias omnia quæ aliquo mõ possunt in ratione propria cõsiderari. Sed secundo mõ illa, tantum dicuntur proprias ideas in Deo habere quæ sunt per se in esse producibilia.

Per hæc patet responsio ad primum de materia, quando.n.dicit. Erroneũ est ponere materiã primam non habere ideam, quia Deus potest eam facere vt existat per se sine forma. *Ad primũ*

Dicendũ quod licet aliqui magistri hoc posuerunt, oppositũ tamen demõstratur ab alijs maioribus limpidius naturã materiæ cõsiderantibus, vnicuique enim potentiæ correspõdet proprius actus intantũ quod dare actũ vnius alteri remanẽti in propria natura includit cõtrãdictoria, verbi gratia quod potentiæ auditiuæ inquãtũ huiusmodi detur actus potentiæ visiuæ proprius. Cum ergo materia sit propria potentia respectu formę quæ est proprius actus, dare sibi actum proprium alterius potentiæ actualem scilicet existentiam, quæ est proprius actus, formæ vel quidditatis ex materia & forma compositæ includit

Digitized by Google

contradictoria. Nec est simile de accidentibus in Sacramento altaris, cum sint formæ quarum naturæ competit esse in actu, hoc autem infra plenius patebit.

Ad secundum. *Ad secundum dicendum*, quod ratio illa non probat, nisi quod tam materia quam forma habent propriam ideam, prout idea dicitur ratio innotescendi vniuscuiusq;, prout potest aliquo modo in ratione propria considerari. Isto modo concedit S. Thomas materiam posse habere propriam ideam in quæstionibus de veritate.

Ad tertiũ. *Ad tertium de genere*, quando dicit quod forma generis est actu existens in illo indiuiduo embrionis ante formam omnis speciei. Dicẽdum quod hoc falsum est & omnino impossibile secundum philosophum, forma enim generis nec esse nec produci põt nisi in aliqua specie, sicut enim semen vel sanguis qui ordinatur ad generationem hominis vel equi per formam suam, quæ ante productionem rei generandæ corrumpitur in specie constituitur. Ita embrio qui similiter licet propinquius ordinatur ad generationẽ eorundem in productione eorum corrumpitur, & prius per propriam formam in specie constituebatur, hoc patebit euidentius vbi de vnitate formæ agemus.

Ad quartũ *Ad quartum* dici potest quod sicut accidentia quæ superueniunt rei productæ secundum S. Thomam habent ideas proprias, licet non existant per se, per hoc quod non producuntur nisi in subiecto, eodem modo accidentia

Digitized by Google

dentia inseparabilia panis, licet miraculose existant sine subiecto, quia tamen producta erant, in eius productione non habent aliam ideam ab idea quā prius hebuerunt. Si dicas sicut nunc existunt per se virtute diuina, ita possent per se produci à principio. Concedatur, sed certe sicut tunc aliam habuissent productionem, ita & suæ productionis aliam rationem idealem in Deo haberent, cui est honor & gloria. Obiectio.

ARTICVLVS V.

EX q. 25. art. 6. in responsione. 3. argumenti. *quod vniuersum suppositis istis rebus non potest esse melius propter decentissimum ordinem istis rebus à Deo tributum, in quo bonum vniuersi consistit, quorum si vnum aliquod melius esset, corrumperetur proportio ordinis. Sicut si vna corda plus debito tenderetur, corrumperetur citharæ melodia.* *Vniuersum non potest esse melius.*

CORRVPTORIVM.

HOc est contra veritatem fidei, quæ tenet quod post iudicium non tantum vniuersum poterit esse melius, sed erit tunc melius quando scilicet corpora cœlestia & elementa mutabuntur in melius, facta mutatione in qualitatibus eorum & non in substantijs eorum, sicut dicit glo. super illud primæ Corin. 7. *præterit figura huius mundi.*

Digitized by Google

Ad rationem S. Thomæ. Ad illud autem quod dicit proportionem corrumpi & ordinis decentiam, si vnum aliquid melioraretur. Dicimus quod proportio & decentia inter partes vniuersi non intelligitur tantum secundum vnum tempus determinatum & partium quæ sunt in vno tempore signato, sed secundum cursum totius temporis ab exordio mundi vsque in finem. Vnde decentia & proportio ordinis vniuersi non est de permanentibus semper vno modo & tantum vno tempore: sed de habentibus esse in successione totius temporis. Item exemplum non valet de chorda plus debito tensa, quia quando vniuersum meliorabitur, nulla pars in bonitate extendetur plus debito, quia sicut vna meliorabitur, ita proportionabiliter & alia. Et ita sicut manebit idem vniuersum & eædem partes melioratæ, ita proportio eadem, sed meliorata. Hæc sunt verba eorum.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

ISTI si verba S. Thomæ in solutione quæstionis bono oculo respexissent, nunquam sic in responsionem huius. 3. argumenti impegissent, nec aliquid omnino contra fidei veritatem inuenissent. Ibi enim veritatem declarando, sic dicit. *Bonitas rei est duplex, vna quidem quæ est de essentia rei, sicut rationale habet*

Duplex bonitas.

habet rationem bonitatis quæ est de essentia hominis, & quantum ad hanc bonitatem Deus *non potest aliquam rem facere meliorem, quia non potest facere quaternarium maiorem, quia si esset maior, iam non esset quaternarius sed alius numerus. Sic autem se habet additio differentiæ substantialis in diffinitionibus, sicut se habet additio vnitatis in numeris, sicut dicitur in 8. metaphysica. Alia est bonitas quæ est extra essentiam rei, sicut bonum hominis est esse virtuosum & esse sapientem, & secundum tale bonum potest, Deus res à se factas facere meliores. Simpliciter tamen loquendo potest qualibet res à se facta aliam facere meliorem*. Ex his patet quod ipse docuit Deum posse facere mundum meliorem, quo ad qualitates partium eius quæ non sunt de essentia partium earundem, sicut fiet post iudicium. Quantum vero ad bonitatem quæ est de essentia partium vniuersi suppositis istis rebus non potest vniuersum fieri melius. Ex his patet ad obiecta responsio, quia omnia procedunt ex falso intellectu positionis, sicut manifestum est omni inspicienti. 8. meta.

Articvlvs VI.

Mvndvm incepisse non posse demonstrari. *vnde quæst. 46. artic. 12. in responsione principalis quæstionis dicit* Di initio mundi.

Digitized by Google

mundum incepisse est de articulis fidei siue credibile non scibile, sicut nec trinitatem in diuinis esse. Quod probat primo sic, *quia fides est de non apparentibus, ad Hebr. 11. Sed non apparentia creduntur, non sciuntur. Mundum autem incepisse per creationem est articulus. Dicimus enim. Credo in Deum patrem omnipotentem creatorem cœli, &c.*

In argumento sed contra.

Item mundum incepisse habetur per reuelationem & prophetiam, secundum S. Gregorium super Ezech. dicente Moyse. *In principio creauit Deus cælum & terram*, ergo non scitur per demonstrationem.

Homilia 1.

Item non potest hoc demonstrari à parte mundi, *quia principium demonstrationis est quod quid est, vnumquodque autem secundum rationem suæ speciei abstrahitur ab hic & nunc, vnde non potest demonstrari quod homo & lapis non semper fuerunt.*

In Responsione.

Item nec nouitas mundi potest demonstrari ex parte causæ agentis, quæ agit per voluntatem. Voluntas enim Dei ratione inuestigari non potest circa ea quæ absolute non est necesse Deum velle, talia vero sunt quæ circa creaturas fiunt, potest autem voluntas Dei manifestari per reuelationem cui fides innititur, & ideo mundum incepisse est credibile, non scibile, & hoc inquit est vtile si consideretur, ne forte aliquis quod fidei est demonstrare præsumens rationes non necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus, existimantibus nos credere quæ fidei sunt propter huiusmodi rationes.

COR-

Digitized by Google

CORRVPTORIVM.

IN ista positione tria falsa continentur in ratione positionis. Vnum est quod ea de quibus est fides credũtur & non sciuntur. Et aliud est quod mundum incepisse sola fide tenetur, & demonstratiue probari nõ potest. Tertium est quod non est præsumendum demonstrare quæ fidei sunt, & hoc expresius dicit in *quæstionibus disputatis de potentia Dei, quæst. 3. art. 17.* vbi quærit, *Vtrum mundus semper fuerit*, vbi in responsione quæstionis auisat cauendum esse ne ad ea quæ fidei sunt aliquis demonstrationes adducere præsumat.

Refutatio primi argumenti S. Thom.

Primum quod dicit, quod ea de quibus est fides creduntur & non sciuntur. Dicimus quod falsum est & contra sacram scripturam & cõtra sanctos, & contra doctores, & est in se occasio hesitandi & non firmiter credendi. Quod hoc sit falsum patet. Constat enim quod Deũ esse est credibile, dicẽte Apostolo ad Hebræos. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum quia est.* Et constat quod Deũ esse est demonstrabile per rationes. Nam Philosophi demonstrauerunt primam causam esse. Similiter Deũ esse vnum est demonstrabile & credibile, similiter Deum esse æternum.

Hoc etiam videtur esse contra sacrã scripturam Isa. 7. secundum aliam translationem. *Nisi credideritis non intelligetis.* Et prima Petri tertio. *Parati semper ad satisfactionem omni poscẽti vos rationem de ea quæ est in vobis fide & spe.*

Digitized by Google

1. Pet. 3. v. 15. Hoc est etiam contra S. August. & Richardum de sancto Victore. Ait enim S. Augustinus sic in libro de vera religione. *Illa omnia quæ primo credimus, nihil nisi auctoritatem secuti partim sic intelliguntur, vt videantur esse certissima; partim vt videantur fieri atque opportuisse fieri.* Et Richardus primo de trinitate, c. 4. ait. *Erat itaque intentionis* nostræ *in hoc opere ad ea* quæ *credimus inquantum Dominus dederit, non tantum probabiles, verumetiam necessarias rationes adducere. Credo namque sine dubio ad quorumlibet explanationem non modo probabilia, verum etiam argumenta necessaria non deesse.*

4. *Secundum etiam quod dicit*, scilicet quod inceptio siue nouitas mundi demonstratiue probari non potest. Dicimus quod falsum est, quia quamuis inceptio vel nouitas mundi non possit demonstrari demonstratione potissima dicente propter quid, potest tamen demonstrari vel probari deducendo ad impossibile de infinitate animarum, si mundus fuerit æternus, & quod infinita sunt pertransita. Ambas istas rationes de transitu infinitorum, & infinitate animarum ipse ponit obijciendo de nouitate mundi, & conatur dissoluere eas, & veritatem infinitam inuoco quæ Deus est, teste conscientia mea, quod nec vere nec apparēter nec philosophice nec theologice eas dissoluit. Verbi gratia, ad illam de infinitate animarum respondet multipliciter secundum ponentes æternitatem mundi, quod quidam non reputant impossibile esse infinitas animas actu. Alij dicunt

Sententia varia de anima.

quod

quod anima corrumpitur corrupto corpore. Quidam dicunt quod ex omnibus remanet vna tantum. Alij posuerunt circulationem animarum, vt scilicet animę post determinata curricula temporum separĕtur multotiens, & multotiens redirent ad corpora. Post istas falsitates absurdissimas ipse ponit suam, dicens, quod posset aliquis dicere, quod mundus esset æternus in aliqua eius parte vt Angelus, non homo, & sic conatur defendere opinionem ponentium, æternitatem mundi, & eam negat. Dicit enim Philosophus (cuius opinionem ipse defendit) in libro de vegetabilibus, *quia mũdus* totalis est perpetu⁹, nec cessauit vnquam generare animalia & plantas, & omnes species suas. Vnde patet quod omnibus modis mentita est iniquitas sibi.

Tertium quod dicit. Cauendum est valde adducere rationes necessarias ad ea quæ sunt fidei. Dicimus quod hoc falsum est, & contra fidem & sacram scripturam. Quia scriptum est prima Petri 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ est in vobis fide & spe &c.* 3.

Est etiam contra sanctos. Vnde sanctus Augustinus *de trinitate, & alijs libris suis*, & Richardus *in libro suo de trinitate*, nituntur probare non tantum credere quod fides tenet de trinitate. Et ipsemet S. Thom. fecit librũ cõtra Gentiles, in quo vtitur rationibus *S. Aug. de Trinit.*

contra

contra ipsos pro fide. Si autem fides probari non posset nec deberet, inutiliter laborasset, vnde sicut illud fecit in fauorẽ fidei, sic istud est in præiudicium fidei & sanctorum, & etiã contra rationem, nam si ratio reddenda est de fide, vt dicit Beatus Petrus, & ratio demõstratiua reddi potest, vt probatum est per S. Augustinum & Richardum, magis expedit reddere rationes necessarias & demonstratiuas quam topicas & sophisticas.

Responsio ad rationes S. Tho.

Ad rationes S. Thomæ. Ad primum ergo dicendũ quod licet fides sit de non apparentibus, quæ scilicet non habent causam euidentem nobis, & propter quid habent tamen signa & effectus quibus demonstrentur. Non enim solũ demonstratio propter quid facit scire, sed etiam demonstratio quia. Præterea cum dicimus, fides est de non apparentibus, non intelligitur quod omni tempore fuerint non apparẽtiæ, sed quãdiu de illis est fides nisi interpretatiue, quia videlicet homo esset paratus credere eadem, etiam si nesciret vel nõ sciret ea per rationem, & ob hoc non euacuatur meritum fidei.

2. *Ad secundum dicendum*, quod licet creatio mundi innotuit primo per reuelationem, potest tamen & potuit per ingeniosos sciri & probari demonstratiuè deducendo scilicet ad impossibile. Nihil enim prohibet quin Deus posset reuelare veritates innumerabiles, quæ tamen sunt demonstrabiles. Sed fides non innititur huiusmodi demonstrationibus, sed primæ veritati reuelanti, gaudet

tamen

Digitized by Google

tamen demonstratione quando potest haberi.

Ratio etiā tertia nō valet, quia nō omnis demonstratio, est propter quid siue per causam, sed aliquæ sunt per signa & effectus,& deducentes ad impossibile. 3.

Præterea nō obstat quod nó est nisi vnus mūdus, sicut non obstat quod nó est nisi vna luna & vnicus sol,quin possit demōstrari ecclipsis de vtroque demonstratione vniuersali, & conueniret multis si essent ita de isto mūdo. Itē nec propter aliud,quia diffinitio subiecti non est medium in demonstratione, sed passionis,id est maioris extremitatis.

4. *Ad quartum dicendum*, quod licet voluntas Dei non possit inuestigari per priora, potest tamen quantum se nobis manifestat per posteriora. Vnde dicimus quod voluntas Dei de mundo creando ante mundi creationem sciri non potuit nisi per reuelationem, si fuisset cui fieri potuisset reuelatio, sed post mundi creationem ex ipso mundo creato sciri potuit Dei voluntas. *Inuisibilia enim per ea quæ facta sunt* &c. Hæc sunt verba eorum. *Rom. 1.*

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

Responsio

ISta tria quæ in istius quæstionis positione & eius rationes sunt, neque falsa sunt neque absurda, sed verissima si intelligantur. Donet nobis Deus intellectum in omnibus, vt veritatem agnitam diligamus.

Ad 1. argumentū corruptoris.

Primum enim quod dicit S. Thomas, quod ea de quibus est fides credunt & non sciunt, loquendo de articulis fidei, quorum vnus est mun-

mundum ex tempore incepisse, constat secũdum sacram scripturam & omnes catholicos doctores verissimum esse. Hic enim secundũ Apostolum *videmus per speculũ & in ænigmate*, per fidem enim ambulamus, nõ per speciem. Quædam tamen sunt demonstrabilia per rationem demonstratiuam; quæ simpliciores sola fide tenent, cuiusmodi sunt Deũ esse incorporeum æternum, immutabilem, & etiam Deũ esse. Pro quo dicit Apostolus ad Heb. 11. *Accedentẽ ad Deũ oportet credere quia est*; quæ nõ sunt articuli fidei. Et ideo talia docet S. Tho. contra Gentiles de Deo esse probanda, & talia sunt quę philosophi de causa prima probauerũt, & per hoc patet respõsio ad primũ.

2. *Ad secundum dicendum*, quod suppositis articulis fidei omnibus vel aliquibus, tanquam principijs certissimis à superiori scientia, scilicet Dei & beatorum acceptis, poterunt plura demonstratiue probari ac intelligi etiam in via, ad quæ intellectus sine lumine fidei non poterit deuenire siue non deueniret, & ideo recte dicitur. *Nisi credideritis nõ intelligetis*, illa principia præcipuè quæ faciunt videre, quod ex his quæ fidei sunt nullum sequitur inconueniens aut impossibile, quod infideles non capiunt ea quæ sunt fidei, omnia impossibilia reputantes, quibus oportet rationabiliter satisfacere veritatem fidei declarando, & quod nullum sequatur inconueniens ostendẽdo. Et

Ad dictũ. sic habet intelligi illud primæ Petri 3. *Semper parati ad satisfactionem omni poscenti &c.*

S. August. *Ad tertium dicendum*, quod illud S. August.

facit

facit pro S. Thoma. Docet enim S. Thomas. *libro primo contra Gentiles, ca. 4.* quod quædam veritates de diuinis, ad quas per inquisitioné rationis perueniri potest, non frustra supernaturali inspiratione traduntur nobis credédæ. Alioquin paucis hominibus, & post longum tempus, & non sine multis erroribus huiusmodi veritates innotescerent, & talia sũt quæ primo solam auctoritatem secuti credimus, quę postmodum sic intelliguntur vt videantur certissima, sed ipsos articulos qui sũt omnino supra rationis inuestigationem, nullo modo contingit sic videre vt ostendãtur demonstratiue, nec est aliqua scientia quæ possit demonstrare sua principia, sed ex ipsis alia. Cum ergo articuli sint prima principia in theologia, non poterunt demonstrari. Immo sicut intellectus per habitum naturalé qui dicitur intellectus principiorum, assentit primis principijs aliarum scientiarũ, sic istis principijs in theologia, sed articulis qui excedũt rationem naturalem per habitũ supernaturalem, sc. per lumé fidei assétimus.

contra gẽtiles l. c. 4.

Fidei articuli sunt prima principia.

Ad illud de Richardo dicendum, quod verum est quod dicit Richardus ad quorũlibet explanationem argumenta necessaria nõ deesse. Suppositis enim aliquibus articulis fidei, arguméta necessaria possunt haberi ad probãdũ multa quæ ad fidé pertinent, etiã aliquos articulos, sicut Apostolus supponendo resurrectionem Christi probat resurrectioné nostrã futuram, *prima ad Cor. 15.* Simpliciter tamé & absolute nullo supposito q ad fidé pertinet,

Ad autoritatem Richardi.

impossi-

impoſsibile eſt aliquem articulum fidei probare demonſtratiue. Ex his patet quod primum veritatem habet, nec eſt contra ſacram ſcripturam, nec contra aliquem ſanctorum.

Ad 2. *De ſecundo quod iſti dicunt eſſe falſum ſcilicet quod S. Thomas dicit*, quod inceptio ſiue nouitas mundi demonſtratiue probari non poteſt ex dictis, poteſt concludi nec eſſe falſum, nec contra doctrinam ſanctorũ. Omnes enim rationes quæ ad hoc poſsũt adduci nullo ſuppoſito quod ad fidẽ aliquo modo pertinet, poſſunt impediri, ſicut docet S. Thomas *contra Gentiles, lib. 2. cap. 31. & alibi.*

S. Th contra gẽtes 2. cap. 31. Ad *illud ergo quod dicunt*, quod illud poteſt demonſtrari deducendo ad impoſsibile concedi poteſt & debet, quia bene contingit deducere ad impoſsibile, facta ſuppoſitione aliquorum quæ fide tenentur, quod tamen impoſsibile non apparet illis qui ſoli rationi naturali innitũtur. Quando vero dicunt (vt iuuamentum, argumentum omnino infirmum prætereamus) poſt alias falſitates abſurdiſsimas ipſe dicit ſuam, & conatur defendere opinionem ponentium æternitatem mũdi & omnibus modis mentita eſt iniquitas ſibi.

Modeſtiſſima reſpõſio. Dicendum nobis eſt ad iſtas blaſphemias exemplo Chriſti humiliter, quod non eſt ita ſalua pace eorum. Nullum enim horum habet veritatem. In primis enim S. Thomas nullam dicit falſitatem, dicendo quod poſſet fingi quod mundus eſſet æternus quo ad aliquas ſui partes, licet homo non eſſet ab æterno, ſed ſolum tangit quandam viam per quã poſſent aliqui

aliqui euadere illam rationem de infinitate animarum. Sicut enim Doctores græci posuerunt Angelicam naturam per multa sæcula côditam, prout recitat S. Hieronymus, & habetur *secundo lib. sententiarum*, ante istũ mundũ sensibile non inesse productã, sic fingerent aliqui pro infinitate animarum vitanda mũdũ fuisse per tempus infinitũ ante productionẽ primi hominis, & si nihil omnino supponatur quod ad fidem pertinet, quo modo isti vel alij probarent huius oppositum demonstratiue. Nec conatur S. Th. defendere opinionem ponẽtium æternitatem mundi, immo destruit eam efficacissime omnes rationes eorũ quas quidam ipsorũ demonstratiuas reputabat sophisticas, immo omnino nullas ostẽdendo, hic & alibi, præcipue *2. li. contra Gentiles, c. 34. & 35.* per totum. In hoc ergo non est mẽtita iniquitas sibi, sed philosophorũ errore reprobato manifestata est veritas ac declarata ad laudem Christi & honorem. *2. Sent.* *2. contra gentes 34. & 35.*

Tertium quoque quod dicit S. Th. quod cauendũ est demõstrationes adducere ad ea quæ fidei sunt, manifestum est ex dictis esse verissimũ. Dicere .n. rationes demonstratiuas posse haberi ad ea quæ sunt fidei solius, cuiusmodi sunt omnes articuli eius, omnino derogat auctoritati eorundem, vt patet ex præhabitis.

Ad illud 1. Petri 3. dictum est supra, & quando dicit, sancti nituntur probare & non tantum credere ea quę sunt fidei. Dicendum, quod sancti non intendunt ad ea quæ sunt fidei maxime quæ sunt articuli fidei *Ad 3.*

Digitized by Google

rationes demonstratiuas adducere, sed rationibus probabilibus & exemplis ipsam fidem declarare. Vnde August. 15. *de trinitate dicit omnia exempla esse defectiua, vel deficientia.*

S. *Aug.* 15. *de Trini.* S. *Th. l.* 10. *contra gentiles ca.* 9.

Et quod dicit de Thoma qui *libro primo contra Gentiles* fecit rationes contra ipsos pro fide *cap.* 9. eiusdem libri soluitur, vbi dicit, *circa duplicem veritatem diuinorum esse intentionem sapientis. Et circa errores contrarios destruendos, ad quarum vnam inuestigatio rationis pertingere potest, alia vero omnem rationis excedit industriam. Dico autem duplicem, veritatem diuinorum non ex parte Dei qui est vna simplex veritas, sed ex parte nostra cognitionis quoad diuina cognoscenda diuersimode se habet. Ad prima ergo veritatis manifestationem per rationes demonstratiuas quibus aduersarius conuinci possit est procedendum. Sed quia tales rationes ad secundam veritatem haberi non possunt, non debet esse ad hoc inteptio vt aduersarius rationibus conuincatur, sed vt rationes quas contra veritatem habet soluantur.* Hæc erat etiam intentio omniũ sanctorum qui de pertinentibus ad fidẽ tractauerunt. Et cum subdunt quod secundum rationem melius est rationes demonstratiuas quam topicas vel sophisticas adducere, verum dicunt in his in quibus possunt haberi, quod non est in proposito.

Ad rationes contra S. Tho. allatas respon. Ad primam.

Contra responsionem eorum ad rationes S. Thomæ. Euacuatis igitur hoc modo istorum cauillationibus, restat videre qualiter rationibus S. Thomæ non respondeant, quando *dicunt ad primam.* Fides est de non apparentibus

bus quæ non habet causam euidentē propter quod, habent tamen signa & effectus quibus demonstratur, manifestum est quod non dicunt verum, nullum enim est signum vel effectus creatus, immediante quo aliquis articulus fidei posit demonstrari, quia semper articuli fidei sunt de non apparentibus, donec fidei in via succedat visio in patria. Et sic manifestum est quod illud quod dicunt esse falsum, scilicet quod non intelligitur quod est de non apparentibus omni tempore, hoc enim falsum est, si loquuntur omni tempore pro statu viæ in quo ambulamus per fidē. Dicere enim quod homo in statu viæ non habet fidem de articulis fidei nisi interpretatiue vt ipsi dicūt, sed scientiam, est ponere hominem in statu viæ existentem in quo per fidē ambulamus secundū Apost. esse extra statum viæ, & sic contradictoria esse simul vera.

Similiter quo ad secundum dicunt, quod Deus aliquas veritates demonstrabiles per rationē potest reuelare & reuelauit vt dictum est, debet concedi. Sed istæ veritates si articuli fidei sunt, sunt supra rationem omnino & non sūt demonstrabiles, sed sola reuelatione innotuerunt, & innotescunt infidelibus, vnde illa responsio innititur falso,

Quod autem dicunt ad tertium, quod nō omnis demōstratio est propter quod, sed aliquæ sunt per effectus & ducentes ad impossibile, verum dicunt, sed nihil ad propositum, quia articuli fidei neutro modo possūt demōstrari vt dictū est aliter quā supra dictū est, sc. aliquo vel aliquibus suppositis. D 2 Si-

Similiter hoc quod dicunt, quod licet vnicus sit sol & vnica luna, nihil obstat quin possit ecclipsis demonstrari de vtroque demonstratione vniuersali, & coueniret multis si essent illa in isto mundo. Manifestum est quod mirabiliter male aptatur ad propositū. Demonstrationes enim illæ innituntur causæ qua vniuersaliter & semper posita de necessitate ponitur effectus. Adducere autem causam cui consimili modo possit inniti demonstratio de nouitate mundi nullo penitus supposito est omnino impossibile, & sic patet quod exempla illa nihil faciunt ad propositum.

4\. *Quod tandem dicunt ad quartam rationem*, quod post mundi creationem ex ipso mundo creato ipsa Dei voluntas sciri potuit, verum dicunt quod ad aliquam, non tamen quo ad hoc quod mundum de nouo in esse produxit, quia non est per demonstrationem scibile, sed sola ratione credibile, cum sit articulus fidei.

ARTICVLI VII.

S. Th. 1. p. q. 46. art. 2. ad 1.

DICIT S. Thomas quod non sequitur, si Deus est causa actiua quod sit prior duratione secundum eos qui ponunt mundum æternum. Vnde eadem quæstione & eodem articulo in responsione primi argumenti ita dicit. *Considerandum est quod causa efficiens qua agit per motum de necessitate præcedit tempore suum effectum, quia effectus non est nisi in termino actionis,*

pis, agens autem oportet esse principium actionis. Sed si actio sit instantanea, non successiua, non necessarium est faciens esse prius facto duratione, sicut patet in illuminatione. Vnde non sequitur de necessitate, si Deus est causa actiua mundi, quod sit prior mundo duratione quia creatio quia produxit Deus mundum, non est mutatio successiua, vt supra dictum est.

Licet Deus sit causa actiua mundi nō tamē ideo prior mūdo duratione.

CORRVPTORIVM.

HIc videtur nimis expresse dicere aliqua, ex quibus sequatur quod creatio mundi potuit esse ęterna. Ex hoc enim quod dicit *si actio sit subitanea & non successiua, non est necessarium faciēs esse prius facto duratione.* Et post subdit, *quod creatio qua Deus mundum produxit, non est mutatio successiua,* sequitur quod Deus non est necessario prior creatione mundi secundum duratione͂, & hoc est dicere mundi creationem Deo esse coæternam esse possibile, quod est simpliciter falsum, & valde propinquum errori ponentium mundum esse æternum. *Quod autem hoc non sit possibile videtur sic.* Constat enim quod inter omnes partes mundi maxime potest dici de Angelo & cœlo, quod sunt facta ab æterno, sed probatur quod nec de illis, *arguo sic,* factum esse in nulla re, est absque fieri vel præcedente secūdum durationem vel saltē concommittante, quia omne quod factum est vel est factum successiue & per motum: & tunc fieri præcedit factum esse duratione; vel subito est factū

Ratio 2.

 sine

Digitized by Google

fine successione, & tunc simul sunt fieri & factum esse. Sic igitur patet dicta propositio, scilicet quod de omni re facta verum fuit dicere quod ipsa sit hoc vel antequam facta esset, vel simile cũ facta est, ergo de cœlo facto verum fuit dicere quod cœlum sit. Vnde si prius quam factũ esset verũ fuit ipsum fieri, ergo cœlum non fuit ab æterno. In illis enim in quibus fieri præcedit factum esse quod fit non est dum fit, sed tunc primo quando factũ est. Si autem in cœlo sunt hæc simul vera, cœlum fit & factũ est, aut ergo duo fuerunt sẽper & sunt simul vera, aut pro aliquo instanti determinato. Si fuerunt & sunt semper vera, de cœlo fit & factum est, ergo etiã vt videtur verum esset dicere, nunc cęlũ fit, quod nullus diceret, cum cœlum inter entia sit permanẽtissimũ. Si autem pro aliquo vno instanti signato fuerunt simul vera cœlum fit & factum est, ergo ante illud instans non fuit cœlum, quia nihil est antequam fit vel factum est, ergo nõ potuit ab æterno verum esse cœlum esse factum, & pari ratione nec mundum.

Primo ipse ponit mundum factum de nihilo, quo posito videtur quod necesse sit mundum incepisse & habere esse post nõ esse, quãdo enim mundus factus est ex nihilo; aut hoc dicitur materialiter, aut solum negatiue, id est, nõ ex aliquo, aut originaliter: non materialiter, aut originaliter, quia nihil nullius est materia vel origo; non negatiue solũ, quia si solũ diceretur mundus factus ex nihilo, quia non est factus ex aliquo pari ratione propter eundem sen-

ſenſum, deberet concedi quod Deus pater eſt ex nihilo, quia eſt nō ex aliquo, hoc autē nullus concedit, ergo nec illud conceditur ſolum propter prædictū ſenſum. Reſtat ergo vt hoc dicatur ordinabiliter, aut ergo ordine naturę tantum, quod ſi ſic nulleitas ſiue noneſſe mūdi præcedit ſuum eſſe ſolū ordine naturæ & non duratione, ergo duratione ſimul fuerūt eſſe mundi & ſuum non eſſe, ſed qua ratione ante fuerunt, ſimul eadē ratione modo & ſēper. Non enim magis ſunt compoſſibilia vno tempore quā alio, ergo modo ſimul ſunt, immo ſemper non eſſe mūdi & eius eſſe, ergo ſicut modo verū eſt dicere mundū eſſe, ita verum eſt dicere mundum nō eſſe, quod cōſtat eſſe falſum. Si autem ordine actualis durationis non eſſe mundi præcedit ſuum eſſe, ergo mundum eſſe non eſt æternum, æternū enim à nullo præceditur.

Item ſi aliquid redigeretur in nihilum deſineret eſſe, nec poſſet habere infinitā durationem à parte poſt, ergo à ſimili ſi aliquid producitur ex nihilo, incępit eſſe, nec poteſt habere infinitam durationem à parte ante.

Vlterius ſciendum quod hoc quod dicit ad diſſoluendum argumentum, ſcilicet quod ſi actio ſit actio inſtantanea & non ſucceſſiua, quod non ſit neceſſarium faciens eſſe prius facto duratione. Sciendum eſt quod in aliquibus habet veritatem, & in aliquibus fallit, vbi enim faciens æternum producit effectum ſuum ex nihilo, neceſſe eſt faciens eſſe prius facto duratione, faciens enim nun-

Digitized by Google

quam non fuit, factum autem aliquando non fuit, quia scilicet fuit nihil. Quod autem nũquam non fuit necessario præcedit duratione illud quod aliquando non fuit, & ideo exemplum de pedis vestigio æternaliter existente in puluere sophisticũ est quantum ad productionẽ creaturæ ex nihilo, quia vestigiũ productum in puluere & de puluere non producitur ex nihilo, & eadem ratione exemplũ de igne & splendore sophisticum est quantũ ad creationem, quia splendor ex igne generatur nõ producitur ex nihilo immediate, sed quãtum ad generationem filij ex patre qui non est ex nihilo est exemplum conueniens.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

S. Aug. de ciuit. li. 11. c. 4. & li. 10. cap. 31. tom. 3 opiniones variæ de æternitate mundi.

VT istud quod isti per prædicta nitũtur improbare, melius intelligamus illam responsionem ad primũ argumentum *primi artic. q. 46.* ex integro videamus, vbi dicit S. Tho. *& Augustinus de ciui. Dei dicit, quod philosophorum ponentium, æternitatem mundi duplex fuit opinio. Quidam enim posuerunt quod substantia mundi non fuerit à Deo, quorum intolerabilis error refellitur ex necessitate. Quidam autem sic posuerunt mundum, quod tamen à Deo factum dixerunt, non tamen initium temporis mundum habere posuerunt, sed suæ creationis initium, & ita voluerunt vt quodam modo vix intelligibili, mundus semper factus sit. Id autem quomodo intelligant inuenerunt, vt idem*

vt idem dicit in 10. de ciuit. Dei. Sicut enim inquiunt si pes ab æterno fuisset in puluere semper vestigium à calcante factum nemo dubitaret. Sic & mundus semper fuit semper existente illo qui fecit. Et ad hoc intelligendum considerandum est quod causa efficiens quæ agit per motum de necessitate præcedit tempore suum effectum, quia effectus non est nisi in termino actionis siue motus. Agens autem oportet esse principium actionis. Sed si actio esset instantanea & non successiua, non est necessarium faciens esse prius facto duratione, sicut patet in illuminatione. Vnde dicunt quod non sequitur ex necessitate, si Deus est causa mundi actiua, quod Deus est prior mundo duratione, quia creatio qua mundum produxit non est mutatio successiua sed instantanea vt dictum est supra. Hæc ergo sunt verba S. Thomæ ex integro. Ex quibus patet quod nihil addit sententiæ S. Augustin. 10. *de ciui. Dei,* nisi quod explanat in fine modum illum vix intelligibilē, per quem illi philosophi ponebant mundi æternitatem. Pro quo nec S. Aug. nec etiam ipse qui dictum eius explanat est arguendus. Hoc tamen sciendum, quod sicut non potest demonstratiue probari mundū incepisse. Ita nec demonstratiue probari pôt mundum ab æterno esse. Et ideo rationes istas quas putant demonstratiuas, cum tamen vix sint probabiles respondendū est. *Qua. 45. art. 3.* *S. Aug. 10 ciuit. non poteš probari demonstratiue mundū incepisse.*

Ad primum cum dicunt, omne quod factū est fit aliquando, falsum est, si sumatur fieri pro mutari proprie. Manifestum est enim quod mundus factus est & creatus, secundum quod fides ponit, & tamē nō dicitur in sui creatione *Ad primū rationem corruptorius.*

 fieri,

Digitized by Google

fieri, sumpto fieri pro mutari proprie. Creatio enim non est mutatio, licet per modum cuiusdam mutationis intelligatur, sicut docet S. Thomas supra, *q. 45, art. 3. in responsione primi argumenti, & alibi multoties.* Si autem accipiatur fieri pro eo quod est accipere esse à faciẽte, sic verũ est, quod omne quod factum est fit. Sed hoc potest significari dupliciter. Vno mõ quod intelligatur ista acceptio esse cũ nouitate quadam & sic dicitur mundus creari siue fieri secundũ fidem. Alio modo vt intelligatur ista acceptio esse simplex sine aliqua nouitate, & sic posuerunt philosophi isti mundũ à Deo ab æterno fieri. Hoc est accipere esse sine inchoatione seu nouitate aliqua, & ita voluerunt, quod quodam modo vix intelligibili mundus semper sit factus, vt dicit S. Aug. vt scilicet, intelligatur in æternitate siue tempore infinito accipere esse à Deo, & hoc non repugnat permanentię mundi seu partiũ eius, & sic patet quod ratio ista non procedit.

Quomodo fieri accipiatur.

Ad 2. *Ad secundum dicendum*, quod philosophi isti non dicunt mundum ex nihilo ordinaliter, id est, post nihil, sed solum quia Deus ab æterno fecit mundum, ita quod nõ ex aliquo quia ex nullo tanquam materia. Nec valet instãtia de Deo patre, quia sicut non est ex aliquo, ita nec est factus vnde nullo modo potest dici factus ex nihilo.

Ad 3. *Ad tertium dicerent isti philosophi*, quod si aliquod ens intelligatur redigi in nihilum, necesse est quod sua duratio terminetur cũ suo esse. Sed si aliquid intelligatur produci in esse

ex

ex nihilo, id est, nõ ex aliquo secundum prædictum modum, non oportet quod eius duratio á parte ante habeat initium cum possit intelligi quod illud esse accipiat à Deo ab æterno.

Ad quartum cum dicunt, ad resistendum rationi istorum quod est factum de nihilo aliquando non fuit, ipsi secundum modum suũ ponendi hoc negant, vnde quod ibi dicitur, nihil valet ad propositum. Ex his patet quod illæ rationes quibus illi innituntur, nec probabiliter quidem concludunt. *Ad 4.*

ARTICVLVS VIII.

QVOD in rebus incorruptibilibus non est nisi vnum indiuiduum vnius speciei vnde. *q.47. art.2.* dicit, *quod in corruptibilibus non est nisi vnum indiuiduum vnius speciei, quia species sufficienter conseruatur in vno.* Et simile infra, *q.57. art. vltimo in responsione principali.* *incorruptibilibus datur vnum indiuiduum vnius speciei.*

CORRVPTORIVM.

HOc reputamus erroneum, quia cum anima intellectiua sit incorruptibilis, tunc non essent plures animæ intellectiuæ numero differentes, sed tantum vna, qui fuit error *Auerroís 3. de anima*, qui error est multipliciter contra fidem. 6. *conf.* 5. *t. conf.* 21.

Item hoc est contra philosophum secundo cæli & mundi, qui dicit quod corpora rotunda sunt multa propter generationem, 2. *conf.* 47. 2. *libri.*

Et est

3\. *Et est contra Commentatorem* super illud cœli & mundi, *volumus dicere de figuris stellarũ*, &c. *Omnia* (inquit Commentator) *corpora cœlestia sunt eiusdem natura specie, & corpora cœlestia sunt multa indiuidua in specie.*

4\. Item ratio sua non valet, quia in rebus corruptibilibus in vna & eadem specie non deberent esse plura indiuidua quam duo, quia in duobus sufficienter species saluatur; ad sensum autem videmus contrarium in innumerabilibus speciebus animalium. Vnde dicimus quod corruptibilitas indiuiduorum non est sola causa multiplicationis indiuiduorum sub vna specie, sicut patet per auctoritatem philosophi præallegatam scilicet, Com. 21. quod corpora cœlestia sunt facta propter generationem. Hæc sunt verba eorum.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

AD videndum qualiter in incorruptibilibus per naturam est tantum vnum indiuiduum vnius specie, sciendum quod huiusmodi incorruptibilia aut sunt formæ simplices per se subsistentes, quæ sunt substantiæ separatę, & sic necesse est quod differant specie cum sola differentia formalis possit in talibus inueniri quæ necessario variat speciem, aut sunt corpora composita ex materia & forma, tunc licet ratione quantitatis dimensiuæ à qua sumitur ratio distinctionis secundum numerum possint intelligi plura hu-

ta huiusmodi corpora solum numero differentia, vt plures soles, non tamen sunt in plura talia in natura producta, quia facta sunt in perfectione tanta quod materia est totaliter actuata à forma in vno indiuiduo, quod absque huius formæ multiplicatione sufficit ad perfectionem vniuersi, quia vnum numero indiuiduum in ipsis sufficit vniuerso, sicut vnus sol, vna luna, & ita de alijs.

Ad rationes eorum sic dicendum.

Ad primam quod anima intellectiua est principiũ formale speciei, scilicet hominis, & ideo cum forma habent numerari per materiam, hinc est quod ad differentiam materialem hominum sequitur necessario numeratio formę specificæ ipsius hominis siue ipsius animæ intellectiuæ. Illum autem errorem Auerrois de vnitate intellectus possibilis, destruit S. Thomas efficaciter in *tractatu de intellectus vnitate contra eundem*, vnde non fuit curiale errorem sibi imponere in hac parte. *Ad primũ*

Ad secundam dicendum, quod corpora cœlestia sunt plura secundum philosophum propter generationem intentione secunda, quia sunt rebus generabilibus nobiliora secundũ Commentatorem ibidem. Et ideo eorum differentia non tantum attendenda est penes hoc sed potius penes eorum principia essentialia, eo quod forma in talibus totaliter occupat materiam, ita quod non est ibi potentia ad aliam formam, licet ratione quantitatis dimensiuæ hoc posset intelligi vt dictum est. *Ad secundum.* *t. 2, com. 21*

Ad tertium dicendum, quod Commentator super *Ad tertiũ.*

secun-

secundum cælo & mundo intendit, quod omnes stellæ sunt eiusdem naturæ cuius est cœlum; super illud enim *volumus perscrutari postquam compleuimus sermonem de corpore primo, de stellis,* &c. dicit sic. *Iste sermo continet in se duas propositiones, quarum vna est, quod omne quod pars corporis naturaliter est ex natura illius corporis. Secunda est, quod stellæ sunt partes cæli naturaliter. Excluditur quod stellæ sunt naturæ cæli.* Hæc Commentator. Stellæ igitur vt videtur manifeste secundum ipsum, in vna natura cœli conueniunt, ita quod stellæ pertinet ad naturam illorum orbium quorum sunt partes, & stellæ diuersorum orbium sicut & orbes necessario erunt specie differentes, sicut manifeste patet de sole & luna. Quãdo vero dicit infra sicut isti obijciũt, quod sunt eiusdẽ naturę specie, & quod sunt plura indiuidua in specie, sic habet intelligi non quod conueniant in vna specie specialissima, & differant solum materialiter, hoc .n. est falsum, & patet quodammodo ad sensum in sole & luna, secundũ quod conueniant in natura quintæ essentiæ quæ neque est grauis neque leuis ratione cuius concluditur quod sunt figuræ consimiles, vt patet per Commentatorem ibidem.

Vbi supra.

Stellæ pertinent ad naturam orbium quorum sunt partes.

Ad quartũ

Ad quartum dicendum, quod in incorruptibilibus per naturam tota natura speciei sic saluatur in vno indiuiduo, quod tota potentia materiæ siue capacitas respectu talis formæ completur in illo, & non patet via multiplicationi materiali in talibus, sed solum formali vt dictum est. Non sic autem potest saluari natura

natura generabilium & corruptibilium in duobus nec in quantiſcumque indiuiduis in quibus materia eſt ſemper in potentia ad formam, & per conſequens non totaliter occupata.

Articvlvs IX.

Dicit S. Thomas quod non eſt poſſibile eſſe aliam terram quam iſtã. *In q. 47. art. vltim.* in reſponſione vltimi argumenti dicit, *quod non eſt poßibile eſſe aliam terram quam iſtam, quia omnis terra ferretur naturaliter ad hoc medium vbicunque eſſet, & eadem ratio eſt de alijs corporibus quæ ſunt partes mundi.* *non eſt poſſibile & ſit alia terra. S. Thom. 1. par. q. 47. art. vlt.*

Corrvptorivm.

Respondemvs cum iſta terra eſſe vel poſſe formari aliam, Cum enim hoc non ſit de operibus naturæ ſed potentiæ diuinæ dicere non poſſe eſſe aliam terram, eſt Deum dicere non poſſe facere aliam terram, quod derogat fidei dicenti Deum omnipotentem. 1. Quod autem pro ratione addit falſum eſt, quia motus alterius terræ ſi Deus faceret eam, non eſſet ad centrum huius terræ vel huius mundi, ſed tenderet ad centrum proprium mundi, quia illud medium eſſet illi propinquius, vnde illa ratio philoſophi ſupra adducta non valet ſine dubio. 2.

RESPON-

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

Ad primũ

DIci *poteſt ad inſtantiam qua parum ponderat*, quod non ſequitur, non eſt poſſibile eſſe aliam terram, ergo Deus non poteſt aliam facere, licet factio terræ ſolum pertineat ad potentiam Dei, verbi gratia, Illuminatio cæci vt videat tantum pertinet ad potentiam Dei, & tamen non ſequitur, cæcus non poteſt videre, ergo Deus non poteſt illuminare eum vt videat, & per hoc patet reſponſio ad primum.

Ad ſecundum.

Ad ſecundum dicendum, quod naturaliter loquendo ratio doctoris quam adducit optime procedit, cum hoc tamen ſtat quod Deus de potentia ſua abſoluta poſſit aliam terram & aliud vniuerſum facere.

ARTICVLI X.

S. Thom. q. 50. ar. 2.

QVod Angelus non eſt compoſitus ex materia & forma S. Thomas, *q.* 50. *art.* 2. in ſolutione principali dicit, quod Angelus non eſt compoſitus ex materia & forma, *Primo, quia ſi haberet materiam non eſſet diſtincta niſi per quantitatem, qua remota maneret indiſtinguibilis, vt habetur primo phyſicorum*, *ſed in Angelo non eſt quantitas*, *ergo nec materia*. *Secundo, quia operatio rei eſt ſecūdum modum ſubſtantia eius*. *Intelligere autem quod eſt operatio Angeli eſt penitus operatio immaterialis*, *ergo & Angelus eſt immaterialis*, *Tertio*, quia dicit *S. Dio. de diuin. no. c. 4.*

tex. 15.

S. Dion. de diuinus nominibus c. 4.

c.4. quod primæ creaturæ incorporales & immateriales intelliguntur. Idem ponit eodem *libro q.12.art.4.& q.5.in responsione principali.*

CORRVPTORIVM.

Ex hac positione videtur se qui aliquid quod est fidei contrarium.

Primo, quia fides ponit Angelos pati. Mat.25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Secundum philosophum autem & sanctos, quod est immune à materia est immune à passione: & ita & si Angelus non habet materiam Angelus non potest pati. 1. Matt.25.

Secundo, quia fides tenet & scriptura dicit solum Deum esse immutabilem. Dicit autem S. Augustinus secundo confessionum, *Vbi mutatio ibi materia*; ergo à destructione consequentis vbi non est materia aliqua nec mutatio aliqua; & ita si Angelus non habet materiam est immutabilis, & per consequens Deus; quia hoc soli Deo est proprium. 2. S. Aug. lib. 2. conf.

Tertio, quia fides tenet quod Angelus nec beatus nec malus creatus fuit, sed beatitudinis & miseriæ capax sicut virtutis & vitij & aliorum accidentium. Sed dicit Boetius *de Trin.c.* 30. *Nec Deus subiectum esse potest forma enim est; forma autem subiecta esse non possent. Nam quamuis certa forma accidentibus subiecta sunt vt humanitas; non tamen ita accidentia suscipit in eo quod ipsa est, sed in eo quod materia ei subiecta est. Dum enim materia subiecta humanitati suscipit quodlibet accidēs ipsa humanitas suscipere videtur, forma* 3. Boetius de Trin.c. 3.

vero sine materia subiectum esse non potest, ergo si Angelus est forma sine materia, nec est subiectum beatitudinis, nec damnationis nec illuminationis alicuius.

4. Dicendum est ergo quod Angelus est compositus est materia spirituali & forma. *Boetius de vnitate & vno. Aliud simpliciter quidem vnum vt Deus. Aliud simpliciter vnum coniunctione, vt Angelus & anima*, quorum vnumquodque est vnum coniunctione materiæ & formæ.

5. *Item Commentator super 8. met.* recitat Themistiũ dixisse, quod sol & luna: & stellæ sunt formæ sine materijs, aut habent materiam per æquiuocationem, sicut est dispositio in materia intelligentiæ. Quod autem sit ponere materiam spiritualem, patet per *S. August. libro 5. super Gen. ad literam c. 8. Non temporali* inquit *casu, sed ordine prius facta est in formis formabilis materies & corporalis & spiritualis: vnde fieret quicquid faciendum esset.*

S. Aug. lib. 5. super Gen. ad literam c. 8.

6. *Item Damas. li. 2. c. 27. Angelus incorporeus & & immaterialis dicitur quantum ad nos. Omne enim comparatum ad* DEUM *(qui solus incorporalis est) grossum & materiale inuenitur.*

Dama 2. c. 27 idem in logica c. penult.

7. *Item Dama. in logica sua c. penul. Angeli, Dæmones, anima quantum ad corpus immaterialia dicuntur, sed si ad principale immateriale, id est, Deum materialia sunt.*

8. Quod autem dicunt alij quod non est ex materia & forma, sed ex potentia & actu vel forma, hoc non refert, quia secundum *Commentatorem* 11. *meta.* potentia inseparabiliter concomitatur materiam. Ait enim super illud.

Vnde metap. com. 49.

Digitized by Google

lud. *Si fuerit substantia mouēs, &c. in rebus in quibus est potentia, est materia.*

Infra *eodem c. supra illud. Principium autem est imago, compositum autem est omne cui admiscetur potentia.* com. 2odē

Idem super octauum physicorum. Nunc autem volumus probare, Hæc propositio conuertibilis est scilicet quod simplex est caret potentia, & quod caret potentia est simplex, potentia enim est causa compositionis alicuius ex duabus substantijs. com. 4

Et Rabbi Moyses libro de Deo benedicto dicit, quod omne quod est in potentia ad aliquid necessario habet materiam, quoniam potentia semper est in materia, ergo si Angelus habet potentiam habebit materiam. Dicitur autē aliquando non habere materiam, tum quia eius materia non est similis materiæ corporali magis vsitatæ, tū quia tota penetrata est vel quietata per suam formam spiritualem sibi in hoc consimilem, tum quia intantum coit in vnū cum sua forma, quod Angelus non reputatur nisi pura forma, tum quia operatio Angeli propter huiusmodi materiam sic à forma absorptam non impeditur. *Rabbi Moyses.*

RESPONSIO EORVM AD RATIOnes S. Thomæ.

AD *primum ergo dicendum*, quod materia Angeli cum sit spiritualis, distinguitur non dimensione sed numero, sicut quando vnus punctus fit duo, nec dicimus vnam materiam corporalium & spiritualium, sed aliam, quia corporalium est corporalis, & spiritualium spiritualis. *Ad rationes S. Tho.*

Ad secundum dicendum, quod cum dicit pro regula, quod operatio est secundum modum substantiæ rei, si intelligitur quod omnes modi operationis sint secundum substantiam operantis, falsum est tam in operatione sensitiuæ quam intellectiuæ. Videmus enim quod anima sensitiua secundum philosophū per omnes sensus exteriores & per imaginationem interius recipit species rerum materialium sine materia, licet recipiat per sensus præsente materia, tamen semper sine materia, sensitiua autem anima & omnes virtutes eius sunt alligatæ materiæ & non abstractæ à materia sicut species quas recipiunt. *Item* in operatione intellectiua fallit illa regula. Nam anima intellectiua per intellectum recipit species quæ sunt vniuersales in comparatione ad singularia quæ considerantur in illis, & tamen certum est quod anima intellectiua nullo modo potest dici res vniuersalis sed singularis. Vnde regula est falsa si vniuersaliter intelligatur. Potest tamen vera esse per hunc modum, scilicet quod nobilior substantia naturaliter nobiliorem habet operationem, & virtuosior virtuosiorem, sed quantum ad modum materialitatis vel immaterialitatis singularitatis vel vniuersalitatis non est verum. Vnde dicimus quod sicut potentiæ sensitiuæ possunt recipere intentiones rerū materialium sine materia, sic intellectiua licet sit perfectio materiæ spiritualis potest recipere formas omnino abstractas à materia & à conditionibus materiæ. Vel potest dici quod

2. de anima t. cons. 121. & 3. t. cons. 13.

Nobilior substantia nobiliorem habet operationem.

opera-

operatio Angeli quæ est intelligere dicitur immaterialis quia abstrahit à materia & à conditionibus materiæ non quia res corporales & materiales non intelligantur per similitudines spirituales specierũ rerum materialium, & ideo nullum inconueniens est si res immaterialis in materia spirituali recipiatur quæ est anima intellectiua.

Ad illud S. Dionysij dicendum, quod Angelos incorporales & immateriales dicit per comparationem ad nos, non simpliciter, *vt dicit Dama. & superius est allegatum li. 2. c. 2.* Hæc sunt verba eorum.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

QVIA Angelus, non sit compositus ex materia & forma multipliciter ostẽdit *S. Thomas contra Gentiles li. II c. 49. & 2. Contra libi*, quod cum sit demonstratiue probatum proprie accepta materia, prout philosophi loquuntur de ipsa, nihil contra fidem ex hoc poterit concludi, Argumenta autem quæ ipsi inducunt sunt sophistica. *Contra gentes 2. c. 4.*

Ad primum ergo cum dicunt, quod immune est à materia immune est à passione. Si ergo Angeli sunt immateriales, non possunt pati ab igne infernali. Dicendum quod isti in isto argumento fallunt vel falluntur per æquiuocationem passionis. Quod enim est immune à passione proprie accepta quæ aliquid abijcit de substantia patientis facta transmutatione philosophica circa eandem, Talis autem passio non est in Angelis, cum sint secundum suã *Ad primũ*

 substan-

substantiã intransmutabiles sicut & immateriales, nihil tamẽ prohibet ipsos summe affligibiles, quod contra conatum suæ voluntatis concluduntur & quasi incarcerantur in illo igne infernali, sicut docet S. Th. *in prima parte*, q. 64. *art*. 4. in responsione primi argumenti.

1. par. q. 64. art. 4.

Ad secundum.

Ad 2. dicendũ, quod solus Deus est immutabilis totaliter ac simpliciter, prout mutatio dicit qualẽcunq; variationẽ vel vicissitudinẽ, *apud quẽ nõ est trãsmutatio, nec vicissitudinis obũbratio*.

Iac. prim.

Ad dicendum S. August.

Quod vero dicit S. Aug. *Vbi mutatio ibi materia*, habet intelligi de mutatione philosophica per quã natura rei alteratur, quæ non cadit in incorporalibus, cuiusmodi sunt Angeli, sed sola vicissitudo cogitationum siue conceptuum & affectionum.

Ad tertiũ.

Ad tertium quando dicunt secundum Boetium quod forma sine materia non potest esse subiectum accidentium, Dicendum quod Boetius intelligit de forma omnino pura quæ Deus est, sicut patet ibidem. *Quod dicunt de humanitate*, quod ipsa in materia & non sine materia est accidẽtibus subiecta, sic habet intelligi secundũ ipsũ Boetiũ, quod nec humanitas nec aliqua alia forma specifica recipere potest accidentia, per quæ numeretur in pluribus indiuiduis, nisi prout est in materia. Vnde concludit consequenter ibidem, quod quia Deus est forma omnino sine materia, impossibile est ipsum accidentibus subijci per quæ plurificentur numeraliter, & eodem modo dicendũ est de natura specifica in Angelis, quia est forma immaterialis impossibile est quod recipiat huiusmodi

Digitized by Google

modi accidētia quæ ipsā multiplicēt in diuersis indiuiduis. Huiusmodi. n. est quantitas & accidētia ipsā consequētia, quæ in Angelis nō cadūt. Vnde in vna specie non est nisi vnū indiuiduū in ipsis, sicut patebit infra. In formis tamen immaterialibus quæ non sunt suū esse, quibus per consequens maior vel minor perfectio in essendo pōt adesse, cuiusmodi sunt Angeli, nihil prohibet aliquas esse perfectiones accidentales, quæ aliquibus insunt, aliquibus desunt, quorum nullum ad quantitatem pertinet, cuiusmodi sunt gratiæ, gloria & huiusmodi.

Ad 4. cum dicit Boetius, quod Angelus & anima sunt vnum coniunctione, non sic habet intelligi quod in ipsa quidditate Angeli vel animæ sint duo principia simul iuncta, scilicet materia & forma, secundū ista coniunctio est ipsius quidditatis quæ est forma simplex in vtroque cum suo esse quod participat, respectu cuius ipsa quidditas est in potentia, propter quod sicut quidditas Angeli est in potentia ad esse quod participat per naturā, sic etiā in suis naturalibus constitutus ipse Angelus est in potentia ad perfectiorē essendi modū per melioris ac verioris esse participationē pleniorem, quod fit per gratiā & gloriā, & propter hanc potentialitatē vocat S. Aug. Angelicam naturā māam spiritualē tāquam informē quoad perfectionē sapientiæ donec ad suū principiū cōuerteretur per amorē sicut patet *super Gen. ad literā, li. 1. c. 5. per totū*, & est multū notabile, & per istā sententiā S. Aug. ibidē possunt solui quasi omnia argumenta quæ sequuntur. Ad quarti

S. Aug. lib. 1. de Gen. ad lit. c. 5.

Ad quintum. *Ad quintum dicendum*, quod nec Themistius nec aliquis philosophus approbatus ponit dispositioné materiæ in intelligentijs, quas Angelos vocamus, nisi secundum istam æquiuocationem materiæ prætactam, vocando, scilicet materiam ipsam eorum quidditatem propter potétiam quam habet respectu esse quod participat, eo quod deficit à perfectione primæ formæ omnino; quæ est suum esse, & quod adducit de S. August. solui debet per dicta eius præallegata.

Ad sextũ. *Similiter ad sextum*, quando dicit S. Damascenus quod Angelus Deo comparatus est grossus & materialis, non sic intelligit, quoniam secundum doctrinam Dionysij, cuius auctoritati vbique innititur sicut patet librũ suum intuenti, ipsi Angeli sint in suis naturis incorporei & immaterialis, sed quia deficiunt in infinitum à perfectione simplicitatis diuinæ quæ non est nisi purum esse.

Ad septimum. *Et ad idem* soluitur dictum ipsius Dam. in sua logica, quod in septimo argumento adducitur.

Ad octauũ. *Ad octauum dicendum*, quando dicunt, quod non differt rem componi ex potentia & actu vel forma, & ipsam componi ex materia & forma, si intelligatur de potentia quæ in materia inuenitur, & de actu qui forma dicitur, verum dicunt. Sed isto modo non debet dici, quod Angelus componatur ex potentia & actu, immo ex quidditate & esse vt dictum est.

Quod

Quod autem dicit Commẽtator, in rebus in quibus est potentia est materia, habet intelligi de potentia ad non esse, quia inest rebus ratione materiæ secundum philosophum. Et similiter quod *dicit idem Commentator, quod est simplex caret potentia*, & e cõuerso de potentia eodem modo accepta; necessario intelligitur secundum ipsum. Ipse enim ponit in corporibus cœlestibus potentiam ad vbi, quæ tamen secundum ipsum simplicia sunt, sicut probare nititur in libro de substantia orbis, licet in hoc errauerit. Manifestum est igitur quod frustra innituntur isti Commentatori, qui non minorẽ in motoribus quam motis corporibus scilicet cœlestibus quam intelligentijs poneret simplicitatem.

Eodẽ modo forsan habet intelligi illud Rabbi Moysi, quod omne quod est in potentia habet materiam. Vel posset dici quod omne quod est in potentia ad aliquid habet materiam veram vel quidditatem deficientem ab actualitate primæ formæ, ratione cuius potest dici quod habet materiam, sed æquiuoce vt dictum est.

Quia autem inferunt, quod Angelus dicitur aliquando non habere materiam, quia habet materiam spiritualem, quæ intantum coit cũ sua forma, quod Angelus reputatur pura forma, quam tamen absorptam à forma asserunt, manifeste ostendit quod ponere huiusmodi materiam est ponere nullam materiam realem, & per consequens est fictio ridicula, cum ipsemet omnem excludant veræ materiæ cõditionem.

Quod responsiones argumẽta non valeant.

Responsiones etiam quas afferunt ad argumenta S. Thomæ veritatem ostendentia friuolæ sunt & inanes.

Ad 1. argumentũ.

Quia enim dicunt ad primum, quod Angeli materia quę spiritualis est distinguitur nõ dimensione sed numero ad modum vnius puncti quando fit duo, non intelligunt quæ loquuntur, nec de quibus affirmant. Distinctio enim secundum numerum præsupponit diuisionem secundum quantitatem dimensiuã siue magnitudinem, sicut patet per *philosophũ 3. physicorum.* Impossibile est enim naturã specificam numerari per aliud quã per accidentia aliqua, sicut patet per *Boetium libro de trinitate.* Cuius ratio est, quia indiuidua eiusdem speciei conueniunt tam in materia quã in forma, quæ eiusdem rationis reperiuntur in ipsis. Et hinc est quod species quæ dicit quidditatem compositam ex talibus principijs, dicit totum esse & totam omnino substantiam talium indiuiduorum secundum Boetiũ, & per consequens oportebit ea distingui per aliquid quando est extra quidditatẽ ipsorum, quod non potest esse nisi accidens.

Com. 35.

Alia vero accidẽtia à magnitudine dimẽsiua non habent vnde numerẽtur ex se, vel distinguũtur sub specie specialissima, sicut patet de albedine & quibuscunq; huiusmodi, sed hoc conuenit soli quantitati dimensiuę, quæ omnibus alijs circũscriptis habet vnde numeretur & distinguatur sub eadẽ specie. Possumus enim intelligere duas lineas distinctas solum numero differre, omnibus alijs accidentibus cir-

circumscriptis. Cuius ratio est, quia ipsa quãtitas dimensiua includit diuisibilitatem cum situ infra suam quidditatẽ. Et inde est quod ipsa necessario requiritur ad hoc quod natura specifica numeretur in diuersis indiuiduis. Si ergo in Angelis est materia, & tamẽ nulla quantitas dimensiua, manifestum est ꝙ nõ est dare secundum fictionem ipsorũ quo modo distinguãtur, cum substãtia circũscripta quãtitate sit indiuisibilis & per consequẽs indistinguibilis *secundũ philosophũ 1. physicorum.*
Praeterea secundũ hoc natura Angelica nõ haberet aliquid per quod indiuiduaretur. Omnis enim forma recepta in materia in se cõsiderata est communis, sicut patet *per philosophũ 8. meta.* materia etiã quæ cadit in cõpositionẽ quidditatis specificæ æque cõmunis est, alioquin nõ esset vera cõmunitas in specie magis quã indiuiduo in particulari vago. Si ergo debeat indiuiduari, requiritur aliquid aliud per ꝙ determinetur, sed sicut materia & forma & quidditas specifica ex ipsis cõposita nõ habẽt infra rationẽ suæ naturæ vnde determinẽtur ad vnum numero, sic nec accidentia alia circumscripta quantitate dimensiua, infra cuius quidditatem cadit situs determinatus ad quẽ aliæ conditiones indiuiduantes consequũtur vt prædictũ est. Si ergo quidditas Angeli est composita ex materia & forma, & tamẽ caret quantitate dimensiua, manifestũ est quod nõ habet aliquid per quod sit hoc aliquid, & suppositum vnum numero. Cum autẽ actus sint suppositorum, si in Angelis nullũ concedatur esse suppositũ, nullũ poterunt habere actum.

& per consequens nec videre Deum quod est contra fidem & Euangelium. *Matt.19. Angeli eorum semper vident faciem &c.* Sed isto quid absurdius ergo absorbeatur materia quã ponũt in Angelis ita quod nulla ponatur in eis, ne non solum contra philosophiam, sed etiã cõtra fidem huiusmodi positio siue fictio defendatur. Quod tamẽ dictũ est, quod forma recepta in materia nõ indiuiduatur sine quãtitate dimensiua, satis consonat verbis philosophi. Veruntamen vtrum possit aliũde Deo operante indiuiduari, vel nõ? dubium videtur, sed tamen hoc videmus quod aliam caussam pręcisam indiuiduationis in huiusmodi rebus iam creatis non inuenimus.

De multiplicatione puncti.

Quod autem dicunt de puncto quod cedit in duo puncta, si intelligant hoc fieri secundum rem, nihil est quod dicunt, quantum non est intelligibile fieri hoc posse, nec per diuisionẽ cum sit indiuisibile, nec per migrationem, cũ accedentia non migrent, nec per aliam mutationem, quia secundum Boetium, accidentia sunt indignantis naturæ, & corrumpuntur citius quam transmutentur. Potest tamẽ idem punctus secundũ rẽ cedere in multa secundum rationem, sicut patet de puncto centrali qui est vnus re, sed differt ratione secũdum differentiam linearum in ipso concurrentium, & quidem inter duo puncta contingit inuenire diuersitatem, sed hoc non est nisi propter diuersitatem quantitatis dimensiuę. Si enim quantitatem circumscribamus non est quo punctum à pũcto distinguamus, quoniam

-liam si ponamus ea simul in eodem situ, manifestum est quod non est quo distinguantur ipsis lineis quarum sunt termini circumscriptis. Situs enim diuersi in quibus ponantur non possunt fingi quantitate dimensiua circumscripta, & sic liquet quod impossibile est pũcta abinuicem distingui, vel aliquam formam specificam secundum numerum sine quantitate dimensiua.

2. *Quod autem dicunt ad secundum argumentum*, quod licet sensus & imaginatio sint virtutes alligatæ materiæ: tamen recipiunt species sine materia, & eodem modo Angelus habet operationem immaterialem, licet ipse sit materialis, nullo modo potest stare, nec habet aliquam probabilitatem, manifestũ est enim operatio sensus vel imaginationis non se extendit ad aliquod obiectum immateriale, eo quod obiectum immateriale, eo quod sunt virtutes alligatæ materiæ, ergo si Angelus est materialis, & per consequens habet virtutem alligatã materiæ cum virtus & operatio substantiam non excedant, impossibile esset virtutem Angelicam suam operationem ad aliquod immateriale extendere, & per consequens nec Deum videre, quod est contra fidẽ manifeste. Alia etiam tangunt in illa responsione quæ friuola sunt, nec faciunt ad propositũ. Illa enim spiritualis materia de qua loquuntur fictio sola est, ex qua multa fidei cõtraria concludi possunt, & ideo ponere alium modũ receptionis ratione eius innititur nihilo, quia vero quidditas Angeli est forma

simplex,

simplex, hinc est quod formæ receptæ in intellectu ipsius sunt repræsẽtatiuæ formarum immaterialium, & per habitũ gloriȩ aptus est eleuari ad visionem formæ primæ quæ Deus est; quod nõ esset possibile si haberet materiã & virtutem alligatã materiæ sicut sensum & imaginationẽ quæ sunt virtutes huiusmodi.

Quod tãdem dicant ad tertium, quod dictum S. Dionysij habet intelligi quod Angeli sunt immateriales quo ad nos & nõ simpliciter in sua natura, eo modo possunt dicere de hoc quod dicit quod sunt incorporei, quod sc. nõ non vult dicere quod sunt simpliciter incorporei in sua natura, sed solum in comparatione ad ad nos, quod est manifeste falsum. Dictum vero Dama. supra expositum est.

ARTICVLVS X. I

DICIT S. Th. art. 4. q. citata dicit in respõsione principali, quo impossibile sit duos Angelos esse eiusdem speciei & *qu. 75. art. vlt.* in responsione principali *dicit*, quod impossibile est duos Angelos esse eiusdem speciei. *Sicut impossibile est dicere, quod essent duæ albedines separatæ cum nõ sint plures albedines, nisi quia sunt in pluribus subiectis.* Et *etiam si Angeli haberent materiam neque sic possent esse plures eiusdem speciei. Sic enim oporteret quod principium distinctionis vnius ab alio non quidem esset secundum distinctionem quantitatis cum sint incorporei, sed secundũ diuersitatem potentiarum quæ facit diuersitatẽ non solum speciei, sed etiam generis. Item in his quæ sunt*

sunt eiusdem speciei, nam est inuenire prius & posterius, vt dicitur 3. meta. Sed in Angelis vnius ordinis sunt primi medij & vltimi, vt dicit Dionysius, *10. c. Angelica hierar, ergo Angeli nō sunt vnius speciei.* Hæc dicit S. Thomas. *Com. 11. S. Th. q. ar. 4. Dio. de cælesti Hierar. ca. 10.*

CORRVPTORIVM.

HAEc positio videtur contraria fidei catholicæ, quia derogat omnipotentiæ diuinæ. Cum enim multiplicatio Angelorum vel vnitas quæcunque non sit operę naturæ sed potentiæ diuinæ dicere quod impossibile est duos Angelos esse eiusdem speciei, idem est dicere, quod Deum non posse hoc facere vel fecisse, quod est damnatum per Episcopum & magistros Parisienses. 1.

Item illud quod adducit de duabus albedinibus separatis est falsum & contra altaris sacramentum, vbi fide tenemus plures albedines ab omni materia separatas esse eiusdem speciei opere vel actione diuinæ potentiæ. 2.

Vlterius dicimus, quod habet materiam spiritualem, & tunc materię eorum distinguuntur non per diuisionem quantitatis nec per diuersitatem potentiarum sicut dicit, scilicet per multiplicationem numerabilitatis, sicut cum vnus punctus fit duo puncta. De hoc responsio melius *in articulis qui determinat art. quæst. 253.* 3.

Prætetea. *Dama. in sua logica, capit. 26.* de persona ita dicit. *Persona est quæ proprias operationes & proprietates manifestatiua & circumterminatiua ab his quæ sunt vnius natura:* 4. *Damasc. in logica c. 26.*

turæ: cum ipsa nobis tribuit expressionem, verbi gratia, Gabriel cum sancta Dei genitrice disputans vnus Angelorum existens illic præsens disputauit, separatus ab Angelis consimilibus per eam quæ in loco est præsentiam & disputationem.

Idem in eodem libro superius, cap. II. *de substantia*, natura ac forma indiuidui Dei, & persona ac hypostasi ita dicit. *Eximiores philosophi materiam vocatur speciem specialissimam, vt Angelū, hominem, equum.* Et eodē *c. infra, Sancti patres dimittentes contentiosas garrulationes commune & de multis dictum*, id est, *speciem specialissimam & materiam & formam vocauerunt: vt Angelum, hominem & talia*: ecce quod Angelus est species specialissima tam secūdum philosophos quàm scilicet sanctos patres.

Ad illud quod dicit de philosopho in tertio meta. quod inter indiuidua vnius speciei nō est prius & posterius. Dicendum sicut exponit Commen. verbum Aristo. quod inter indiuidua eiusdē naturæ nō est posterius quod constituatur per prius, sicut videmus in linea prædicamentali quod prius est de essentia posterioris, non est autem talis ordo in Angelis. Hæc sunt verba eorum.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

1. EX simplicitate Angeli ar. proximo declarato, manifestum est quod impossibile est duos Angelos esse eiusdem speciei. Nec est hoc contra fidem nec derogat poten-

potentiæ diuinæ. Cum enim eo ipso quod sũt formæ simplices sine materia subsistẽtes; manifestum sit eos differre sola differẽtia formali quæ facit diuersitatem in specie, dicere eos non esse posse eiusdem speciei, non plus derogat diuinæ potentiæ quam dicere quæcunq; differunt specie non posse esse eiusdem speciei. Dicere vero quod canis & lupus, vel quod accipiter & aquila, licet in actu sentiendi ac multis conueniunt actionibus animalis nullo modo posse in vna specie poni stante eorum natura, non est dicere contra fidem, nec derogat diuinæ potentiæ cum includat contradictionem. Similiter omnino in proposito, licet Angeli in multis, vt in actu intelligendi & alijs sint similes, tamen differunt secũdum naturæ gradum, vt patet ex dictis, dicere quod possint esse eiusdem speciei, & per consequens sic non differre includit contradictionem, & hoc posse fieri quod huiusmodi est repugnat omni intellectui. Quod vero dicunt damnatum per Episcopum & per magistros salua pace eorũ non dicunt verũ. Omnes enim doctores in hoc conueniunt, ꝙ quæ sunt diuersarum specierum non possunt poni in vna specie stante natura vtriusque, sicut quod homo & lapis sint eiusdem speciei amborum natura remanente. *Et per hoc patet responsio ad primum*, quia quod hic dicitur huic innititur positioni, quod Angeli cum sint formæ simplices, vt videtur secundum sanctos & philosophos, sola differentia formali, & per consequens specifica differre

Non est contra fidem dicere 2. Angelos non esse eiusdem speciei.

Angeli differunt inter se secundum naturæ gradũ etsi in alijs multis cõueniant.

Digitized by Google

possunt,& hoc posito non posset Deus facere duos in sua natura, & tali permanentes eiusdem speciei propter contradictionem inclusam.

Ad secundum.
Nõ manet in sacramẽto alta materia subiecta forma.

Ad secundum cum dicunt, quod plures albedines sine omni materia sunt in sacramento altaris in diuersis hostijs consecratis. Dicendũ quod quamuis in sacramento illo benedicto non remaneat materia, quæ est subiecta formæ substantiali, manet tamen quantitas dimensiua quę est proprium subiectum albedinis, per cuius diuisionem numeratur ibidem. Sed duas albedines separatas à materia & à quantitate dimensiua impossibile est intelligere, immo includit contradictionem.

Ad tertiũ.

Quod tertio dicunt vlterius, quod in Angelis est materia spiritualis, supra articulo proximo est improbatum, & ideo bene necesse est quod dicant melius & verius.

Ad 4.

Quod vero adducunt quarto, de Damasceno non facit pro eis in aliquo. Licet enim præsentia Gabrielis in loco, & eius cũ Beata virgine disputatio notificent nobis aliqualiter eius distinctionem ab alijs, nullo tamen modo natura incorporea per situm vel actionem realiter numerari vel distingui potest, nec vnquam hoc intellellexit Damascenus.

Ad 5.

Ex hoc verò quod quintò adducunt, de Damasceno non plus habent nisi quod Angelũ numeret inter species specialissimas, & hoc vtique non ideo facit quod ibi intelligi velit re-

alem

Digitized by Google

alem communicabilitatem vnius speciei à pluribus suppositis, sed propter nostrum modum intelligendi, quid non concipimus formas immateriales nisi per modum materialium formarum, per quas in earum cognitionem consurgimus. Quia ergo in his materialibus realem communicabilitatem videmus, formas immateriales cognitas per ipsas cum quadam communicabilitate concipimus, cum ibi nulla sit in eadem specie secundum rem. Ipsa enim natura Angelica determinata ad gradum quæmcunque in quo concipitur vt specifica, se ipsa realiter est indiuidua; cum non sit nata in aliquo esse, nec sit aliquid dare per quod indiuiduatur.

Quod vero sexto respondendo dicunt, quod dictum philosophi quod in suppositis eiusdem speciei non est prius & posterius, sic habet intelligi, quod posterius non constituitur per prius in indiuiduis eiusdē speciei; manifeste est contra mentē philosophi, & contra veritatē. Videmus enim quod supposita diuersarū specierum sic se habent, quod vnum non est de constitutione alterius; sicut suppositum lapidis non est de constitutione hominis, & tamen secundum philosophum & secundum veritatem dicuntur differre secundum gradus, & secundum prius & posterius, quia natura generis, sc. corpus sub alio gradu & alio inuenitur in homine & in lapide, propter quod differunt specie, sicut patet manifeste *Ad sextū.*

F 2 omni-

Digitized by Google

omnibus, eodē modo ex quo secundū S. Dionysium in Angelis sunt gradus naturæ, licet vnus Angelus non sit de constitutione alterius, necessario tamen specie differunt, nihil ergo dicunt isti homines.

ARTICVLI XII.

S. Th. q. I. & eod. ar.

DOCET S. Thomas quod genus & differētia in immaterialibus accipiuntur secundum cōsiderationem penes determinatū & indeterminatum. Ita ea. q. & eo. art. in responsione primi argumēti dicit enim, quod *genus & differentia accipiuntur secundum considerationem, inquantum enim res vna accipitur vt aliquod indeterminatum est, ibi natura generis, inquantum vero vt determinatum accipitur est ibi natura differētia aliter oporteret quod omnia animalia essent eiusdem speciei*, vel *quod in eis esset aliqua alia, forma perfectior quam anima sensibilis*. Hæc dicit S. Thomas.

CORRVPTORIVM.

Errores duo ex dictis eliciūtur.

HIc error oritur ex duobus alijs erroribus, quorū vnus est quod res spirituales vt Angelus & anima non sunt compositæ ex materia & forma. Secūdus est, quod in homine sit tantum vna forma substantialis, & similiter in quolibet alio animali, vt infra patebit.

Ad primū

Quod autem hic dicit patet esse falsum, quia si ita esset, nunquam in rebus immaterialibus

essent

essent simul genus & differentia apud eundẽ intelligentem. Quando enim quis intelligit rem illam vt indeterminatam, non intelligit eam vt determinatam, & ita quando intelligit sub ratione generis, tunc non potest ei copulare rationem differentiæ, nec econuerso, quod patet esse falsum.

Item propter considerationem nostram non attribuuntur neq; materialibus vel immaterialibus prædicata accidentalia, nam si considero Angelum vt bonum, non propter hoc est bonus, aut vt malum non propter hoc est malus, vel vt scientem futura vt mille annos non propter hoc ipse scit. Similiter de rebus materialibus, si considero coruum vel ęthiopem vt nitentem intenso colore albedinis, non propter hoc sunt tales. Si ergo consideratio nostra potest attribuere prædicata accidẽtalia multo magis nec essentialia, talia autem sunt genus & differentia. 2.

Ad argumentum dici potest, quod illud quod habet pro inconueniente, scilicet in brutis sit alia forma nobilior quam sensitiua, non est inconueniens, immo hoc solebat poni antiquitus communiter. Hæc sunt verba eorum quę paruam videntur habere notitiam eorum quæ loquuntur. 3.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

QValiter genus & differentia sint secundæ intentiones fundatæ super diuersos conceptus mentis de vna ac eadem re indeterminate vel determinate intellecta, patet per S. Thomã de ente & essentia. Nisi enim natura generis & natura differentiæ esset vna realiter diuersimode vt dictum est concepta, nec de vna re essentialiter prædicarentur, nec res naturæ sed solius rationis dicerentur, nunc autem de vna & eadem re, id est specie prædicantur essentialiter, quia eandem important essentiam, & rationis res non naturæ dicuntur, quia dicunt vnam naturam non vno modo sed diuersimode à ratione cõsideratam. Hæc reuera est sententia omnium philosophorum de hac materia loquentium. Vnde patet quod non est erroneum, nec ex erroribus habet ortum, cum falsitas erroris mater, non veritatis esse potest.

Refutantur errores non legitime eliciti.

Quod enim dicunt errorem primum, scil. Angelum nõ esse compositum ex materia & forma in præcedenti articulo ostẽsum est esse verissimum. Quod vero asserunt errorẽ esse secundum in sequentibus Deo iuuante monstrabitur ab omni errore alienum *infra ar.* 31.

Ad obiectum igitur primum, cum dicunt quod intellectus quando intelligit rem indeterminate non intelligit eam determinate potest concedi, verumtamen intellectus sic intelligens intentiones simplices generis & diffe-

differentiæ intelligit quod istæ duæ intentiones fundantur quidem non super diuersas naturas, sed super diuersos conceptus de vna re & eadem aliter & aliter intellecta, & inde est quod intellectus componẽs dicit ista duo scil. genus & differẽtiam de vna re, sc. specie prædicari essentialiter, quid enim verius dici potest quam quod de eodem prædicetur natura aliqua essentialiter quãdo intelligitur vno modo, scil. indeterminate per genus, & quando intelligitur determinate per differẽtiam. Si vero (vt isti putant) genus & differẽtia dicerẽt duas diuersas naturas realiter impossibile foret quod de vna & eadem natura specifica essentialiter dicerentur, & hoc forte inferius in tractatu de vnitate formæ substãtialis *in eodem artic. 31. ostendetur.* Et tamen qui ponunt plures formas substantiales in eodem, si velint saluare prædicationem essentialem generis & differentiæ de eadem specie necesse habent dicere quod nomen generis quod imponitur à forma priori significat totam essentiam vel quidditatem rei indeterminatę, & nomen differentiæ impositũ à forma posteriori significat eandẽ quidditatem determinate, quo modo enim aliter prædicarentur de eodem nisi denominatiuę, sicut album & musicum. *Genus & differentia prædicantur de specie essentialiter.*

Ad secundum quod est risu dignum, dici potest quod nostra consideratio non tribuit rebus intellectis formas accidẽtales aliquas vel substãtiales, noster tamẽ intellectus potest vario modo vnã formã vel naturã intelligere, & va- *Ad 2.*

rio modo conceptam diuersis nominibus ipsos conceptus notificantibus significare, & sic plura prædicata eidem rei vno nomine scilicet speciei significate attribuere, & hoc deberent qui alios contemnunt & ipsi nihil intelligunt didicisse.

Quod vero dicunt ad argumentum S. Thomæ ostendendo, quod non est inconueniens aliã formam nobiliorem quam animam sensitiuã poni in animali bruto nimis est brutaliter dictum. Ex hoc enim sequeretur quod haberẽt intellectum vel animam intellectiuam, quæ secundum omnes philosophos immediate in ordine formarum substantialium, sequitur animam sensitiuam, & reuera si bruta animalia haberent animam intellectiuam scientiæ susceptiuam possent tantum edoceri quod istos brutaliter loquentes in sapientia excederent.

ARTICVLI XIII.

S.Th.q.55 art.5. Angelus forma est subsistens.

DOCET S. Thom. q. 55. artic. 5. in responsione principali quod *cum Angelus sit forma subsistens impoßibile est quod eius substãtia sit corruptibilis. Quod enim alicui conuenit secundum se, nunquam ab eo separari potest, ab eo tamen cui conuenit per accidens potest separari, separato eo secundum quod ei conueniebat. Rotundum enim à circulo separari non potest, quia conuenit ei secundum ipsum*, scilicet

aneus

Digitized by Google

aneus circulus potest amittere rotunditatem, per hoc quod circularis figura separatur ab ære, esse autem secundũ se conuenit formæ vnũquodq; enim est ens actu secundũ quod habet formam, compositũ igitur ex materia & forma destruit esse actu, per hoc quod forma separatur à materia. Secundum si forma subsistat in suo esse sicut in Angelo est sicut dictum est, non potest amittere esse, Ipsa igitur immaterialitas Angeli est causa quare est incorruptibilis secundum suam naturam. Hæc dicit S. Thomas. *Idem dicitur ar. 2. quæstionis cit.*

CORRVPTORIVM.

HIc dicit aliquid verum, scilicet quod Angelus est incorruptibilis, secundum naturam suam. *Item* aliquid quod est erroris figmentum, scilicet quod Angelus est immaterialis, nam si esset Angelus immaterialis, non esset capax alicuius accidentis, & per consequens nec culpa nec gloriæ vt alibi est ostensum, & ideo cum Angelus habeat materiam, scilicet spiritualem, cui dat esse formaliter, sicut potest intelligi huiusmodi formam non dare esse, ita secundum hoc potest intelligi Angelus non esse vel corrumpi, & ideo non dat veram causam incorruptibilitatis Angelicæ. 1.

Item quod dicit, quod Angelo conuenit esse secundum se, & ideo non potest separari ab eo, sicut nec rotunditas à circulo, aut ly secundum se dicit conditionem causæ aut subiecti, si causæ, hoc est dicere quod Angelo cõuenit esse secundum quod est non per aliam 2.

Digitized by Google

causam quam per formam suam, quia forma dat esse nō alia causa, tūc verū dicit, sed nihil ad propositum. Si autem ly secundum se dicat conditionem subiecti falsum est, quia forma secundum quod forma non est subiectum, nec per consequens alicuius secundum se est subiectum, *vt dicit Boetius de trinita. cap. 3.* Et ideo nec secundum se habet esse subsistens in genere.

3. *Præterea nec re* nec intellectu rotunditas à circulo separari potest, quia conuenit ei secundum se, sed ab Angelo secundum intellectum separari potest esse, quia omnis creatura potest intelligi non esse, *vt dicit Ans. pro solo cap. 3. & cap. 23.* & ideo Angelo non conuenit esse sicut rotunditas circulo. Hæc sunt verba eorum.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

Ad primū SECVNDVM veritatem hæc non sunt nisi verba. *Quod enim dictum* est erroris figmētum scilicet quod Angelus est immaterialis, manifestū est *ex dictis supra q. 10.* quod dicūt falsum, immo oppositum huius multorum errorum foret inductiuum siue illatiuum. Si enim Angelus esset compositus ex materia & forma, non posset poni habere virtutem intellectualem, cuius est formam sine omni materia intueri, & per consequens non posset eleuari per aliquem habitum ad videndum, Deum per essentiam qui forma pura est, sicut

nec

nec sensus, eo quod est materialis, & istud fidei repugnat. Inconuenientia vero quæ dicunt sequi ad simplicitatem naturæ Angelicæ prout patuit ex dictis *in prædicta q.*10. non sequitur ex ipsa, & ex his euacuatur obiectio prima.

Ad secundum cum dicunt formam non esse alicuius subiectum secundum *Boetium, prout in* 10.*q. declaratum est*, palam est quod ipsi dicunt falsum. *Ad 2.*

Quia vero dicunt quod circulus non potest intelligi sine rotunditate, & omnis creatura secundum Anselmum potest intelligi habere non esse quo ad illud quod ponunt de suo scilicet quod circulus non potest intelligi sine rotunditate, falsum est. Cum enim rotunditas sit propria passio circuli, sicut habere tres Angelos trianguli, & per consequens sit extra essentiam ipsius, manifestum est quod necessario includitur infra intellectum ipsius, potest enim subiectum intelligi sine sua passione, quamuis non possit sine ea subiectum poni in esse, & eodem modo potest quidditas cuiuslibet creaturæ secundum Anselmum sine esse suo, quod non est ipsa ab intellectu cōsiderari, quamuis sine esse non possit intelligi esse. Isti autem diuersi modi intelligendi vnum sine altero scilicet quod consideretur ab intellectu sine eo, vel quod intelligatur esse, fallit multos, & ideo expedit istam distinctionem notare. *Ad 3.* *Notanda distinctio hæc.*

ARTI-

ARTICVLVS XIV.

DOCET S.Th. *pri p.q.*50.*ar.*4. in responsione vltimi argumenti, *quod multitudo secundum materiam cum in infinitum protendi poßit non intenditur ab agente, sed multitudo secundum speciem.*

CORRVPTORIVM.

Notandũ distinctio hac.

HOC *est erroneum primo*, quia cum multitudo hominum & equorum & aliorũ animalium non possit esse secundum speciem, sed secundum materiam vel numerum tantum, quia per generationes animalium non multiplicatur species sed indiuidua, sequeretur quod Deus per illud *Gen. pri. & 9. cap. Crescite & multiplicamini & re. ter.* præcepisset implere quod non intendebat ipse, & quod nec homo nec aliqua natura in animalibus alijs deberet intendere.

1. *Praeterea primum*, agens creans homines multiplicationem electorum & reparationem Angelorum intendebat, quod patet per effectum, & idem debet intendere homo generans. Hæc autem multitudo electorum, & reparatio ruinæ Angelorum non fuit nisi secundum multiplicationem indiuiduorum secundum materiam, ergo hanc intendebat primum agens & secundum.

2. *Praeterea ratio sua non valet*, quia secundum hoc homo nunquam intenderet diuidere lineam

Digitized by Google

neam vel aliquod continuum, nec numerare aliquam rem, cum linea possit diuidi in infinitum. Nemo enim intendit diuidere lineam quantum potest diuidi vel augere numerum quantum potest augeri, sed quantum sufficit ad propositum suum. Hæc sunt verba eorum.

Responsio ad haec secundum S. Thomam.

Considerandvm est quod S. Thom. soluendo istud argumentum intendit docere quod ad perfectionem Angelicæ naturæ non pertinet eius multiplicatio in eadem specie secundum numerum, & hoc, quia videmus quod cum aliqua natura propter perfectionem suam multiplicatur, multiplicatio secundum numerum non intenditur vt finis ab agente, quia talis multiplicatio secundum numerum non habet certum terminum, prout docet S. Thomas in *prima parte, q. 47. artic. vltimo* in solutione secundi argumenti. Hoc considerato patet solutio ad ea quæ obijciuntur.

Ad primum cum dicit Deus. Crescite & multiplicamini dicendum, quod quamuis intendebat Deus quod species animalium multiplicari deberent secundum numerum materialem, non tamen hoc intendebat vt finem ad quem alia ordinaret sed tanquam ordinabile ad finem vt ad hominum vtilitatem ipsarum specierum *Ad primũ*

cierum conseruationem, quæ absq; tali multiplicatione conseruari non possunt.

2. *Eodem modo dicendum est ad secundum*, scilicet quod primum agens intendebat multiplicationem electorum & reparationem Angelorum, non intendendo ipsam multiplicationem materialem secundum numerum; sed magis ordinando ipsam ad perfectam suæ bonitatis repræsentationem.

3. *Quia vero dicunt tertio* quod ratio sua non valet, quia secundum hoc homo non intenderet diuidere lineam, planum est quod non sequitur quia hoc homo nullo modo intenderet nisi vt ordinabile ad finem, cum vanum foret huiusmodi diuisionem finaliter intendere quæ in infinitum protendi posset, eodem modo dicendum de diuisione cuiuslibet continui & de additione numeri.

ARTICVLVS XV.

S. Tho. 51. art. 3. corpus Christi aptum fuit vt post resurrectionẽ cibus in ipsum fuerit conuersus.

DE hoc quod S. Thom. dicit quod Christus post resurrectionem habebat corpus talis naturæ, in quod posset cibus conuerti. *Item q. li. art. 3. in responsione. v. argum. dicit, quod quamuis post resurrectionem cibus non conuerteretur in corpus Christi, sed resolueretur in praiacentem materiam, tamen Christus habebat corpus talis natura in quod posset cibus conuerti.* Hæc S. Thomas.

COR-

CORRVPTORIVM.

HOc videtur erroneum, quia cum cibus non conuertatur in corpus comedentis nisi propter restaurationem deperditi, vel propter augmentationem quantitatis alicuius dicere quod in corpus Christi gloriosum potest conuerti cibus, hoc est idem dicere, vel quod in eo esse potuit aliqua deperditio, quod est contra dotem impassibilitatis, vel quod in corpore Christi non fuit perfecta & fixa quantitas, cuius contrarium tenet fides.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

AD istam instantiam breuem breuiter potest dici, quod cibus conuertitur in corpus comedentis alimento indigentis propter deperditi restaurationem, vel propter augmentationem, nec tamen sequitur quin possit conuerti in corpus Christi vel alicuius non indigentis talibus si placeret Deo, & ideo dicit S. Thomas ibidem, quod Angelus quia non habet corpus sibi vnitum naturaliter, in quod posset cibus conuerti, ideo non fuit vera comestio Angeli, scilicet figuratiua de qua habetur in Thobia, scilicet Christus post resurrectionem habuit verum corpus, vt dicit S. Thomas ibidem, naturaliter animæ suæ vnitum in quod posset per naturam cibus conuerti, & conuerteretur si indigeret vel

vel oporteret, sicut videmus quod panis in Sacramento altaris conuertitur in corpus eius, & ideo post resurrectionem fuit vera comestio eius.

ARTICVLVS XVI.

s.Thom. 54.ar. 4.

DE hoc quod S. Thomas dicit, quod Angelus potest transire ab extremo in extremum non transeundo medium. *Ita q. 53. art. 2. in responsione quaestionis dicit, quod prout motus Angeli non est continuus impossibile est quin transeat de extremo in extremum, & non pertranseundo medium. Et addit quod moueri ab extremo in extremum & non per medium, potest conuenire Angelo & non corpori, quia corpus commensuratur & continetur loco, sed substantia Angeli non est subdita loco nec contenta, sed superior ut continens. Vnde in potestate eius est applicare se loco prout vult, vel per medium vel sine medio.* Hæc dicit S. Thomas.

Angelus potest trãsire de vno extremo ad aliud, non transeundo medium.

CORRVPTORIVM.

1. Dama. 18.

EX *his sequitur* error damnatus, scilicet quod Angelus aliquando est nusquam, quod est contra Euangelium. *Matthai. 18. Angeli inquit eorum qui in cœlis sunt.*

2. Matt. 10.

Item hoc est contra, *Dama. lib. pri. cap. 18. Circumscriptibile inquit est quod loco vel tempore vel apprehensione comprehenditur. Incircumscriptibile vero quod nullo horum continetur.* Igitur incircumscriptibile est solus Deus, Angelus enim &

enim & tempore circumscribitur, incipit enim esse & loco, & si intelligitur vt prædiximus,& comprehensione essentiam suam adinuicem sciuit.

Item est contra philosophum secundo cæli & mundi. Omnes inquit *homines sunt in loco huius corporis mobilis primo, qui est locus spirituum.* 3. t.c. 2. de cælo & mundo lib. 2.

Commentator ibi. græci & alij ex gentibus qui confitentur Deum & eius potentiam creandi, & non confitentur hoc nisi inquantum est res super quam non cadit corpus, nec ingreditur eam remotio, oportet quod sit in loco.

Item Tullius libro primo de Tusculanis quæstionibus, loquens de animabus miserorum separatis dicit sic: *Si apud inferos miseri non sunt, nec sunt apud inferos vlli, vbi ergo sunt illi quos miseros existimas, aut quem locum incolunt? Si enim nusquam sunt, dum nusquam eos pono puto ergo nō esse*, ergo à simili, qui ponunt nusquam eos esse ponunt eos non esse, qui autem ponit eos transire ab extremo ad extremum, ita quod non sint aliquando in medio, ponit eos aliquando nusquam esse, ergo aliquando non esse. Hoc non dicimus contrarium fidei vel bonis moribus, sed alias falsum reputamus. 4. lib. 1. Tuscul. quæst. Cicero.

Quod si verum esset pari ratione de animabus exutis, quod vtique non videtur. Nam dicit *S. Hieronymus in epistola ad Paulam & Eustochium de assumptione beatæ virginis, quod credendum est militiam Angelorum cum suis agminibus obuiam venisse beatæ virgini in sua assumptione, & etiam Iesum Christum Dominum nostrum filiū eius.* 5. S. Hiero. in epis. ad Paulam & Eusto.

Obuiatio autem non est nisi in spatio medio. Nec potest dici hoc dixisse S. Hieronymum quia assumpta fuit cum corpore, cum ipse dicat ibidem. *Incertum est an sic fuerit, an abierit relicto corpore.*

Praeterea, non videtur dicendum, quod hoc factum fuerit dispensatiue, Si enim subito & sine transitu medij potuit peruenire ad thronum gloriæ sibi in æternis mansionibus præparatum, qua vtilitate transisset medium tantæ distantiæ.

6. *Praeterea de anima*, Beati Martini legimus, quod Diabolus voluit eam detinere cum perduceretur, sed hoc non potuit esse nisi pertransisset spatium medium. Et vlterius, si potuisset peruenire ad locum gloriæ sine transitu medij, quare transisset medium vbi passura erat impedimentum.

7. *Praeterea in officio mortuorum dicitur*. Splendidus *Angelorum cætus occurrat*. Et ibi parum infra. *Ministri sathanæ iter tuum impedire non audeant*. Et in exequijs mortuorum cantat Ecclesia. *Subuenite sancti Dei, occurrite Angeli Domini*. Occursus autem & subuentio non potest esse nisi illis qui transeunt medium, ergo animæ separatæ transeunt medium. Pari ratione transeunt & Angeli, & certe non credimus auctoritatem officij condemnandam quasi falsam & erroneam & vanam.

8. *Item* sint A. D. duo extrema. B, C. medium, & transeat ab A. in D. quæro vbi est dum transit: non in A. quia quamdiu est in A. quiescit in A. non in D. quia quam cito est in D. quiescit,

ſcit, ergo dum tranſit vel nuſquam eſt vel eſt in B.C. ſcilicet non eſt dicere quod aliquando nuſquam ſit, quia dicit S. Auguſtinus de immortalitate animæ. *Quicquid eſt nuſquam eſſe non poteſt*. Reſtat ergo quod Angelus dum trãſit eſt in medio, ergo Angelus tranſeundo ab extremo in extremum tranſit per medium.

Item res mobilis magis indiget loco dum mouetur quam dum quieſcit, Hoc patet per philoſophum qui dicit in *quarto phyſicorum*, quod non quæritur locus niſi motus aliquis eſſet ſecundum locum. Vbi dicit Commentator quod *motus magis ſignificat locum eſſe quam quies*. Et ita patet maior & minor, ſcilicet quod Angelus indiget loco. Patet per ſe & etiam per hoc quod oppoſitum eſt damnatum. Hæc ſunt verba eorum. 9. *T. com. 31.*

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON *1893*

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM *S. Thomam.*

SI autem attendamus quod Angeli ſunt incorporei per naturam, prout dicit S. Thomas & omnes Doctores communiter, manifeſte patet quod in nullo à ſitu corporeo poterunt dependere, cum omnino ſituales non ſint, ſed ſupra omnem ſitum exiſtentes, habentes virtutem exercendi ſuam operationem ad libitum circa iſta corporalia in loco ſituata, & per hoc dicũtur eſſe in loco, eo quod virtutẽ ſuã applicant corpori locato circa ipſum operando. His viſis facile eſt videre, qualiter Angelus poterit pertranſire

Angeli dicantur eſſe in loco per hoc quod virtutem ſuam corpori locato circa ipſum operando.

ab extremo in extremum non pertranseundo medium vel sine medio. Si enim modo sic applicans virtutem suam vni extremo, potest statim applicare virtutem suam alteri extremo absque hoc quod applicet virtutem suam corpori in medio spatio existenti.

Ad primũ

Ad obiecta in contrarium dicendum. Ad primum quod erroneum foret ponere Angelum esse nusquam sic quod non posset applicare virtutem suam ad aliquod corpus in loco determinato existens. Ponere autem quod possit libere applicare virtutem suam nunc vni locato nunc alteri, & hoc vel applicando virtutem suam continuo toti spatio & extremis vel ipsis extremis, ita quod non medio, & hoc mediate vel immediate est manifeste verum, vt patet ex dictis S. Thomæ in multis locis. Nec hoc est contra Euangelium vbi dicitur; *Angeli eorum semper vident faciem patris.* &c. vt patet cuilibet intelligenti.

Mat. 18.

Ad secundum.

Ad secundum dicendum, quod dictum Dama. nihil plus omnino facit, nisi quod Angeli dicuntur circumscribi loco, & hoc intelligendum est vt ipse dicit non situaliter ad modum corporis, sed virtualiter sicut spiritus creatus & in suá virtute limitatus, qui circa corpora in suis locis determinatis existentia suam exercet operationem. Deus autem cuius virtus attingit à fine vsque ad finem fortiter, est omnino incircumscriptibilis, & hoc intendit Damascenus, vt patet intuenti illud capitulum.

Ad ter-

Digitized by Google

Ad tertium dicendum, quod iſta poſitio nullo modo negat, quod Angeli ſint in cœlo, quia ſecundum philoſophum & eius Commentatorem eſt locus ſpirituum, ſed ponit quod Angelus in cœlo exiſtens poteſt tranſire ad terram, & hoc vel non applicando virtutem ſuam ad aliquod corpus medium, & hoc eſt ipſum tranſire non tranſeundo per mediũ, vel applicando virtutem ſuam corporibus medijs, primus tranſitus eſt motus non continuus ſecundum S. Thomam, ſecundus vero continuus. *Ad 3. & cœli commento 2.*

Ad quartum dicendum, quod iſta poſitio non ponit animas miſerorum non eſſe in inferno, & per conſequens non ponit eas nuſquam, vnde nihil eſt ad propoſitum. Nec ponit ipſos Angelos ſic nuſquam, quin ſemper ad libitum exerceant ſuam operationem circa aliquod corpus in loco, non tamen ita quod loco determinato contineantur, & commenſurentur ad modum corporum. *Ad 4.*

Ad quintum, ſextum & ſeptimum, quæ innituntur occurſioni & obuiationi Angelorum in tranſitu beatæ Mariæ virginis benedictæ in ſecula, & beati Martini, & aliorum ſanctorũ, eodem modo eſt reſpondẽdum, ſcilicet quod obuiatio & occurſus eſt alio modo in motu Angelorum, qui ad libitum eorundem poteſt continuus & diſcontinuus eſſe, ſimiliter & animarum ſanctarum ſeparatarum & alio modo iſtorum corporum qui ſemper neceſſario eſt continuus, vnde nulla eſt habitudo in iſtis tribus rationibus. *Ad quintum. Ad ſextũ. Ad ſeptimum.*

Digitized by Google

Ad octauũ. *Ad octauum dicitur*, quod innititur falso scilicet quod inter instans quod ponitur in vno extremo, & instans quod ponitur in alterum transire requiratur necessario tempus medium, hoc enim non ponitur quando motus non est continuus. Quod vero dicit S. Augustinus. *Quicquid est nusquam esse non potest*, sic debet intelligi, non quod locus eodem modo pertineat ad omnia entia, sed quædam loco continentur, quædam circa loca determinata ad quæ applicant suam virtutem operantur, quæ forsan si Deo placeret, possent simpliciter ad tempus nulli corpori suam applicare virtutem operatiuam, & vt tunc non dicerentur esse in loco, sicut oportuit Græcos ponere, qui ponebant Angelos ante istum mundum sensibilem & corporeum. Quoddam autem est quod ad omnia loca & entia se extendit vt Deus, qui in sua æternitate nec dicebatur esse in loco, quando ad locata & loca quæ nondum producta erant suam virtutem non extendebat.

Ad nonũ. *Ad nonum dicendum*, quod locus & motus modo æquiuoco corporibus & Angelis incorporeis conueniunt, vnde Angelus loco non indiget proprie loquendo, nec quando mouetur nec quando quiescit, sed magis locus indiget eo vt continente & circa locata per applicationem suæ virtutis operante, vt patet ex dictis. Vnde quod addunt de philosopho nihil facit ad propositum.

ARTI-

ARTICVLVS XVII.

S.THOMAS in quæstione 53. art. 3. in responsione principali dicit, *quod non est poßibile quod aliquid in toto tempore præcedenti quiescat in vno termino, & postea in vltimo instanti illius temporis sit in alio termino.* Hæc S. Thomas. *S. Th. q. 53. ar. 3.*

CORRVPTORIVM.

HOc videtur falsum in Sacramento altaris, Constat enim quod est dare primum instans in quo est corpus Christi, cum forma corporis sit forma quiescens, & constat simul cum hoc, quod illud instans quod est principium temporis mensurantis esse corporis, est finis temporis præcedentis in quo toto est panis. Idem enim instans quod est principium futuri est finis præteriti, in quo toto tempore fuit panis, ergo cum in toto tempore in quo panis fuit panis, non fuit abiectio panis per transmutationem aliam, manifestum est quod in toto tempore præcedenti quiescit panis in forma sua hoc est sub ratione panis, & tamen in vltimo illius temporis est sub forma corporis Christi. Hæc sunt verba eorum.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

ISTA instantia faciliter sic solui potest, si verba eius factis S. Thomæ intelligantur, Non dicit enim hoc esse impossibile quod aliquid sit aliquo tempore toto sub vna forma, & in vltimo illius temporis sit sub alia forma. Hoc enim contingit in generatione, Materia enim quæ in toto tempore præcedẽti sub forma ignis in vltimo illius est sub forma aeris in generatione aeris ex igne. *Sed impossibile* est inquit *quod aliquid quiescat in aliquo tempore toto in vno termino, & in vltimo illius sit in alio termino. De ratione enim quietis est* (vt ibidem docet) *quod aliquid similiter se habeat nunc & prius.* Quod ergo in aliquo quiescit in toto illo tempore se habet nunc vt prius, & per consequens in eius vltimo non potest poni in aliquo termino alio, quam in eo in quo ponitur quiescere.

Ad hoc quod dicit de pane in Sacramento altaris, dicendum quod nec forma substantialis panis, nec alicuius corporis abijcitur ante vltimum instans, in quo sit transsubstantiatio vel corruptio, immo in toto tempore præcedenti manet materia sub forma sua substantiali, quæ non abijcitur successiue, cũ cõsistat in indiuisibili secundũ philosophũ. Nec tamẽ debet dicit quod materia vel res illa quiescat sub sua forma, sicut nec quod moueatur ad ipsam,

Digitized by Google

sá, licet materia disponatur per motũ ad formæ substãtialis susceptionẽ, quæ fit in instãti, in naturalibus quidem per motum naturalẽ, in sacramento vero altaris per motum sacramentalem, videlicet per illorum verborum prolationem, & licet Deus possit facere absq; omni motu huiusmodi transsubstantiationẽ vel mutationem, non tamen debet dici quod materia vel res transmutanda tempore præcedenti quiescat sub sua forma substãtiali, vt dictũ est, sed quod per ipsam habet esse actu, quod quidem esse præcedit tam quietem quã motum, & sic patet quod illa horum ratio ex falso procedit intellectu.

ARTICVLVS XVIII.

DE hoc quod dicit S. Thomas, quod omnes species per quas Angeli cognoscant sunt eis connaturales. S.Th.q.55 ar.2.

Item q.55. art.2. in responsione quæstionis dicit, *quod omnes species per quas Angeli intelligunt, sunt eis cõnaturales, non à rebus acceptæ.* Et in respõsione tertij argumẽti dicit, *quod cognitio Angeli indifferenter se habet & distãs & propinquum secundum locum.* Et *q.58. art.1.* dicit iterum *in responsione principali, quod Angeli non habent potentiam intellectualem, quæ non sit completa per species intelligibiles connaturales:* & ex his sequitur quod non accipiant cognitionẽ à rebus. Hæc dicit S. Thomas. q.58. ar.1.

Digitized by Google

CORRVPTORIVM.

1\. PRimum non credo esse verum, licet multi hoc dixerunt, quia video quod omnia singularia & variabilia & mutabilia sunt, Quæro ergo an Angelus habeat tot species rei quot modis res ipsa variatur aut tantum vnam? Si primo modo, ergo habet infinitas & innumerabiles. Si autem habet vnam tantum, aut ergo variabilem & mutabilem secũdum variationem rerum aut inuariabilem. Si inuariabilem, ergo nunquam perfecte & vere cognosceret rem illam per illam speciẽ, nisi quando res ipsa est in illa vnica dispositione quam repræsentet species illa, & ita necessario plus ignorabit de re illa quam cognoscet, quod est inconueniens. Si autem habet speciem mutabilem & variabilem secundum dispositionem rei & eius mutationẽ, eadẽ ratio erit de specie cuiuslibet rei alterius, ergo necesse est fieri continuas mutationes infinitas quot sunt mutationes & motus in mundo.

2\. *Item* si cognoscerent per species connaturales, tunc non indigerent existentia rerum ad cognoscendum, sed indigent, ergo &c. Maior patet per *philosophum 3. de anima* dicentẽ, quod *intelligibilia sunt præsentia intellectui, & ideo intelligimus quando volumus, non autem sentimus cum volumus*, quia *sensibilia non semper sunt præsentia sensui*. Minor patet per *S. Augustinum 4. super Gen. ad litteram, capit. trigesimumquinto.*

Tex. com. 154.

S. Aug. de Gen. ad litteram 4. cap. 35.

to. *Minor inquit cognitio vespertina dicta est, quam notitia matutina quam præcedebat quæ fiebant, quia præcedit cognitionem qua quid cognosci potest.*

Secundum scilicet quod cognitio Angeli indifferenter se habet ad distans & propinquum sequitur ex præcedenti. Si enim Angeli intelligunt per species connaturales, cum in speciebus connaturalibus non fiat differentia propter distantiã & propinquitatem rerũ, sequitur quod non fiat diuersa cognitio per eos, siue res sint distãtes siue propinquæ. Sed hoc videtur nobis falsum. Manifeste enim experimur, quod non alio modo cognoscimus distantia quam omnino non entia, & voco distantia prout ipse vocat, vt æstimo ea quę sunt extra prospectum nostrum. Si enim aliquid talium corrumpatur in penitus nihil, non magis scimus ipsum non esse quam prius, nec aliam habemus notitiam de eius esse vel non esse nunc quam prius. Vnde manifefestum est quod distantia & non existentia eodem modo se habent ad cognitionem siue notitiam. Si ergo Angeli per species connaturales possent cognoscere distantiam, sequeretur quod per eosdem possent cognoscere futura & non entia, quod non est contra Damascenum qui dicit *libro 2. cap. 3. Futura quidem neque Angeli neque dæmones nouerunt.*

Præterea, si Diabolus sciuisset quod superãdus fuisset à Christo & à Iob, nunquam expetiuisset tentare eos.

Digitized by Google

Tertium quod dicit, ſcilicet quod Angeli nō accipiunt à rebus, quod ſimiliter falſum reputamus ſequitur ex primo. Si enim cognoſcerent per ſpecies innatas, & non per receptionem à rebus, tunc nihil eis poſſet abſcondi. Nihil enim poteſt abſcondi niſi quod cognoſcitur per receptionem. Sed diabolo poſſunt multa abſcondi, ergo cognoſcit per receptionem à rebus. Minor probatur per S. *Chryſoſt. homelia ſexta ſuper Matthaum.* *Angelus* inquit *bonus cum vult ſe abſcondi inuiſibilem ſe reddit ante diabolum, quoniam niſi voluerit, Angelus bonus à diabolo non videtur.*

S. Chryſ. hom. 6. ſupra Matt. hom. 2.

Item homelia quarta cap. 2. de deſponſata & domi habita natus eſt Chriſtus, vt partus virginis diabolo celaretur.

Item ſi tantum per ſpecies innatas, & non per receptionem cognoſcerent, non poſſent falli vt videtur, poſſunt autem falli, vt habetur à S. Ambroſio ſuper Lucæ 2. vbi dicit, *quod vna cauſa deſpenſationis* Beatæ *virginis fuit, vt virginitas matris falleret principem mundi, qui cum deſponſatam viro cerneret, partum non potuit habere ſuſpectum.* Et ſubdit, *fallendi principem mundi fuiſſe concilium, ipſius Domini verba declarant, cum Apoſtoli iubentur tacere de Chriſto, ſanati prohibentur gloriari de remedio, dæmones iubentur ſilere de verbo Dei.* Hæc ſunt verba eorū.

Amb. in Luca 2.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

Iſtę obiectiones facile ſoluuntur, ſi poſitio dicta intelligatur. Cum enim ſecundum

quod

quod docet Beatus Augustinus res prius sunt factæ in mente Angelica quam in natura propria. Manifestum est secundum ipsum quod non à rebus in natura propria, sed à rerũ omniũ causa, sc. sapientia diuina species illæ deriuantur, per quas res ipsæ ab Angelis intelligũtur. Sicut ergo illa sapiẽtia absq; sui mutatione mutabilia repræsentat quantum ad omnia, quæ in ipsis sunt quorum est causa, sic istæ species repræsentant omnia, quæ sunt in istis materialibus ac mutabilibus sine sui mutatione reali, & hoc, quia à causa omnium rerum (vt dictum est) descendunt. Sicut enim albus existens assimilatur de nouo dealbato sine mutatione suæ albedinis, sic intellectus Angelicus per speciem quam habet sibi innatam rei de nouo productę assimilatur absque illius speciei siue formæ mutatione.

Res prius facta sunt in mente Angelica quam in natura propria.

Et per hoc patet ad primum argumentum. Vnius enim rei mutabilis vna tantum est species in intellectu Angelico. Non tamen sequitur quod non potest rem repræsentare nisi quãdo est sub vna dispositione, quia ista species non solum descendit à causa rei sub vna dispositione sed sub quacunq;. Hinc est quod potest rem repræsentare non solum sub vna dispositione sed sub quacunque. Nec oportet ipsam mutari per mutari rei, sicut nec forma ipsius albi mutatur, si alij mutentur acquirẽtes albedinem in qua sibi assimilẽtur, quamcunq; enim dispositionem vel formam possibile est rem ipsam per sui mutationem acquirere, potest species ipsas repræsentare, & hoc,

Ad primũ

Digitized by Google

hoc, quia potest esse similitudo omnium illarum, cum descendat à causa rei in qua omnia illa relucent.

Ad secundum.

Ad 2. dicendum, quod intellectus Angelicus non indiget existētia in actu ad hoc quod intelligat, sed sufficit quod habeat speciē rei intelligibilis. Istud in intellectu humano (qui longe est inferior per naturam) manifestum est. Non enim ad hoc quod intelligat rosam in hyeme vel aliam quamcunque rem requiritur in intellectu existentia eius in actu, sed per speciem in intellectu existentem perfecte intelligitur. Quod autem adducunt quod secundum S. August. præcedit cognitionem quicquid cognosci potest, non est contra prædicta. Non enim intendit S. Augustinus quod omnis cognitionis actus accipiatur à re existente; sed quod nihil potest habere rationē cognoscibilis nisi prius re vel ratione habeat rationem entis. Et quod hoc intendat patet per hoc quod sequitur ibidem immediate. *Nisi enim* ait *sit quod cognoscitur cognosci non potest.* Cum ergo actus habeat nobilitatē ex obiecto, secundum quod obiectum cognitionis Angelicæ habuit esse in verbo nobilius vbi videbatur visione matutina, quam in natura propria vbi videbatur visione vespertina, nobilior erat actus cognitionis vnius quam alterius. Et hoc est quod ibidem intendit S. Augustinus, prout patet intuenti super *Gen. ad litteram, libro quarto cap. 35. per totum.*

S. Aug. de Genesi ad literam 4. cap. 35.

Ad

Ad tertium dicendum, quod nulli habenti intellectum sanum vertitur in dubiũ, quod propinquitas localis ad actũ cognitionis intellectiuæ nullatenus requiritur. Cũ ergo dicunt quod ipsi experiuntur quod non aliter cognoscũtur distantia quã omnino nõ entia, manifestum est omni experto quod mentiuntur. Quod enim omnino non est non esse cognoscibile vllo modo Quod vero distãs est & extra prospectum visus nostri, qui in vidẽdo iuuatur propinquitate proportionata sui obiecti, & nimia ipsius impeditur distantia non minus est intelligibile quam prius, dummodo eius species intelligibilis quæ à situ nõ dependet habeatur perfecte ab intellectu, quoniam nec præsentia nec actualis existentia requiritur ad hoc quod res ipsa actu intelligatur, alioquin non intelligeremus cum vellemus, quod est contra philosophum, & hoc certe si attendissent istam auctoritatem *secundi de anima*, non adduxissent per se, quia est manifeste contra eos, sicut patet omni intelligenti Si autem ponatur quod aliquid talium omnino annihiletur quod non habeat esse in anima, nec extra animam vt obijciũt, tunc planum est quod non est amplius intelligibile. Ad 3.

Quod vero subdunt; *Si Angeli cognoscunt* per species innatas distantia, ergo eadem ratione possunt cognoscere futura per easdem, manifestum est cuilibet quod consequentia non valet. Quod enim futurum est, nec est nec habet similitudinem, & T.c.154.

per

per consequens cum non habeat aliquam speciem in intellectu per quam cognoscatur, licet autem aliquid sit distás, nihilominus species eius in intellectu existens est similitudo quidditatis siue entitatis eiusdem, sicut patet ex dictis; vnde quod adducunt de Dama. quod Angeli non cognoscunt futura nisi per reuelationem, futura dico contingentia concedendum est.

Ad 4. *Ad quartum cum dicunt*, quod si Angelus cognosceret per species innatas & non per receptionem, tunc nihil posset ei abscondi, non valet consequentia, quia ad hoc quod aliquid actu intelligatur, non solum requiritur quod species eius ab intellectu habeatur, sed oportet quod intellectus specie habita actu vtatur. Potest ergo Angelus bonus se abscondere à Diabolo vt dicit Chrysost. & hoc ipso Deo vel forsan Angelo bono impediente Diabolum, ne vtatur specie innata ad contuendum ipsum Angelum.

Quomodo partus Christi celatus fuerit Diabolo. *Quod vero dicit Chrysost.* quod de desponsata & domi habita natus est Christus, vt partus virgineus Diabolo celaretur, non sic habet intelligi quod clausio in domo faceret partũ virginis occultari à Diabolo, sed quod eius custodia ac desponsatio faciebant Diabolum non attendere Beatam virginem aliunde cõcepisse quam à sponso proprio, & sic partus virgineus celaretur eidem.

Ad 5. *Et per hoc patet responsio ad quintum argumentum*, sic enim fallebatur Diabolus in partu virginis, vt dicit Ambrosius qui cum despõsatam

ſatam viro cerneret partum non potuit habere ſuſpectum, attendendo ſcilicet ipſam aliunde concepiſſe quam de proprio ſponſo. Eodem modo poſſet decipi, cum potentiam viſiuam in cœco illuminato attendendo; ſcilicet ad ipſam non vt productam à Deo miraculosè, ſed vt productam ab eo per principia naturæ & hoc vtique exiſtimando falletur.

Articulus XIX.

De hoc quod dicit S. Thomas; quod intellectus non poteſt ducere ad eſſe intelligibile iſtas formas materiales, niſi prius duceret eas ad eſſe formarum imaginatarum, *S. Th. q. 55 art. 1.*

Item q. 55. art. 2. in reſponſione ſecundi argumenti dicit, *quod quancũcunque ſit potens intellectus Angelicus non poteſt formas materiales producere ad eſſe intelligibile, niſi prius reduceret eas ad eſſe formarum imaginatarum, quod eſt impoſsibile, cũ careat imaginatione*, & ſic vult quod formæ materiales non poſſunt reduci ad eſſe intelligibile, niſi prius reducantur ad eſſe formarum imaginatarum. *Formæ materiales non dicũtur ad inte intelligibilia quã prius ad imaginatiuam q. 64. art. 5.*

Hæc dicit S. Thomas.

(∴)

CORRVPTORIVM.

1. HOc videtur falsum & contra experientiam & contra philosophiam; dicit enim Commentator *super tertio de anima*, super illam particulam. *Quoniam autem priuatio passionis. Instincte imaginatiua, cogitatiua & memoratiua non sunt nisi loco virtutis sensitiuæ & ideo non indigetur eis nisi in absentia sensibilis, & omnes iuuant se ad præsentandam imaginem rei sensibilis, vt aspiciat eam virtus rationalis abstracta & abstrahat intentionem vniuersalem.*

Com. 33. tertio de anima.

2. Item in eodem super illam litteram *de quæsitiuo & fugitiuo dicit. Intentio cognitionis nihil aliud quam vt hæc*, scilicet *virtus cogitatiua faciat rem absentem à sensu quasi rem sensatam*, & parum infra, *& ideo cum comprehensibilia per sensum sunt præsentia apud sensum, tunc cessat cogitatio & remanebit intellectus in eis.* Ex prædictis verbis Commentatoris (quorum veritatem quilibet potest experiri in seipso) patet quod non est necesse formas materiales reduci ad esse formarum imginatarum ad hoc quod fiant intelligibiles. Hæc sunt verba eorum.

(.·.)

RES-

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

IN ista instantia duo sũt admiranda. *Vnum* quod dicunt se experiri quod nunquam homo est expertus. *Aliud*, quod dicunt Commentatorem sentire quod nunquã sensit nec aliquis Philosophus. Ait enim *in 3. de anima*, super illam litteram, *& in anima sensibili*, parum ante illud, quod pro se adducunt in articulo secundo ; *necesse fuit vt intellectus immaterialis non intelligat aliquod sensibile absque imaginatione*, & *hoc dixit expresse, quod vniuersalia abstracta colligata sunt cum imaginationibus, & corrupta per corruptionem eorum*. Hæc Commentator. Patet ergo secũdum ipsum in hoc loco, & vbicunque loquitur de hac materia, quod formę vniuersales nõ abstrahuntur nisi à phantasmatibus quæ sunt in virtute imaginatiua. Et ideo dicit philosophus ibidem, *quod nihil intelligit anima nostra sine imaginatione*, vbi nostra littera habet ; *sine phantasmate nequaquam intelligit anima*, quod est idẽ. Quæ ergo obijciunt de Commentatore ex falso intellectu procedunt, & contra eos sunt potius si intelligantur. *Ad primũ* *Com. 30.* *T. co. 30.*

Quod enim dicunt primo ; quod illæ tres interiores virtutes sunt loco sensitiuæ virtutis ; & ideo non indigent eis nisi in absentia sensibilis ; sic habet intelligi, quod anima in præsentia sensibilis sufficienter percipit per virtutem sensitiuam ipsum sensibile ; & in absentia eiusdem vtitur

 necessa-

Digitized by Google

necessario illis tribus virtutibus, quādo enim coloratum est præsens, non oportet ad hoc quod videatur sensu exteriori, quod anima se conuertat ad phantasmata reposita in memoria, verumtamen ad hoc quod intelligatur necesse est, quod species intelligibilis abstrahatur à phantasmate quod est in ipsa imaginatiua. Et hoc manifestum est per verba Commentatoris consequenter, quæ ipsi adducunt, & omnes illæ virtutes, scilicet imaginatiua, cogitatiua & memoratiua iuuāt se ad præsentandum imaginem rei sensibilis, vt aspiciat eam virtus rationalis, & abstrahat intentionem vniuersalem. Ecce quam aperte vult quod virtus rationalis abstrahat intentionem vniuersalem ab imagine repræsentata per virtutem imaginatiuam cooperantibus alijs duabus. & sic patet quod illud quod adducunt est contra eos.

Ad 2. *Ad secundum dicendum* quod etiam nihil facit pro eis, quod enim dicit Commentator, quod cum comprehensibilia per sensum præsentia sunt apud sensum, tunc cadit cogitatio & remanebit actio intellectus in eis, non sic habet intelligi, quoniā semper à phantasmate existente in virtute, id est imaginatiua, fiat abstractio speciei intelligibilis, sed quod res præsens cognoscitur ab intellectu etiam esse præsens in se. Quādo vero absens est, cognoscitur esse præsens in sua imagine in virtute imaginatiue existente. Et quod hæc sit mens Commentatoris & etiam philosophi satis patet cuilibet intuenti & intelligenti.

ARTICV-

Digitized by Google

ARTICVLVS XX.

DE hoc quod S. Tho. dicit quod Angelus superior intelligat per species pauciores. Itẽ *qu.55. artic.3.* in responsione principali dicit, *quod quanto Angelus est superior tanto per species pauciores vniuersitatem rerum intelligibilium capere potest, & ideo oportet quod huiusmodi formæ sint vniuersaliores quasi ad plura se extendẽtes.* Et infra in solutione tertij argumẽti dicit, quod *in ratione vniuersali quæ est in mente Angeli propter eius excellentiam multa possunt cognosci siue aspici propria cognitione.* *1.p.q.55. ar.3.* *ibidẽ ad 3.*

Item in q.57, art.2. in responsione tertij argumenti dicit, *quod Angeli cognoscunt singularia per formas vniuersales*, quæ *tamen sunt similitudines rerum, & quantum ad principia vniuersalia, & quantum ad principia indiuiduantia.* Simile dicit, *q.89. art. 1.* in responsione principali. Hæc S. Thomas. *57.art.2. ad 3.* *q.89.*

CORRVPTORIVM.

HAEc positio videtur falsa. Dicit enim S. Augustinus *de 83.q.q.46. Omnia ratione condita sunt, nec eadem ratione homo qua equus.* Hoc enim absurdum est existimare, singula ergo proprijs sunt causata rationibus. *S. Aug. li. de 83.q.q. quæst. 46. idẽ in exẽpla Nebridum.*

Item S. Augustinus in epist.48. ad Nebridium, quæ sic incipit. *Recentissimis litteris tuis*, ita dicit alloquens Nebridium: quærens, *vtrum ista summa veritas & summa illa sapientia per quam facta sunt omnia, quam filium Dei sacra confitetur doctrina, generaliter hominis, an etiam vniuscuiusque nostrum ratione contineat*. Et respondet. *Sed mihi videtur quantum ad faciendum hominē attinet, hominis quidem tantum non meam vel tuam ibi esse rationem. Quantum vero ad ordinem temporis, varias hominum rationes in illa viuere sancta trinitate*. Hæc S. Augustin. Ex auctoritate, 83. *q. patet*, quod Deus non ratione generali producit hominem & equum, ergo per consequens nec cognoscitur eadem ratione homo & equus sed omnia proprijs rationibus. Similiter ex auctoritate ad Nebridium, patet quod non vna ratione speciei cognoscit & producit indiuidua contēta sub specie, ergo si modus cognitionis Angelicæ non est nobilior modo cognitionis diuinæ oportet quod Angeli non cognoscant per formas paucas & vniuersales multa: licet singula per formas proprias.

5. *Præterea ipsemet dixit, q.89. artic.1.* in respōsione tertij argumenti, quod intelligentiæ separatæ cognoscant per species & influentia diuini luminis participatas, ergo cum in lumine diuino alia sit ratio generis, alia specierum, alia indiuiduorum, vt preostensum est per S. Augustinum, necesse est quod aliæ & aliæ sint in intellectu Angelico, quia tamen est maior vnitas essentiæ in effectu quā in causa.

Præ-

Digitized by Google

Præterea, si quanto Angelus superior est tanto per pauciores species vniuersitatem intelligibilium intelligere potest, cum nouem sint ordines Angelorum, & vnoquoq; primi, medij & infimi siue vltimi, vt dicit S. Dionys. de Ange. hierar. c. 10. multo plures sunt gradus Angelorum quam formarum in prædicamento substantiæ, descendendo à genere generalissimo vsque ad speciem specialissimã & indiuiduam, sequeretur quod aliquis superiorum cognosceret per formam generis, generalissimi omnia contenta in prædicamento substantiæ. Et superior illo si est, vel si non est constat quod potest à Deo produci, intelligeret omnia non per formam aliquam quod est impossibile, vel si per vnam tunc non est vniuersaliter verũ quod Angelus superior sẽper cognoscit per vniuersaliores formas & pauciores. 3. *S. Dionys. de cœl. Hierar. c. 10.*

Præterea, forma nõ est principium cognoscendi nisi id cui assimilatur & quod sibi assimilatur, sicut videmus in cognitione sensitiua, imaginatiua & intellectiua. Omnia ergo quæ cognoscũtur per vnam formam simplicem, assimilantur illi formæ simplici. Sed quæcunque assimilantur vni & eidem formę simplici assimilantur inter se, sicut quæcunque vni & eidem sunt eadem vel æqualia, inter se sunt eadem vel æqualia, ergo omnia quæcunque cognoscuntur per vnam formã vniuersalem, inter se sunt similia, hoc autem falsum est, ergo & primum. Hæc sunt verba eorum. *1. physit.*

Digitized by Google

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

AD horum dissolutionem dicēdum, quod forma omnino propria quæ Deus est propter suæ perfectionis plenitudinem: est illud quo cognoscuntur omnia ab eodem sicut sunt, & ab ista vna forma quæ est ratio intelligendi omnia, participant Angeli formas siue species per quas intelligunt, ita quod istę formæ siue species sunt quasi quædam illius vnius formę participationes. Et quia ista participatio plenior inuenitur in superioribus Angelis. Hinc est quod species in eis magis accedunt ad vnitatem, & sunt per consequens pauciores in repræsentando & magis vniuersales, vtpote illi vni formæ omnia vniuersaliter repræsentanti similiores.

Ad primũ *Ad illud quod adducunt de S. Augustino dicendum*, quod quamuis multæ sint ideæ ac diuersorũ diuersæ non tamen multa sunt, sed omnino vnũ est quo Deus omnia nouit & omnia producit. Essentia enim diuina quæ summe est vna repręsentat semetipsam perfectissime Deo cum omni habitudine quam habet ad singulos gradus quibus est imitabilis à creatura. Et idem est quod Deus vno intelligit multa, immo omnia tam ideas quam ideata.

Nota idea non eidem quo Deus intelligit. Idea enim non est illud quo Deus intelligit ideatum, sed est illud quo intelligendo ideatum intelligit, quia relatio siue respectus ad ideatũ quod est formale in ratione ideæ nihil facit ad actum intellectionis in Deo, cum nõ sit in ipso nisi solum secundum dici, sed à Deo intel-

Digitized by Google

intelligéte intelligitur. Essentia igitur diuina intellecta cum tali respectu imitabilitatis à creatura dicitur idea eiusdem, & secundum quod sunt diuersi gradus imitabilitatis, secundum hoc est diuersitas in ideis, quæ omnes sunt vna essentia Dei realiter, & per eadem intellectæ perfectissime. In hoc ergo fuerunt isti cauillatores decepti, quod pluralitatem quæ inuenitur in Deo à parte obiecti intellecti ipsi ponebant (& falsò) à parte principij intelligendi, quod si vellent defendere, nulli dubium quin essent hæretici pessimi cum ex hoc sequatur pluralitas essentiæ in diuinis, quod nefas est suspicari. Cum enim Deus essentia sua omnia intelligit, si pluribus intelligit plures vtique habet essentias, quo nihil absurdius, nihil auribus fideliũ intolerabiliꝰ.

Ex hoc scilicet respondeo ad secundum. Ex hoc ipso enim quod istæ species causantur ex influentia diuini luminis deriuatæ ab illa forma, vna quæ est ratio intelligendi omnia vt dictum est, tanto sunt pauciores & in reputando vniuersaliores, quanto illi vnitati quam participant sunt similiores. *Ad 2.*

Ad tertium dicendum, quod cum dicunt, quod multo plures sunt gradus Angelorum quam formarum in prædicamento substantiæ, nulli dubium est quin dicant falsum, quot enim sunt Angeli tot sunt gradus formarum substantiarum immaterialium & non materialiter, cum materia careant differentium vt dictum est, & præter has (vt patet inspicienti) sunt formæ substantiales materiales specie *Ad 3.*

differentes quæ quidem sunt innumerabiles vt lapidum, herbarum, auium, & aliorum huiusmodi. Sed forsitan isti putabant quod omnes gradus formarum substantialium notificentur in arbore Porphyriana (ad verecundiam eorum loquor) nulla igitur forma vna creata, & per consequens limitata nata est omnia simpliciter repræsentare, sed hoc competit formæ primæ quæ illimitata est & infinita.

Ad 4. *Ad quartum cum dicunt quæcunque vni & eidem assimilantur inter se assimilantur.* Dicendum quod hoc non est verum vbi aliqua alicui assimilantur per quandam participationẽ perfectionis secundum plus & minus, sic enim omnes creaturæ essent inter se similes, cum singulæ in suis gradibus perfectionem primam quæ est causa omnium participent. Aliter vero est vbi aliqua sunt alicui vni & eidem æqualia vbi non est perfectionis participatio sed adæquatio magis. Species vero in mente Angelica (prout dicit S. Thomas) non est adæquata vni intelligibili sed plurium repræsentatiua, vnde non oportet ea quæ in diuersis gradibus participant perfectionem in qua assimilantur formæ huic inter se sint similia.

ARTICVLVS XXI.

DE hoc quod S. Thom. dicit *parte* 1. *q.*62.*art.*6. in responsione questionis & argumentorum, *&* *q.*108.*ar.*4. in responsione *prim.* *&* *eadem.q.* *art.*8.

art. 8. in respons. primi arg. *quod Angelis data est gratia & gloria secundum gradum suorum naturalium, ita quod hi qui habuerunt naturalia meliora etiam plus habuerunt de gratia & gloria*, quod primo per magistrum, 2. *sen. dist.* 3. qui dicit. *Qui natura magis subtiles sunt creati, hi etiam maioribus muneribus gratia perditi sunt.*

Secunda, quia sicut natura Angelica facta est à Deo ad gratiam & gloriam consequendam: ita & gradus natura Angelica ad diuersos gradus gratia & gloria ordinari videntur, ergo quos altiores fecit, ad maiorem gratiam & gloriam ordinauit.

3 Hoc patet ex hoc, *quod Angelus non est compositus ex diuersis naturis, vt inclinatio vnius natura impediat impetum alterius vel retardet, sic accidit in homine, in quo actio intellectiua partis impedit & retardatur ex inclinatione partis sensitiua, quando autem non est retardans nec impediens, tunc natura mouentur secundum suam totam virtutem, & ideo rationabile est quod Angeli qui habuerunt meliora naturalia fortius & efficacius cõuersi sunt ad Deum. Et hoc in hominibus contingit, quod secundum intensionem conuersionis in Deum, datur maior gratia & gloria, vnde videtur quod Angeli qui habuerunt meliora naturalia habuerunt plus de gratia & gloria.* Hæc sunt verba Thomæ.

CORRVPTORIVM.

INTER articulos olim condemnatos à Domino venerabilis memoriç Parisiensi Episcopo, iste fuit nõ, quod Angeli qui habuerunt

runt meliora naturalia de necessitate habuerunt maiorem gratiam & gloriam. Articulus autem quem præ manibus habemus parum aut nihil differt à prædicta, & ideo prædicta condemnatio sufficere debet ad reprobationem istius ar. & responsiones ad argumenta. Verumtamen dicimus ex abundanti, quod videtur dictum in præiudicium gratiæ quia si secundum meliora naturalia datur maior gratia vel minor secundum minora, ergo simpliciter datur gratia secundum naturalia, quia si magis sequitur magis, & simpliciter sequitur simpliciter, & si gratia datur secundum naturalia, non est gratia.

2. *Præterea*, si ei qui meliora habuerunt naturalia plus habent de gratia & gloria, tunc Lucifer qui meliora naturalia habuit, præ alijs plus habuisset de gratia & gloria, quod est falsum & erroneum.

3. *Præterea*, gratia & gloria dantur secundum motum liberi arbitrij qui immediatius disponit ad gratiam & ad gloriam, in habente autem liberum arbitrium motus disponens ad gratiam & gloriam non fit secundum naturalia, sed secundum libertatem, ergo vel nõ habuerunt Angeli liberum arbitrium, vel receperunt gratiam & gloriam secundum illius conatum, non ergo secundum gradum naturalium.

Ad rationes S. Thomæ respondent.

Ad primam ergo dicendum, quod magister non dicit, quod secundum naturalia data sit eis gratia & gloria, quod qui natura & sapientia

ratio prima diluitur.

tia magis ſubtiles & amplius perſpicaces fuerunt maiori gratia præditi ſunt. Sunt inquam præditi non propter naturalia meliora, ſcilicet propter diuinum beneplacitum & liberi arbitrij motum.

Ad ſecundum de gradus diſtinctione dicendum, quod ſi ſtarent & conatentur proportionabiliter ad gradus correſpondentes gratiæ & gloriæ peruenirent. 2.

Ad tertium dicendum, quod licet Angelus non habeat impedimentum à parte naturæ ſuæ, poteſt tamē habere à parte libertatis ſuæ, quæ poteſt ſe minus mouere in Deum, immo etiam non mouere, ſed in contrarium, vt patet in Lucifero & in ſequentibus eius. 3.

Quod etiam additur vbi non eſt impeditus tunc natura mouetur ſecundum totam virtutem, verum eſt in natura non libera, ſed in natura libera falſum eſt, ſaltem in via quales fuerunt Angeli antequam gloriam habuerunt. Et quod addit, *quod habentes meliora naturalia rationabile eſt quod ad Deum fortius conuerſi ſunt*, verum eſt, quod ita eſſe decuit, non tamen ita fuit, ſicut patet de Lucifero & alijs cadentibus.

Ad quartum cum dicit, quod in hominibus ita contingit dicendum, quod eſt vt ſic eſt vt non. 4. Nam ſi hic homo plus conuertit ſe in Deum plus accipit de gratia, non quia conuerſio ſit huius cauſa ſed Deus, non tamen ſemper homo qui habet meliora naturalia plus ſe conuertit in Deum, immo ex illis quinque plus ſuperbit, & magis ſe auertit à Deo vt patet in Lucifero. Hæc ſunt verba eorum.

RESPON-

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

OMNES istæ cauillationes procedunt ac si S. Tho. posuisset, quod meliora naturalia essent causa principalis; quare necessario maior gratia vel maior gloria daretur eidē, hoc tamen nō ponit, vnde cū improbet suam propriam phantasiam falsam, non esset respondendum eis. Ex abundanti tamen ne aliquid videantur dixisse per singula dicta sua refellantur.

Ad primū

Ad primum ergo dicunt; quod parū aut nihil differt dicere, quod Angeli qui meliora naturalia habuerunt, plus gratiæ & gloriæ receperunt, & dicere quod Angeli qui habuerūt meliora naturalia necessario vel de necessitate maiorē gratiā receperunt & gloriā, nulli puto dubiū quin dicat falsum. Sic enim non differret dicere homo sedet & homo de necessitate sedet, & homo secundum quod plus habet de arte scribendi melius scribit, & secundū quod plus habet de arte illa de necessitate meli⁹ scribit cum tamen sit contingens quod scribat, & per consequens quod bene scribat, & tamē posito quod vteretur arte illa secundū totā virtutem, manifestum est quod quanto plus haberet de arte si nullum esset impediens, tanto meliorem litteram scriberet. Sic Angeli qui bene vtebantur suis naturalibus secundū suā totam virtutem nullo impediente, plus meruerunt, & per consequens maiorem gratiam

& glo-

& gloriam habuerunt qui melioribus donis præditi sunt.

Ad illud vero quod obijciunt: Si magis sequitur ad magis, ergo simpliciter sequitur ad simpliciter. Dici potest quod secundum philosophum regula sequitur ecõuerso. Si simpliciter ad simpliciter, ergo magis sequitur ad magis; nec tenet nisi in per se veris; verumtamẽ concedi debet quod secundum naturalia datur gratia, non quidem eorum merito, hoc enim esset contra Apostolum Rom. 9. Nec ita quod ipsi sint prima causa necessaria maioris gratiæ & gloriæ, sed sunt dispositio cõgrua immo certe necessaria ad vtrumque, non enim posset gratia vel gloria communicari nisi naturæ intelligibili. *Obiectio prima.*

Ad secundum patet ex dictis, non enim sic secundum meliora naturalia dicimus communicari meliora dona quod ipsa sint causa necessaria huius communicationis, sed pro tanto quod hi qui vtebantur secundum totã virtutem suam donis naturæ in conuersione sui gratia cooperante ab eo, qui disponit omnia suauiter plus gratiæ & gloriæ receperunt. Lucifer vero non vtebatur bonis collatis, sed abutebatur auertendo se à Deo, sed ideo non accepit, scilicet perdidit illa dona meliora sibi si stetisset conferenda. *Ad 2.*

Ad tertium dicendum, quod illi qui habuerunt meliora naturalia nobiliorem motum liberi arbitrij in Deum habere poterant, vnde boni qui actum secundum totam virtutem suam exercuerunt, maiorem gratiam & gloriam acceperunt. *Ad 3.*

Digitized by Google

Euertuntur argumenta in contrariũ dicta.

Quod ergo dicunt ad primum argumentum S. Thomæ, quod Dei beneplacitum fuerit causa; & quod motus liberi arbitrij dispositio vtique con[illegible] a fuit quare dabantur illi dona, concedi debet, quia tamen secundum gradum naturalium (vt dictum est) erat gradus illorum motuum, ideo conueniens erat vt secundum eandem proportionem esset gradus donorum. *Vnde quod ipsi dicunt in responsione ad secundum Argumentum*, scilicet quod qui steterunt non conabantur secundum naturæ suæ proportionem, falsum est & non concedendum.

Quod vero dicunt ad tertium argumentum, quod à parte libertatis arbitrij potest esse quod Angelus non moueatur in Deum, sed auertat se ab eo, verum dicunt, sed quod volunt quod minus moueatur in Deum ille qui mouetur & conuertitur, cum nullum sit impedimentum irrationabiliter & falsum dicunt. Sicut enim dæmones toto conatu conuertebantur ad amorem sui in sua auersione à Deo, sic boni Angeli toto conatu conuertebantur ad amorem Dei in sua conuersione ad Deum; quia sicut Angelus non intelligit se per discursum ad modum nostri scilicet successiue vnum post aliud, sed totum simul vno actu simplici apprehendit, ita ad se apprehensum fertur totaliter & toto affectu vel seipsum in Deum referendo sicut bonus, vel in se finaliter sistendo sicut malus.

Quod vero dicunt ad quartum argumentum, quod homo qui habet meliora naturalia aliquando

Digitized by Google

aliquando superbij verum est, & hoc contingit Angelo, habentes tamen meliora naturalia & eis recte vtendo secundum totam suam virtutem gratiam & gloriam recipiunt ampliorem.

ARTICVLVS XXII.

EST de hoc quod S. Thomas dicit *parte 1. q. 62. ar. 9.* in responsione vltimi argumenti quod Angeli beati non merentur præmium accidentale. *De merito Angelorũ S. Thom. 1. p. q. 62. ar. 9.*

CORRVPTORIVM.

HAEc positio videtur fauere *sexto errori* Parisijs condemnato, qui est, *in substantijs separatis non est possibilis transmutatio,* item errori, 11. qui est, *quod Angelus nihil intelligit de nouo.* Item errori 13. qui est, *quod Angeli beati habent bonum quod eis possibile est cum producuntur, nec desiderant bonum quod caret.* Videtur etiam in præiudicium officij Angelici & gratiæ. *Error Parisiensis 6. unde & 13.* Cum enim secundum S. Gregorium 52. moralium, duplex sit actus in Angelis missis ad ministerium nostrum, scilicet actus contemplandi quo à Deo nunquam recedunt, & actus ministrandi quo exterius ad nos propter nostram salutem exeunt, & actus ministrandi non est actus naturæ aut gloriæ, oportet quod sit actus officij vel gratiæ. Talis autem actus in eo qui habet officium viatoris est necessario meritorius, non præmij essentialis vt patebit, ergo præmij accidentalis, *S. Greg. 3. moral. duplex actus Angelorũ.*

 alio-

Digitized by Google

alioquin fieret præiudicium gratiæ Dei in Angelo & officio eius. Vnde Hugo super illud Angelicæ hierarchiæ, c. 2. *Vnaquaque Hierarchiarum proficit suis diuinis laudationibus*, dicit sic *Proficit inquam, quia omnis dignitas & potestas secundum officij & ministerij gratiam qua Dei laudem & honorem prædicare & amplificare potest, in fructum retributionis exercet.* Et ibidem loquens de Angelis eisdem dicit, *Ergo secundum gratiam sunt dona, secundum dona sunt merita, secundum diuersitatem meritorum constat diuersitas præmiorum.*

Hugo c. 2. in Chl. Hie.

2\. *Præterea*, cum Angelus malus qui datur nobis in exercitium peccet, quare Angelus bonus qui datur nobis ad suadendum bonum salutiferum, non merebitur præmium accidentale.

Legenda S. Ioannis.

Præterea, in legenda sancti Ioannis Euangelistæ secundum vsum Romanæ Ecclesiæ habetur sic. *Vidi Angelos nostros flentes, Angelos vero sathanæ in nostra deiectione gaudentes.* Eo igitur modo quo illi boni Angeli custodes eorum flebant de eorum apostasia, econtra congaudebant de eorum pœnitentia, secundum illud. Lucæ 15. *Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.*

Luc. 15.

Si dicas, quod de pœnitentia peccatoris gaudeant omnes etiam assistentes patet quod hoc gaudium est accidentale, & vt de bono secundum se sed Angeli custodes flebant, & ministrantes specialius gaudent vt de bono per eos in eis procurato, quod non potest

de An-

Digitized by Google

de Angelis assistentibus dici non missis. Vnde dicit, *Vidi Angelos nostros flentes*, non Angelos absolute.

Si *autem aliquis obijciat sic*. Si Angeli merentur ministrando nobis, cum per eorum ministerium non diminuantur fruitio, vt dicit S. Gregorius, 3. moralium, melioris conditionis & nobilioris videntur esse quam assistentes, & nobilitatur (vt videtur) eorum conditio per ministerium.

Quia si in ministrando mereantur gaudium accidentale, iniuste agitur nisi maius gaudium retribuatur eis, quam eis qui non meruerunt. Quia si plus gaudij retribuatur ministrantibus sequitur quod melius sit ministrare quam non ministrare, quod videtur inconueniens sicut & primum, ergo si merentur in ministrando, videtur ponendum quod merentur præmium essentiale, non accidentale, prout magister dicit 2. *lib. sententiarum, dist.* 2. *c. vl.*

Ad primum potest dici, quod ministrantes non sunt melioris conditionis quam assistentes, nec nobilioris simpliciter, sed secundum quid, scilicet secundum quod Angelus gaudebit de hoc homine vt ab ipso bene custodito & edocto, ipsoque saluato per ministeriũ eius omnes alij gaudebunt de illo, vt saluato solum, non tamen nisi per eius ministerium in missione foras exhibitum, loco tamẽ huius particularis & accidentalis gaudij habet *Lib. 2. sen. d. 11. c. vlt.*

Digitized by Google

assistentes multo maiora vt clariorem cognitionem tam verbi quam huius sic saluati, & feruentiorem amorem, & huiusmodi propter quæ sunt adhuc melioris conditionis quam ministrantes.

Ad secundum dicendum, quod non iniuste agitur cum assistentibus & non ministrantibus, si ministrantes plus gaudij habeant quam assistentes non ministrantes, nisi eorum oculus nequam esset, quia Deus bonus est Matt. 22.

Præterea, si quantum meruerunt ministrantes datur etiam sine merito assistentibus gratia deputatur; & si tantum vel plus gaudij accidentalis habent assistentes nulla fit iniuria ministrantibus, quia tollunt quod suum est Matt. 22. Nec minus habent propter hoc quod non ministrantes plus habent, quia non sunt inuidi, sed de bono alterius quilibet gaudet, & ideo non sequitur quod simpliciter melius sit ministrari quam assistere Sed quod melius sit ministrare quo ad quid. Quia autem in ministrando nobis non mereantur præmium substantiale, sic patet, quia si merentur: aut habendum aut iam habitum. Non habendum, quia tunc non haberent modo præmiũ substantiale, quod falsum est cum sint comprehendentes, aut haberent imperfecte, & eius augmentum vel perfectionem expectarent per ministerium, quod etiam videtur falsum esse, tum quia eorum appetitus non esset quietatus, & per consequens nec perfecte beati essent, *cum beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Tum quia tũc essent secun-

Premium duplex aliud essentiale aliud substantiale.

Definitio definitionis.

ſecundũ vtráque vitã, actiuã ſcilicet & contemplatiuam viatores, quod nullus diceret. Si autẽ dicatur quod miniſtrando nobis mereantur præmium eſſentiale iam habitũ, hoc eſt à ſua conuerſione ſuſceptum, hoc eſt contra S. Aug. de correctione & gratia qui dicit. *Angeli ſancti qui alijs cadentibus ſteterunt illius vita mercedẽ accipere meruerunt*. Et eodem *li. c. 4. Si diabolus & Angeli eius per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent donec illam ſummæ beatitudinis plenitudinem, vnde præmium huiuſmodi permanſionis acciperẽt*. Et ergo ſtando, non miniſtrando præmium eſſentiale mercedem vitæ appellat. Huic etiam ſtationi vel permanẽtiæ attribuit Beatus Greg. præmiũ eſſentiale quinto moraliũ, c. 43. *Dominus Deus ſummorum ſpirituum naturam bonam, ſed mutabilem condidit, vt qui permanere nollent ruerent*, & qui in conuerſione perſiſterent tanto in ea dignius: quanto & Dei *arbitrio ſtarent, & eo apud dominum & maioris meriti fierent quo mutabilitatis motus voluntatis ſtatione viciſſent*.

S. Aug. de correp. & gratia.

S. Greg. 5. moral. c. 43.

Præterea ſecundum Gregorium. 9. moralium c. 22. Sicut gratia præcedit meritum ita meritũ præcedit præmiũ, & hoc vel natura & tempore, vel natura tantũ, ergo non merentur iam habitũ, tunc enim meritũ ſequeretur pręmiũ.

Idem 9. moral. 22.

Præterea, Deus eſt motor omnis merentis præmium eſſentiale ad aſſequendum illud, Propriũ eſt autẽ omnis motoris quod ceſſet mouere ſuũ mobile adepto intento ſuo. Cum ergo beatus Angelus iam ſit aſſecutus præmiũ eſſentiale vt finẽ vltimũ, iam Deus non mouet

Digitized by Google

illum vt per ministerium assequatur illud nec à seipso sine Deo mouetur, quia hic finis est supra posse omnis naturæ creatæ sine adiutorio gratiæ merentur ergo Angeli beati nobis ministrando præmium accidentale, non essentiale.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

SI verba S. Thom. rectis oculis intellecta conspexissent, nunquam istam positionem suam errori fauere dixissent, cum ex verbis suis etiam in hoc loco omnium illorum errorum, quos nominant oppositum concludatur. Vt enim ibidem in illius argumenti vltimi responsione dicit, quod præmium accidentale in Angelis augeri potest vsque ad diem iudicij, non quod illud mereãtur cum non sint viatores, sed prædictum gaudium acquirunt ex virtute beatitudinis vt ipse dicit. Ex quo sequitur necessario, quod in substantijs separatis possibilis est transmutatio talis qualis inuenitur in natura intellectuali, & hoc est, oppositum contradictorie errori illi Parisijs condemnato; qui ponit quod in substantijs non est possibilis transmutatio.

Item ex hoc ipso, quod gaudium illud potest augeri, sequitur quod possunt de aliquo gaudere de nouo, vt de noua conuersione peccatoris, quod esset omnino impossibile, nisi possent aliud de nouo intelligere, cum actus intellectus necessario præcedat actum voluntatis, & hoc est oppositum contradictorie illi erro-

Digitized by Google

errori vndecimo, qui ponit quod Angelus nihil intelligit de nouo. Item ex hoc ipso etiam quod gaudium illud potest augeri vt dicit S. Thomas, manifeste sequitur quod Angeli non omne bonum sibi possibile habent in sui productione, Et quod desiderant consummationem gaudij accidentalis quam in die iudicij de omnium electorum salute consequuntur acquirentes eandem ex virtute suæ beatitudinis, & hoc est oppositum contradictorie illi errori 13. qui ponit, quod Angeli beati habent bonum sibi possibile in sui productione, nec aliud desiderant quo carent, vnde non cesso mirari qua fronte dicere potuit istam doctrinam S. Thomæ prædictis erroribus fauere, cum acquirere gaudium illud ex virtute beatitudinis (prout docet S. Thomas) antecedat ad contradictorie opposita omnium illorum, vt patet ex dictis. Quia autem non debebat dici proprie, quod Angeli mereantur illud gaudium, cum non sint in statu viæ patet per S. Aug. *in Ench.* & alibi satis. Nullus enim Angelus simul est viator & cõprehensor, vt ad modũ ipsius viatoris simul vt viator mereatur, & vt comprehensor vltimo fine fruatur.

Ampli in sua productione non omne bonũ possibile sibi acceperunt.

Ad illud ergo quod obÿciunt post quod foret in praiudicium gratia & officÿ Angeli, dicendum quod non est verum, Quamuis enim illud gaudium, mereri proprie non debent dici, cũ non sint viatores, tamen acquirunt illud ex virtute beatitudinis, vt puto apprehensoris. Et potest dici quod Hugo accipit ibi me-

Digitized by Google

ritũ large pro eo ad quod ſequitur augmentũ gaudij in beatitudine, ratione enim huius incrementi dicit Dionyſius, quod vnaquæque hierarchia perficit in diuinis ſuis laudationibus, prout patet per eundem. Hugonẽ in principio huius auctoritatis quam pro ſe allegant.

Ad 2. *Ad ſecundum dicendum*, quod licet Diabolus nos tentando peccet, hoc non eſt ideo quia ad bonum noſtrum nos excitet, & ſic nobis (licet inuitus) miniſtret, ſed hoc eſt ad ſuam peruerſam intentionẽ, non enim intendit exercere ſed præcipitare. *Fur enim non venit niſi vt furetur & mactet & perdat, ſicut dicitur in Ioanne.* Et quamuis Angelus nos cuſtodiens habeat intẽtionẽ bonam ſeu rectam propter quam gaudium accidentale acquirit ex virtute beatitudinis, non tamen dici debet quod illud mereatur, cum non ſit in ſtatu merendi ſiue viatoris.

Ioan. 10.

Ad 3. *Ad tertium dicendum*, quod placet nobis ſicut & ipſis, quod omnes Angeli de conuerſione peccatorũ gaudeant, quia tamen illud gaudium non merentur, ſeu ex virtute ſuæ beatitudinis acquirunt. Hinc eſt quod in illis eſt iſtud maius qui plus habent de beatitudine vt in ſuperioribus aſſiſtentibus prout iſti fatentur ſoluendo obiectum ſecundum quod certe neceſſe eſt ponere, quia quicquid habetur cõmuniter à ſuperiore & inferiore nobiliori modo eſt in ſuperiore quam in inferiore, ſiue ſit gradus naturæ ſiue gratiæ vel gloriæ. Primum patet, Natura enim intellectualis

quæ

quæ communiter habetur ab Angelo superiore & inferiore, nobiliori modo est in superiori quam in inferiore. Secundum similiter patet quo ad gratiam & gloriam essentialem in eisdé, quia (prout patuit supra) qui meliora habent naturalia plus habent de gratia & gloria. Nec potest dici quod hoc solum verũ est quo ad gloriam essentialem non accidentalem. Aureola enim martyrij, quæ est præmium accidentale, & communiter habetur ab omnibus martyribus, in illis vtiq; est nobiliori modo qui habent plus de gloria essentiali.

De obiectionibus autem illis quas faciunt sibi & eorundem solutione apparenti secundum ipsos pertranseo, quia nihil est ibi de quo est curandum.

Quia vero nituntur probare quod Angeli nobis ministrando non mereantur præmiũ substantiale pro S. Thoma est. Ipse enim dicit quod cum sint plene beati & compræhensores, non sunt iam in statu merẽdi suam beatitudinem, nec viatores, vnde illi quo ad suũ propositum laborauerunt inuanum. Et quãdo concludunt in fine, si non merentur gaudium essentiale, ergo merentur gaudium accidentale. Planum est pueris quod peccãt secundum consequens, ex negatiua enim non infertur affirmatiua. Ipsi enim nec merentur modo vnum gaudium nec aliud, sed prout dictum est accidentale ex virtute beatitudinis acquirunt, licet illud proprie non dicatur mereri, cum non sint viatores.

Digitized by Google

ARTICVLVS XXIII.

S. Th. q. 63 art. 6. q. 62. ar. 3 Diabolus statim initio suæ creationis peccauit.

SANCT. Thomas *in q. 63. art. 6.* vbi quæritur, *an aliqua fuerit mora inter creationem & lapsum*, in responsione principali dicit quod *magis est consonum dictis sanctorum*, quod *statim post primum instans suæ creationis Diabolus peccauit.* Et dicit quod *necesse est hoc dicere si in primo instanti suæ creationis prorupit in actum liberi arbitrij, & fuerit creatus in gratia vt diximus. Cum enim Angeli per actum vnum meritorum perueniant ad beatitudinem:* vt *dictum est*, si *Diabolus in primo instanti suæ creationis in gratia meruit statim post primũ instans beatitudinem accepisset, nisi statim impedimentum præstitisset peccando.* Et idem in responsione 4. *argumenti* dicit, quod *inter qualibet duo instantia est medium tempus, veritatem habet inquantum est continuum. Sed in Angelo qui non est subditus motui cælesti, qui primo mensuratur per tempus continuum, tempus accipitur pro ipsa successione orperationum intellectus vel affectus.*

CORRVPTORIVM.

HAEc positio videtur continere duo falsa ad minus prætermisso absque calumnia hoc quod dicit, quod Angelus conditus fuit in gratia, & in primo instanti suæ creationis meruit, quia hoc tenuerunt aliqui antiqui, licet modo non teneatur à magistri

giſtris, vnum eſt, quod ſi Angeli mali nō peccaſſent, ſtatim in proximo inſtanti poſt primum inſtans ſuæ creationis beatitudinem accepiſſent quam meruerunt in primo inſtanti ſuæ creationis, aliud continet poſitio prædicta, quod videtur contrarium doctrinę ſanctorum & philoſophorum, ſcilicet quod duplex ſit tempus, ſcilicet vnum cōtinuum, inter cuius quælibet duo inſtantia cadit tempus medium, aliud diſcontinuum, inter cuius inſtantia non cadit tempus medium. Primum ſcilicet quod Angeli mali in primo inſtanti ſuæ creationis percepiſſent beatitudinem quam in primo meruerunt ſi non peccaſſent in ſecundo, videtur falſum, quia bene ponitur quod idem eſt tempus merendi & demerendi & recipiendi, ſed nullo modo ponitur quod idem tempus merendi & demerendi & recipiendi, ſed ſtatim incipiente tempore recipiendi ceſſat tempus merendi & demerendi, alioquin poſſent gloria & pœna augeri in infinitum, ergo ſi proximum inſtans poſt inſtans ſuæ creationis fuit inſtans recipiendi beatitudinem, non potuerunt mereri beatitudinem, nec peccare & impedire beatitudinem, vel in beatitudinis debitæ receptione.

Duplex tempus dicitur.

1.

Præterea hoc quod ponit, prædicta poſitio de duplici tempore videtur eſſe contra ſanctos & philoſophos. Anſelmus enim *dicit in libro ſuo de veritate*, quod vnum & idem eſt tempus omnium eorum quæ ſimul ſunt eodem tempore. Et Sanct. Auguſtinus

2.

Anſelm.

S. Auguſt.

Digitized by Google

gustinus lib.5.super Gen. ad litteram dicit de tẽpore, quod vnum & idem sit quod sequitur motum corporalem & spiritualem, dicens, *si motus esset nullius spiritualis vel corporalis naturæ nullum esset tempus*, potius ergo tempus à creatura quam creatura cœpit à tempore. Et per intentionem philosophi. 4. *physic. de tempore*, satis ostenditur, quod nõ sit vnum tempus & illud est continuum. Et illud idem mẽsuratur motu animæ. Dicit enim sic. *Si nos nõ fuerimus transmutati in nostra mente, aut si fuerimus & non perceperimus, non reputamus tempus esse factum.* Et parum infra. *Simul* inquit *sentimus & tempus & motum, quoniam si fuerimus in studio, & nihil accidat corporibus nostris, sed in anima nostra acciderit aliquis motus fieri, & simul constituimus aliquod tempus fieri, reputabimus aliquem motum fieri, ex quo sequitur quod tempus est motus vel aliquid motus.* Hæc sunt verba philosophi de verbo ad verbum. Ex quo satis manifeste patet quod tempus de quo ipse tractat mensurat & sequitur motum animæ. Quia autem ipsum idem sit continuum: patet per ipsum ibidem, nam in proxima particula subiungit: *Et motus etiam est continuus, & quia motus est continuus tempus est continuum.* Hæc sunt verba philosophi. Ex quo manifeste patet secundum intentionem suam, quod non est tẽpus nisi continuum, & quod illud mensurat & consequitur motum animæ sicut & rerum corporalium in nobis. Et in prædicamentis vbi agit de quantitate continua & discreta, ostendit quod tempus est continuum, & de

T.c.98.

T.c.99.

nullo

nullo alio tempore facit mentionem, ex quo signum accipimus, quod nõ ſit aliud tempus. Et ibidem dicit. Simplicius in commento, *videtur tempus continuum propriſſime, aliorum enim continuorum vnumquodque diuiditur vtique: tempus autem ſemper continuum, & nunquam de tangentibus eſt.*

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S.Thomam.

QVod inprimis dicunt, quod antiqui tenuerunt Angelos in gratia fuiſſe creatos verum dicunt. Quia Beatus Auguſtinus antiquorum omnium excellẽtiſſimus doctorum hoc ipſum docet in locis multis.

Quod vero dicunt ſecundo, quod modo hoc non tenetur à magiſtris, non dicunt verum. Magiſtri enim magis approbati doctrinam Beati Auguſtini ſequentes hoc ponunt concorditer. Illa vero duo quæ dicunt eſſe falſa, ſatis patent intelligentibus eſſe vera, & per omnia doctrinæ ſanctorum conſona. Primũ patet per S. Auguſtinum *ſuper Geneſim ad litteram, & de ciui. Dei.* Vult enim Beatus Auguſtinus vtrobique quod Diabolus ſtatim cecidit poſt ſuam creationem, quia videlicet in veritate non ſtetit, ſi enim illo inſtãti in gratia ſibi collata, & per conſequens in veritate ſtetiſſet vna etiam cum alijs in illo inſtãti beatitudinem accepiſſet, non enim eſt perſonarum acceptor Deus. *Sentẽtia S. P. Aug.* *S. Aug. de Gen. & ciuitate Dei.*

Quod vero contra iſtud primum obijciunt, quod inci- *Act. 10.* *Ad primũ*

incipiente tempore recipiendi cessat tempus merendi vel demerendi; est directe contra ipsos quo ad hoc quod dixerunt de merito Angelorum proximo articulo. In nullo vero est contra S. Thomam. Dicendum enim secundum ipsum est, quod quamuis in eodem instanti nõ posset vnus & idem mereri & demereri, & recipere, cum in illo eodem instãti quo vnus qui impedimẽtum non præbet recipit & alius potest impedimentum præbere demerẽdo nẽ recipiat, sic contingit in proposito. Vnde planum est quod illud argumentũ non procedit.

Ad 2. *Quod vero contra 2. obijciunt*, volentes probare per sanctos & philosophos vnũ esse omnium tempus continẽs. Manifestum est satis intelligentibus esse friuolum, tempus. n. continuum impossibile est vt mensurã actus simplicis indiuisibilis cuiusmodi est operatio intellectus & affectus in Angelis.

Quod vero dicunt 2. Anselm. quod vnũ est tẽpus omnium quæ in eodem tẽpore simul sũt; visum est tãquam in propria mensura cuiusmodi sunt corruptibilia solũ. Operatio autẽ tam Angelica quam diuina, quæ idẽ tẽpus cõcomitantur, aliquo tempore nõ mensuratur; sed Dei operatio mensuratur æternitate. Operatio Angelica interior mensuratur tẽpore alio, nõ cõtinuo, cũ nulla habeat cõtinuitatẽ.

Auctoritas autem S. August. in nullo est proeis. Si enim nullus esset motus spiritualis nec corporalis creaturæ: nec continuus nec non continuus, tunc nullum esset tempus continuum

vel

Digitized by Google

vel non continuum mensurans hunc vel illum, hoc concedimus, nec plus potest haberi ex verbis S. Augustini. *Illud etiam quod accipiunt de philosopho nihil facit pro eis*, planum est enim quod vt naturalis *philosophus 4. physicorum*, non habuit de alio tempore quam de tempore continuo motum consequente determinare. Nec tempus non cõtinuum quod est mensura actuum simplicium in substantijs separatis debebat in prædicamentis explicare pueris. Signum ergo quod accipiunt nullum est. Quod philosophis insinuat quod tẽpus de quo determinat 4. *physicorum*, mensurat motus animæ nostræ concedi debet, & hoc, quia motus animæ nostræ ratione corporis conueniunt in continuitate cum motibus corporum per se, vel ad minus per accidens. Planum enim est quod potentiæ organicæ ipsius animæ habent in operando actũ siue motum continuum, vtpote materialem. Actus vero potentiæ intellectiuæ licet sit in se simplex & immaterialis, tamẽ non est omnino sine illis inferioribus materialibus, quia non est sine phantasmate, & per consequens est cum continuo & tempore secundum philosophum 3. *de anima*. Secus est omnino de actu & operatione omnino simplici & indiuisibili in substantijs separatis. Commen. vero simplicius loquitur de tempore continuo quod mensurat motum, de quo agitur in prædicamentis vt patet intuenti.

T. com. 98

T. com. 39.

ARTI-

ARTICVLVS XXIV.

SANCT. Thomas *in quæstion. 44. art. 2.* in responsione principali dicit, quod *vis appetitiua in omnibus proportionatur apprehensioni à qua mouetur; sicut mobile à motore.*

CORRVPTORIVM.

S. Th. q. 63. art. 2.

Vis apprehensiua in omnibus proportionatur apprehẽsioni.

SI per hoc intelligit quod vis appetitiua nihil appetit vel refugit, nisi quod vis apprehensiua sibi correspondens prius apprehenderit & sibi ostenderit, verũ est quod dicit secundum sanctos & philosophos, si autem velit dicere, quod vis apprehensiua in omnibus determinat appetitum ad vnũ necessitando ipsum, error est condemnatus Parisijs publice, quia nec vis apprehensiua sensitiua, nec rationalis determinat ipsam voluntatem vel necessitat voluntatem ad vnum, ideo prius quam ratio ostenderit & iudicauerit de duobus alterum esse tantum volendũ, voluntas manet libera, vt illo dimisso velit oppositum, & ideo positio hæc cauenda est.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

QVoniam S. Thomas intendit quod vis apprehensiua mouet appetitum primo modo & non secundo & quantum ad appetitum intellectiuum, prout patet ex eius doctrina vbique, & hoc vt isti fatentur

verum

Digitized by Google

verum est secundum sanctos & philosophos. Planum est quod iste modus ponendi non est cauendus, sed reuera sermo verus & omni acceptione dignus. 1. Thi. 1.

ARTICVLVS XXXV.

SANCT. Thomas *in quæst. eadem & art.* in respōsione principali assignans causam obstinationis in dæmonibus dicit, quod *differt apprehensio hominis ab apprehensione Angeli inquantum Angelus apprehendit per intellectum immobiliter sicut & nos per intellectum apprehendimus prima principia quorum est intellectus. Homo vero per rationem mobiliter apprehendit discurrendo ab vno in aliud habens viam procedendi ad vtrumque oppositorum; vnde & voluntas hominis adhæret alicui mobiliter,* id est, potens ab *eo recedere & contrario adhærere. Voluntas autem Angeli fixe & immobiliter, & ideo si consideretur ante adhæsionem potest libere adhærere huic & eius opposito in his.* scilicet *quæ non naturaliter vult, sed post quā adhæsit immobiliter adhæret.*

S. Th. ibid. Homo apprehendit mobiliter. Angelus fixe.

CORRVPTORIVM.

EX his patet quod ipse ponit Angelos & adhærere & apprehendere & immobiliter velle, & hoc esse causam obstinationis malorum & confirmationis bonorum, vt patet in fine responsionis huius.

Hæc ratio & positio videtur fauere errori sexto de Angelis, qui est, quod *in substantijs separatis non est possibilis transmutatio, nec sunt in potentia ad aliud.* Si enim voluntas & apprehensio Angelorum immobilis fuerit cum rectitudine in qua creati fuerunt, nunquam secundum voluntatem & rationem moti fuissent ab illa rectitudine quam habuerunt in primo instanti suæ creationis, & si nunquam moti fuissent nunquam peccassent, quod constat esse falsum, ergo positio de qua sequitur.

Error parisianus de Angelis

Præterea, *hoc est contra S. Gregorium, 5. moralium 63. c. qui dicit Si Angelorum substantia a mutabilitatis natura fuisset aliena vnde à conditione condita, nunquam reprobus spiritus à beatitudinis sua arce cecidisset, vnde Deus omnipotens naturam summorum spirituum bonam sed mutabilem condidit, vt qui permanere nollent ruerent, & qui in conditione persisterent, tanto in ea dignius quanto arbitrio starent, & eo maioris meriti fierent apud Deum, quo mutabilitatis sua motum voluntatis statione fixissent.* Ex his patet quod causa obstinationis Angelorum non fuit immutabiliter intelligere vel velle, neque etiam confirmationis, sed voluntas ruendi vel standi libera, quæ extra statum libertatis & merendi se libere posuit.

S. Greg. li. 5. mora. 63

(.·.)

Digitized by Google

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

QVando dicunt per verba S. Thomæ. Ex his patet quod ipse ponit Angelos & adhærere & apprehendere & immobiliter velle, imponentes S. Thomæ, quod ponat in Angelis omnimodā immutabilitatem, planum est quod non intellexerunt eū, vel intelligere noluerunt, quia nunquam hic vel alibi hoc posuit, sed potius eius oppositum, sicut patet *in prima parte quæst. 9. artic. secundo.* Ipse enim ponit successionem in actu apprehensionis & affectionis in Angelis quam vocat tempus continuum sicut patuit supra, quod non est sine mutabilitate. Dicit enim in ista respōsione, secūdum quod dici solet, quod *liberum arbitriū hominu est flexibile ante electionem & post, liberum vero arbitrium Angeli est flexibile ante electiooem sed non post.* Certe si Angelus esset omninó immutabilis, nullo modo eius voluntas esset flexibilis, & sic patet quód ista positió non fauet illi errori, qui est quód in Angelis non est transmutatio prout voluit obiectió prima. *Nec est contra S. Gregorium, qui ponit in Angelis mutabilitatem vt voluit obiectio secunda.* Dicitur autem Angelus immobiliter apprehendere: non quia immutabiliter stet semper in vnius rei apprehensione, sed quia non apprehendit mouendo seu discurrendo ab vno in aliud, sicut dicit S. Th. Similiter dicitur immobiliter velle, nō quia immutabiliter ac semper actu velit vnum & idem. Sed quia

Ad primū.

q. cit. in responsione principali.

Ad secundum.

Digitized by Google

sua voluntas est inflexibilis post electionem, nec vnquam extunc potest velle eius oppositum, potest tamen voluntatem ad alia & alia cõuertere vna affectione in ipso alteri succedente, quod non fieret nisi mutabilis foret.

Obiectio Ægidij.

Ex his patet, quod ex falso intellectu nõ dico malo processit, quod isti correctores vel corruptores dicunt S. Thomam in ista positione immutabilitatem in Angelis posuisse.

Posset contra S. Thomam in proposito sic argui. Ipse enim dicit in responsione vltimi argumenti immediate præcedentis articuli, quod omnes Angeli in gratia creati in primo instanti meruerunt. Sed quidam statim impedimentum suæ beatitudinis præstiterũt pręcedens meritum mortificantes, & ideo beatitudine caruerunt, si in primo instanti meruerunt, videtur quod in illo primo instanti se & omnia sua in Deum ordinauerunt, eligẽtes sub Deo esse: & sibi finaliter adhærere. Si ergo eorum volũtas post primam apprehensionẽ intellectualem & electionẽ ipsam consequẽtem est inflexibilis, vt videtur secundum S. Thomam, sequitur quod nullus eorum post primum instãs potuit ad aliud flecti vel peccare, cuius oppositum patuit in dæmonibus.

Resp.

Ad hoc potest dici, quod postea non sunt flexi ad volendum aliud quam illud quod prius principaliter volebant. Sed quia tunc erant facti implacabiles per gloriam, flexibiles fuerunt ad volendum id quod prius sed alio modo quam prius. Qui igitur primum modum non dimiserunt firmati sunt in bono, non

vir-

virtute suæ naturæ; sed per virtutem gloriæ facti, vt immutabiliter illum modum tenerent amantes, scilicet seipsos, & omnia alia eo modo quo prius propter Deum. Sed alij aliũ modum amandi elegerunt amando omnia propter seipsos finaliter, & ideo rectum ordinem & verum dimiserunt & per consequẽs à veritate impedimentum suæ beatitudinis præstando ceciderunt, & hoc statim vt dictũ est supra.

ARTICVLVS XXVI.

SANCT. Doctor *in q. 64. art. vlt.* in responsione principali dicit, quod *duplex est locus pœnalis dæmonibus, vnus ratione culpæ & iste est infernus, alius ratione exercitationis humanæ naturæ & hic est iste aer caliginosus.* Et parum post in responsione primi argumẽti dicit, *quod locus non est pœnalis Angelo vel animæ quasi afficiens alterando naturam, sed afficiens contristando voluntatem, dum anima vel Angelus apprehendit se esse in loco non conuenienti.*

S. Tho. q. 74. ar. 4. Duplex locus pœnalis dæmonibus.

CORRVPTORIVM.

HOc videtur erroneum, quia secundum eandem rationem si dæmon vel anima digna punitione esset in paradiso, & apprehenderet non esse conuenientem locũ suæ naturæ quod etiam pati deberet, quia Paradisus nõ est locus conueniẽs dispositioni

voluntatis dæmonum. Ita Paradisus esset locus pœnalis dæmonibus, & animabus separatis malis sicut infernus.

2. *Præterea*, prædicta positio innuit plane, quod dæmones & animæ non puniantur in inferno nisi intelligibiliter vel imaginarie vel phantastice & non vere, quod est contra *S. Augustinum de fide ad Petrum, c. penultimo*, qui dicit sempiterna & immutabili prolata sententia. *Iniqui omnes ibunt in combustionem æternam: iusti in vitam æternam. Iniqui arsuri semper cum Diabolo, iusti vero regnaturi sunt sine fine cum Christo*. Et S. Augustinus, 21. *de ciui. Dei cap.* 4. *Cur non dicemus quamuis miris, veris tamen modis spiritus incorporales pœna affligi corporea*, nam si tantum affligerentur imaginaria vel quacunque appræhensione alia, tunc non diceretur miris modis.

S. August. de fide

de ciui.

3. *Præterea*, si solum affligitur anima vel Angelus ex hoc quod locus inferni appræhensus est inconueniens voluntati, cum nihil sit contrarium vel non inconueniés voluntati, nisi propter incommoditatem vel iniustitiam, sicut dicit Hugo *lib. primo de sacramentis, parte quinta cap. 2.*

Hugo Anselmus.

Et idem vult Anselmus de *casu diaboli, cap. quinto*. Et idem dicit *de concordia prædestinationis & præscientiæ*, constat quod anima vel dæmon non iudicat locum inferni non conuenientem vel pœnalem, quia contrarius est suæ voluntati propter iniustitiam, tamen quia infernus nõ appræhéditur ab eo vt causa vel occasio iniustitiæ restat tunc quod iudicet

dicet contrarium suæ voluntati propter incommoditatem vel nocumentum, aut igitur ignis inferni vel locus ille est nociuus & incommodus vere affligens, sicut alia solent affligere, & sic habeo propositum, scilicet quod dispositio S. Thomæ est falsa, aut imaginarie vel phantastice, & sic non vere punitur, quod est contra auctoritatem S. Augustini præhabitam & contra Euangelium Matth. 25. *Ite maledicti*, &c. *qui ignis non extinguetur*, sicut habetur in eodem, & in Isaia vltimo. Constat autem quod Deus comminatur punitionem vere & non phantastice. Matt. 25

Præterea non est credibile, quod hi qui in alijs subtilissimi sunt & acutissimi, in hoc solum sint decepti, quod putant se affligi ab igne à quo non possunt pati. Vnde hæc positio videtur fauere errori alias condemnato. Parisijs à Domino Stephano Parisiensi Episcopo qui est, *quod anima separata post mortem non affligitur, nec patitur ab igne corporeo.* 11

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

SCiendum quod prout docet S. Thomas in isto articulo, quod locus corporalis quicunque etiam Paradisus, si appræhendatur ab Angelo vel anima separata vt nō cōueniens suæ naturæ & in quo diuina virtute necesse habet æternaliter alligari & detineri, licet ad tempus sit alibi, non in phantasticam sed in verissimam pœnam cedit illi, & quāto

Digitized by Google

locus magis disconueniens est & deformior, tanto pœna maior. Vnde quia infernus est locus maxime deformitatis, & per consequens maxime disconueniens nobilitati intellectualis naturæ. Hinc est quod dæmones & animæ scientes se inuitos æternaliter alligatos in illo detineri summe affliguntur, licet ad tempus sint alibi.

Ad primũ. *Ex his patet responsio ad primum*, quia non est inconueniens concedere paradisum, si non conueniens sit naturæ intellectuali, quod dæmones vel animæ ibidem inuite detenti possunt affligi, licet minus forsan quam si essent deputati loco viliori.

Ad secundum. *Ad secundum dicendum*, S. Augustinus non ponit combustionem vel ardorem talem in spiritibus separatis quod sit corporeus. Hoc enim non est intelligibile, cum sint incorporei, sed vocat combustionem vel ardorem eorum in corpore ignis, quod est talis naturę detentionem & sensus tactus incorporeus dãnatorum ab huiusmodi calore immutationem. Quod autem dicit ibidem S. Augustinus de ciuitate Dei. *Miris tamen veris modis affligi spiritus incorporeos pœna corporali*, non est contra prædicta. Mirum enim est & diuinæ virtuti attribuendum, quod spiritus incorporei ad suam pœnam maximam atque verissimã, sic possint in corpore aliquo detineri, vnde illud positioni eorum in nullo seruit, cum non ponatur ista pœna eorum phantastica, id est apparens, & non existens, sed vt dictum est veraciter affligens.

Ad ter-

Ad tertium dicendum, quod locus iste contrarius est voluntati propter incommoditatē ex prædicta detētione ac incarceratione proueniens. Est enim locus ille afficiens non quasi alterando naturam, sed prout dicit S. Thomas, afficiens contristando voluntatem secundum modum prædictum. Hoc quoque non est contrarium dictis Euangelicis. *Ite maledicti*, &c. Nec Propheticis: *Ignis eorum non extinguetur*, sed per omnia vt ex dictis patet eisdem consonat. In hoc autem fuerunt isti decepti, quod non putabant spiritus incorporeos posse affligi ab igne veraciter, nisi eorum natura per ignis actionem esset alterata, quod falsum est. Non enim affliguntur ab igne per virtutem naturæ ignis, sed prout ille ignis est instrumentum diuinæ iustitiæ illos spiritus superbos contra suam voluntatem detinens, qui nolebant Deo creatori se subijcere. Vnde subiecti sunt vel per hoc velint nolint infimę creaturæ. *Mat. 25.* *Isa. 66.*

Ad quartum dicendum, quod isti in hoc argumento sicut in omnibus alijs supponunt falsum, scilicet quod S. Thomas posuit istam pœnam non esse veram sed phantasticam. Illud autem non est verum, vt ipsum intuenti patet per prædicta, ergo non sunt in hoc decepti quod putant se affligi cum non affligantur, vere enim affliguntur. *Ad quartū*

(.·.)

ARTICVLVS XXVII.

S. Tho. 66. art. 1. an materia careat forma.

S. THOM. *quaestione, 66. articulo primo* in responsione, q; dicit quod *impossibile est dicere quod informitas materia tempore praecesserit formationem eius*. Ex quo sequitur quod à principio non fuit confusio quam antiqui volebant esse chaos. Secundo dicit sic. *Si materia informis praecessit duratione, ergo erat in actu, hoc enim importat duratio, creationis enim terminus est ens actu. Ipsum autem quod est actu est forma. Dicere ergo materiam praecedere sine forma, est dicere ens actu sine actu, quod importat contradictionem.* Item addit ibidem, *Si essent plures formae substantiales in materia, posterior esset accidentalis, & generatio esset alteratio.*

CORRVPTORIVM.

HAEc positio derogat omni potentiae diuinae quia licet accidens dependeat à subiecto plus quam materia à forma, tamen potest facere accidens sine subiecto, & facit in Sacramento altaris, & ideo potest dare materiae esse actu sine forma, licet hoc à principio non fecerit, quod sciatur, vnde omnes magistri concordauerunt nuper, quod erroneum est dicere quod Deus non potest dare esse actu materiae sine forma.

Ad pri-

Digitized by Google

Ad primum in contrarium dici potest, quod licet sit impossibile ipsi materiæ vel operationi eius, vel causis inferioribus, quod præcesserit confusio vel chaos, vel materia sine forma, non tamen fuit impossibile omnipotentiæ diuinæ vel causis superioribus,

Ad secundum dicendum, quod non est hic contradictio. Materia enim comparatur ad formam vt à quo potest recipere esse tale. Et comparatur ad suum artificem vt à quo accipit suam essentiam aliam ab essentia formæ cuius essentia non dependet à forma sed à suo creatore. Dico ergo quod si Deus daret materiæ esse actu idem numero quod daret hæc forma signata sine vlla forma, tunc esset implicatio contradictionis, sicut si daret parieti esse album sine albedine, hoc enim esse non potest, si tamen essentia materiæ quæ non dependet à sua forma, sed à suo creatore daret esse actu sine forma, nulla esset contradictio.

Præterea aliter potest dici ad illud, quod implicatio contradictionis in aliqua materia potest intelligi dupliciter, vel simpliciter ad omne tempus, sicut Sortem currentem non moueri. Alio modo intelligitur implicatio contradictionis vt nunc secundum statum & cursum naturæ, qui nunc est in rebus. Isto modo enim dicere asinum immortalem implicat contradictionem, & illud quod sic implicat contradictionem potest DEVS facere, non quod simul faciat con-

duplicitex aliquid potest contradictorie dici.

contradictoria, ſed mutando naturalem curſum & dando alium, vt ſi faceret aſinum immortalem, quod nullus auderet dicere Deum non poſſe facere.

Quod ſi dicas, Non habet ideam diſtinctam, ergo nec eſſentiam ab eſſe formæ diſtinctam, hoc eſt falſum, immo ſi non haberet ideam in Deo diſtinctam, non eſſet ab eo, & ſic eſſet ponere duo principia, quod eſt nepharium dicere.

Quod autem dicit quod forma eſt actus, verum eſt, ſed non omnis actus. Poteſt enim Deus dare eſt actu eſſentiæ materiæ ſine actu formę ly *forma* enim & ly *actus* æquiuocantur, cum dico quod forma eſt actus, & quod eſſe eſt actus, forma enim eſt actus vt habitus, eſſe vero eſt actus vt actus.

Ad tertium dicendum, quod habet pro inconuenienti poſſe plures formas ſubſtantiales eſſe in materia, Dicendum quod non eſt inconueniens, quia in veritate plures ſunt, vnde poſitio ſua qua negatur gradus formarum, ponens tantum vnam formam eſt à magiſtris vt erronea reprobata propter plures hæreſes inde ſequẽtes, vt infra patebit, *articulo* 31. *&* 32. Nec ratio ſua cogit qua dicit, Si eſſent plures formæ poſterior eſſet accidentalis, Hæc enim conſequentia non tenet niſi de illis quæ adueniunt formæ ſubſtantiali conſtituenti eſſe completam.

RESPON-

Digitized by Google

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

SVpra q. 4. dictum est quod sufficit ad prædictorũ dissolutiones. Quod enim actus qui est vnius potentiæ proprius fiat actus potentiæ alterius, vt videre, qui est actus potentiæ visiuæ fiat actus potentiæ auditiuæ, omnino includit contradictionem. Actus autem proprius materiæ est forma, esse vero quod est actus entis est actus vel perfectio formæ vel quidditatis compositæ formam habẽtis tanquam propriæ potentiæ. Vnde ponere ipsum esse actum solius materiæ est ponere ipsum esse actum alterius potentiæ, quam illius cuius est actus, & includit contradictionem.

Et per hoc patet ad primum. Accidentia enim quia sunt formæ & esse vt dictum est, est actus formæ vel formam habentis, hinc est quod esse potest ipsis accidentibus diuina virtute sine subiecto, à quo naturaliter dependent cõcreari, hoc tamen non potest concreari materiæ, licet dicatur quod accidentia plus dependeant à subiecto quam materia à forma. Et quia materia non est potentia propria cuius actus immediatus est esse; forma vero accidẽtalis inquantum forma est potentia propria, cuius actus & perfectio est esse actu. Inquantum vero accidentalis non habet nec per naturam potest habere esse sine subiecto. Qualiter tamen potest esse sine subiecto per diuinam *Ad 1.*

nam virtutem in Sacramento altaris optime declarat S. Thomas *in vltima parte sum. q. 77. art.* 5. in responsione principali, quia videlicet quantitas dimensiua includit in se rationem indiuiduationis, probatur quod alia accidentia consequentia poterunt mediante ipsa participare esse indiuiduale & per se subsistere sine substantia supportare, & hoc diuina virtute vt dictum est & declaratur ibidem.

Quod dicunt quod omnes magistri nuper concordauerunt ; erroneum est dicere, quod Deus non potest dare esse actu materiæ sine forma; non recipimus sine testimonio, cum sciamus quod maiores naturam materiæ & formæ secundum philosophos rectius intelligentes oppositum sentiant. Nec hoc derogat potentiæ diuinæ. Nihil enim quod includit contradictionem potest habere rationem factibilis siue producibilis à Deo.

Hoc ergo quod dicũt respondendo ad 1. *argumentũ*, quod materiã esse sine forma est possibile causis superioribus, manifeste falsum est, cũ hoc includat contradictionẽ, vt sæpe dictum est.

Et quod dicunt ad secundum , *quod illud non implicat contradictionem*, & hoc quia materia comparatur ad formam, vt à quo potest accipere esse tale, & ad suũ opificem, vt à quo accipit essentiam aliam ab essentia formæ, à qua non dependet. Si velint dicere quod materiæ essentia non dependet à forma tanquam à causa efficiente ipsam producente verum dicunt, sed nihil ad propositum. Sed si velint dicere, quod essentia materiæ non dependet

à forma

à forma quoad actum essendi, cuius principium est ipsa forma secundum philosophum falsum dicunt. Idem enim est dicere quod à creatore communicetur esse actu quodcumque soli materiæ, & dicere quod actus visus quocunque communicetur potentiæ auditiuæ videtur quod aliquis alius actus sit actus non suæ potentiæ propriæ.

Item sicut forma accidentalis est illud quo res est quanta vel qualis & huiusmodi. Sic forma substantialis est id quo res est simpliciter. Vnde secundum philosophum inductio formæ accidentalis est generatio secundum quid. Sed inductio formæ substantialis dicitur generatio simpliciter, ergo sicut contradictionem implicat, quod aliquid sit quantum vel quale, & careat quantitate & qualitate, ita contradictionem implicat necessario, quod aliquid simpliciter actu sit carens forma substantiali, quæ dat esse actu simpliciter. Et quod dicunt tanquam in argumento posito aliter euadere cupientes, scilicet quod implicatio contradictionis dupliciter contingit vt nunc & simpliciter non iuuat eos, quia in proposito est implicatio contradictionis simpliciter eo modo quo in eorum exemplo, scilicet fortem currentem non moueri, sicut enim non est intelligibile quod sit cursus sine motu, sic non est intelligibile, immo æque impossibile, quod sit esse actu sine forma, quia esse actu nihil aliud est quã completio & actualitas quidditatis, quæ forma est vt in Angelis, vel formam habens vt in alijs compositis ex materia

Prim. de gen. t. com. 18. & alibi

Digitized by Google

materia & forma, ponere autem actualitatem alicuius ante ipsum, est ponere ipsum & non ponere ipsum, & non est dubium quin ista sint contradictoria simpliciter; qualiter autem materia habeat ideam & qualiter non dictum est supra, *q*.4. Quod dicunt tandem quod forma & esse dicuntur actus diuersimode, quia forma dicit primum actum, esse vero secundum, verum dicunt, sed non iuuat eos, quia qui ponit actum secundum prouenientem à primo actu, & non ponit primum actum, ipse ponit actum primum, & non ponit actum primum, ergo qui ponit esse actu, qui est actus secundus, & non ponit formam actum primum, ac principium eius ipse ponendo non formam ponit formam, & sic ponunt isti qui sine forma volunt esse actu concreari media.

Et quod dicunt ad tertium, quod plures hæreses consequuntur ex positione sua circa vnitatem formæ substantialis, propter quas reputatur erronea, vt ostendetur infra. Dicendum quod cum ventum fuerit ad illud quod infra declarabitur per Dei gratiam, quod positio illa non est erronea nec hæresis aliqua ex ipsa sequitur consequentia recta.

ARTICVLVS XXVIII.

S.Tho.75. art.3.

S. Thomas *q*. 75. *art*.5. in responsione quæstionis dicit, quod anima non est composita ex materia & forma, quod probat primo per S. Augustinum super Gen. ad literam, vbi

vbi probat, quod anima non est facta ex materia corporali, nec ex materia spirituali.

Secundo sic, *de ratione animæ est quod sit forma alicuius corporis, aut ergo secundum se totam, aut secundum suam partem. Si secundum se totam impoßibile est quod pars eius sit materia. Si materia dicatur ens in potentia tantum, forma autem inquantũ forma est actus, aliquid autem quod est in potẽtia tantũ, non põt esse pars actus, cũ ei repugnet potentia, vtpote cõtra actũ diuisa. Si autem sit forma secundum aliquam partem sui illam dicemus esse animam, & illam materiam cuius ponitur primus actus, dicemus esse primum animatum.* 2.

An anima sit composita ex materia & forma.

Tertio apparet ex hoc quod *omne quod recipitur, recipitur in eo per modum recipientis, sic autem cognoscitur vnumquodque sicut forma sua est in cognoscente. Anima autem intellectiua cognoscit rem in sua natura absolute: puta lapidem inquantum est lapis absolute. Est ergo forma lapidis absolute secundum rationem propriam formalem in anima intellectiua. Anima igitur intellectiua est forma absoluta non aliquid compositum ex materia & forma.*

Præterea, Si anima esset composita ex materia & forma, formæ rerum reciperentur in ea vt indiuiduales, & sic non cognosceret nisi singularia: sicut accidit in potentijs sensitiuis quæ recipiunt formas rerum in organo corporali. Materia enim est principium indiuiduationis formarum. Relinquitur ergo quod anima intellectiua & omnis substantia intellectualis cognoscens formas absolute caret compositione materiæ & formæ.

Hanc eandem positionem replicat in quæ-

L. stione

stione.76.art.primo, in responsione quæstionis in fine replicans ad confirmandum hoc secundum rationem superius positam.

CORRVPTORIVM.

CONTRA istam positionem sunt ea quæ dicta sunt supra *decimo articulo*, quod Angeli non sunt compositi ex materia & forma.

Hæc positio scilicet quod anima non habet materiam est plane contra S. Augustinum, qui vbique supra Gen. ad litteram supponit eam habere materiam. Sed quærit disputando, an eius materia præcesserit eam tempore vel solum origine, & hoc vltimum tenet. Vnde S. Augustinus *7 super Gen. ad litteram, ca. 47. quærit, an sit ex aliqua re qua, iam spiritualiter ab illo facta erat.* Si nondum erat anima merito quæri potest ita scilicet, quod si quoddam incommutabile esset anima non modo eius materiam quæreremus, nunc autem eius mutabilitas satis indicat eam vitijs atque fallacijs deformem reddi, formari autem virtutibus veritatisque doctrina. Ecce S. Augustinus ponit animam habere materiam in suo genere spiritualem. Huic videtur concordare Commentator *super primum de anima*, vbi inquirit an intellectus materialis sit aliquod ens & non aliqua forma nec materia prima, sic dissoluit, *quemadmodum sensibile diuiditur in materiam & formam, sic intelligibile omne oportet*

S. Aug. 7. super Genesin.

tet diuidi in consimilia his duobus, scilicet in aliquid simile formæ & in aliquid simile materiæ & hoc necesse est ponere in intelligentia abstracta, quæ intelligit & sine materia & sine forma, & si non, non esset multitudo in formis abstractis. Nota quod S. Augustinus dicit materiam spiritualem: Commentator dicit vt puto aliquid simile materiæ. Philosophi enim non loquuntur communiter nisi de materia corporali.

Item dicta positio est contra philosophiam, quæ tantum potentiam rei attribuit ratione materiæ & actionem ratione formæ. Si ergo anima intellectiua esset pura forma non composita ex materia & forma, & omnes eius potentiæ essent actiuæ & nulla passiua, quod falsum est.

Item videtur esse contra fidem, quæ dicit animam capacem pœnæ & gloriæ. Omnis autem passio & receptio attribuitur rei tam secundum sanctos quam secundum philosophos ratione materiæ quod patet, quia nihil secundum quod est actu, sed secundum quod est in potentia recipit. Omnis autem potentia passiua reducitur ad materiam vt habetur, II. *metaph*. ergo si anima non habet materiam non sustinet pœnam inferni, nec recipit beatitudinem à Deo passiue, quod esse non potest nisi in eo quod habet materiam. II. *Metaph.*
Ea etiam quæ posita sunt superius de compositione Angeli hic possunt adduci.

Ad rationes S. Thomæ.

Ad primum quod adducit de S. Augustino non inueni, licet diligenter quæsiuerim. Si tamen hoc diceret, dicere intendit quod non est facta de materia alia spirituali, quæ cā præcesserit tempore, sed tantū ordine naturæ. Vnde S. Augustinus, 7. *super Gen. cap. 4. Credibile est animam solam ibi condidisse rationem, secundum quam fieret, non etiam quandam de suo genere materiam de qua fieret ibi, id est, in prima rerum conditione*, vnde vult quod non habuit materiam præiacentem sicut corpus, plane tamen vult ibidem, quod anima habeat materiam spiritualem conuenientem sibi tantum ordine naturæ non tempore præiacentem.

Ad secundum dicimus, quod anima est forma secundum se tota, & tamen cum infertur, ergo impossibile est quod pars eius sit materia, quia materia est tantum in potentia, forma inquantum est forma est actus. Dico quod sicut in materijs compositis, hoc est in omnibus materijs citra primam est aliquid quod est in potentia tantum sicut materia prima simpliciter & alia quæ sunt actus, scilicet superadditæ formæ quæ disponunt ad formam vltimam, & tunc illud compositum dicitur materia formæ vltimæ, quia formæ disponentes cedunt in partem materiæ. Ita dico in forma composita cuiusmodi est anima intellectiua quæ est forma coporis secundum se totam, non obstante quod aliquid eius sit materia, licet enim materia animæ rationalis secundum se considerata sit aliquid ens in potentia,

tentia, tamen vt perfecta est per formam est actus & actus corporis.

Ad tertium cum arguit, quod anima intellectiua debet esse absoluta omnino à materia quia cognoscit res absolutas per formas à materia, formæ autem absolutæ à materia non possunt recipi nisi in substantia omnino absoluta à materia, quia receptum est in recipiente per modum recipientis & non recepti. Sciendum etiam quod argumentum illud non plus cogit nisi quod anima intellectiua sit magis immaterialis quam sensitiua, constat enim quod species potētiæ sensitiuæ apprehēsiue recipiunt sensibilium sine materia, sicut dicit *philosophus in secundo de anima*. Si ergo *t. com. 138.* receptum non potest recipi nisi per modum recipientis, oportet potentias sensitiuas esse sine materia, quod constat esse falsum. Vnde dicendum, quod non oportet in omni receptione & dispositione receptum assimilari recipienti. Non enim oportet si oculus sit materialiter aqueus quod omne visibile sit materialiter aqueum, vel quod species eius quæ visibilis sit aquea, vnde quantum ad puritatem vel impuritatem perfectionem vel imperfectionem habet prædicta positio veritatem, purius enim & perfectius recipit organum bene dispositum species sensibilium, impurius autem & imperfectius organum male dispositum, ergo similiter intellectus subtilior & acutior melius apprehendit & subtilius intelligibilia, hebes vero tardius & minus perfecte.

Digitized by Google

Ad quartum dicendum, quod concludit pro in-conuenienti, si anima esset composita ex materia & forma, quod formæ indiuiduales reciperentur in ea. Dicendum quod non est inconueniens, immo hoc est necessarium, necesse est enim actum siue accidens indiuiduari per suum subiectum. Si ergo anima intellectiua est indiuiduum vnum numero, vel ad minus hic homo necesse est quod omne accidens quod est in hoc homine vel in hac anima sit indiuiduum. Cum ergo omnis forma intentionalis recepta in intellectu huius hominis sit accidens necessario erit singularis aliquo respectu. Vnde dicendum est quod sicut dicit Auicenna 2. *metaph. cap.* 6. hæc autem forma scilicet vniuersalis in comparatione indiuiduorum est vniuersalis, in comparatione tamen animæ singularis in qua imprimitur est indiuidua.

Auicenna.

RESPONSIO AD HAEC SECVN-dum S. Thomam.

HAEC omnia quæ isti dicunt contra S. Thomam garrientes in proposito patent manifeste triuola esse & falsa: per ea quæ dicta sunt circa compositionem Angeli. artic. 10. vnde ad præsens illa prætereo.

(∴)

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS XXIX.

DOCTOR Angelicus *quaest. 75. art. vltimo* in responsione principali dicit, quod *in substantijs separatis incorporeis non est diuersitas secundum numerum absque diuersitate secundum speciem, & absque naturali inaequalitate quia non sunt composita ex materia & forma, sed sunt formae subsistentes. Vnde manifestum est quod necessario erit in eis diuersitas secundum speciem. Non enim potest intelligi quod aliqua forma separata sit nisi vna vnius speciei, sicut si esset albedo separata, non posset esse nisi vna tantum.* Et idem sequeretur *si huiusmodi formae essent composita ex materia & forma. Si enim materia huiusmodi separaretur à materia illius, necesse est vel quod materia sit principium distinctionis materiae vel quod materiae sint diuersae per habitudinem ad diuersas formas*, & tunc *sequeretur adhuc diuersitas secundū speciē & inaequalitas naturae vel si materia sit principiū distinctionis formarum, non poterit dici haec materia alia ab illa nisi secundum diuisionem quantitatiuam, quod non habet locū in substantijs incorporeis, cuiusmodi sunt angeli & animae.* S. Tho. q. 75 art. 7. An angelus & anima sint eiusdem speciei.

CORREPTORIVM.

POSITIO ista duo continet falsa, Vnum est quod in substantijs separatis non potest esse diuersitas secundum numerum

absque diuersitate secundum speciem. Aliud fallum de exemplo quod ponit quod si albedo separata esset non posset esse nisi vna tantum. Quia primum sit falsum, patet per au-

Ioannes Damnas.

ctoritatem Ioan. dam. *in logica sua, cap. 18.* qui ita dicit. *Gabriel cum sancta Dei genitrice disputat, vnus Angelorum existens illic præsens, separatus à consubstantialibus Angelis, per eam qua in loco est præsentiam & dispositionem vel disputationem.* Si ergo sunt consubstantiales, ergo eiusdem speciei, Idem eodem *lib. cap.* 11. dicit, quod eximiores philosophi materiam vocauerunt speciem specialissimam, vt Angelum, hominem, equum. Et eodem cap. parum infra. *Sancti autem patres dimittentes multas contentiosas garrulitates commune quidem vel de multis dictu, id est, speciē specialissimā, & materiā formā vocauerunt, vt Angelum, hominem, equum & talia.*

Præterea, hoc derogat diuinæ potentiæ. In his enim quæ soli potestati diuinæ subiecta sunt idem est dicere hoc vel hoc non posse esse & dicere, quod Deus non potest hoc vel illud facere, Vnde cum solius Dei sit producere substantias incorporeas, & dicere quod non possunt esse plures numero, est dicere quod Deus non potest hoc facere, quod dicere est temerarium. Exemplum quod ponit de albedine dicens, Si esset albedo separata, non esset nisi vna tantum falsum est, & nihilominus derogat fidei Christianæ circa Sacramentum altaris, firmiter enim creditur ibi esse albedo separata, & tamen multæ sint in multis altaribus ipsius sacramenti. Respon-

ponsio etiam quam pro se adducit ita solui potest. Angeli aut sunt formæ singulares per se subsistentes, aut sunt compositi ex materia & forma. Si sunt formæ simplices, tunc oportet in eis esse diuersitatem secūdum speciem. Non enim potest intelligi quod sit alia forma, nisi vna vnius speciei. Dicendum licet hoc videatur secundum philosophiam, tamen secundum nos fallit in sacramento altaris per potentiam diuinam in forma sacratissimi panis & vini post transubstantiationem. Et cū addit in suo argumento, quod idē sequitur. Si Angeli sint cōpositi ex materia & forma, aut enim ait materia vnius distinguitur à materia alterius propter habitudinem ad diuersas formas, & tunc sequitur diuersitas secundum speciem, aut materia vnius distinguitur à materia alterius per diuisionem quantitatiuam ipsius materiæ sed hoc non habet locum in substantijs incorporeis quæ non habent materiam corporalem. Posset dici qui vellet adhærere opinioni. *Boetij in libro de trinitate & Porphyrio in libro suo, & Ioan. Damasce. in logica sua c. 11. & 35.* quod supponit falsum, scilicet quod causa multiplicationis indiuiduorum sub vna specie sunt accidentia & varietas accidentium, tamen quia opinio prædicta de causa indiuiduationis, non tenetur communiter. Potest aliter dici scilicet quod diuisio quam ipse ponit est insufficiens, supponit enim quod oportet materiam spiritualium ad hoc quod possit esse causa indiuiduationis & multiplicationis indiuiduorum sub vna spe-

Boetius *Porphyri.* *Damasce.*

Digitized by Google

specie, vel habere diuersas habitudines ad diuersas formas, vel habere diuisionem in partes quantitatiuas. Nos autem dicimus quod neutrum oportet, sed est tertium quod sufficit, scilicet quod eadem materia tota indiuisibilis possit multiplicari secundum numerū, & fieri multiplex actu, sicut vnus punctus indiuisibilis potest fieri infiniti pūcti, sicut patet imaginanti diuersas lineas contingentes se in centro circuli separatas abinuicem supra centrum. Constat enim quod centrum vbi se contingebant non fuit nisi pūctus vnus, & tamen quando separantur abinuicē, quælibet linea habet punctum terminum, hoc esse non posset nisi vnus punctus esset multi, sic autem imaginamur de materia spirituali incorporearum substantiarum quod non diuidatur per partes quantitatiuas, sed quod tota multiplicetur, vel secundum numerum indiuiduorum numeretur.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

HAEc omnia patent esse friuola & falsa per ea quæ dicta sunt supra q. 11. qualiter plures Angeli prout docet S. Tho. non possunt esse vnius speciei, vnde etiam nunc ista vtpote prius soluta prætereo.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS XXX.

SANCT. Th. q. 76. art. 2. in responsione primi argumenti dicit, quod licet *anima non habeat materiam ex qua fiat sicut nec Angelus, quia tamen est forma alicuius materia, scilicet corporis quod non est Angelus, ideo ad diuisionem materia sunt vnius speciei multa anima, sed non possunt esse multi Angeli vnius speciei.* S. Th. 76. art. 2.

CORRVPTORIVM.

EX hoc videtur sequi duplex error. Primus quod sit intellectus vnus omnium vel anima intellectiua, nam secundum philosophum in causis immediatis ita est, si affirmatio est causa affirmationis negatio erit causa negationis, ergo si infirmatio diuersorum corporum est causa multiplicationis immediata, oportet quod separatio earũ à corporibus sit causa vnionis earum, & sic redit error Auerrois *super 3. de anima*, *scilicet quod saltem post mortem est vnitas animarum.* 1.

Præterea, anima secundum quod est corpori vnibilis, est ens naturale, vnde sic pertinet ad considerationem naturalis, licet non secundum quod est separabilis, ergo proprietates quæ conueniũt animalibus secundũ quod corporibus vnibiles sunt, conueniunt eis secundum quod res naturales sunt, sed vnitas & multitudo vel vnum & multum, communitas & indiuiduatio siue commune & indiuiduum, siue vniuersale & particulare non conue- 2.

conueniunt alicui enti, nisi secundum quod est ens simpliciter, & ideo pertinet ad considerationem metaphysici, ergo indiuiduatio & singularitas non conueniunt animæ secũdũ quod vnibilis vel vnita est corpori. Si dicas, quod animæ separatæ distinguantur & indiuiduentur vnibilitate vel aptitudine vniendi ad tale corpus.

Contra esse distinctum vel indiuiduatum est esse actuale, vnitas & aptitudo vniendi dicit potentiam vel aliquid ad minus in potentia, quia dicit dispositionem quandam essentiæ animæ quæ dispositio naturali ordine præcedit potentiam animæ potentia autem non dat esse actuale, ergo illa vniendi aptitudo non dat animæ separatæ esse indiuiduatũ, ergo adhuc stat error iste, scilicet quod saltẽ post mortem est vnus tantum intellectus, vel anima intellectiua.

Præterea, vnibilitas ad corpus est animæ naturale, ergo est eadem apud omnes, ergo vnibilitas ad corpus hoc determinate non est naturalis huic animæ determinatæ quia si sic, tunc natura non esset eadem apud omnes siue naturalia non essent eadem. Restat ergo quod vnibilitas ad corpus simpliciter, non quia hoc vel illud, animæ est naturalis, ergo cum hoc conueniat omni animæ eodem modo, nõ potest hoc esse causa indiuiduationis.

Secundus error est, quod Deus non potest facere plures Angelos eiusdem speciei, quia in eis quorum esse spectat solum ad operationem diuinam, idem est illud non posse esse, & Deum

Deum non posse illud facere, productio autẽ Angelorum ad esse, sicut & multiplicatio in numero vel in specie spectat tantum ad diuinam potentiam vt dictum est.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

EX dicta positione nullus sequitur error. *Primum enim errorem ipsius Auerrois*, quod vnus sit intellectus omnium hominum, destruit S. Thomas in responsione principali huius artic. & alibi multipliciter, immo nemo melius.

Ad primum ergo argumentum dicendum, *sicut* S. Thomas dicit, quod vnumquodque eodem modo habet vnitatem quo habet esse, & per consequens idem est iudicium de multiplicatione rei & de esse ipsius. Manifestum est autem quod anima intellectiua secundum suũ esse vnitur corpori sicut forma, & tamen destructo corpore remanet anima intellectiua in suo esse; & eadem ratione multitudo animarum est secundum multitudinem corporum, & tamen destructis corporibus remanet animæ in suo esse multiplicatæ. O si isti verba S. Thomæ in responsione ad secundũ argumentum huius art. (quod ipsi opponendo primo recitant) bono oculo respexissent vtique ori suo digitum imposuissent.

Quod enim dicunt, si affirmatio est causa affirmationis, per hoc patet esse nimis infirmũ, procedit enim ac si animæ intellectiuæ haberent

rent esse à corporibus, sic enim sequeretur quod destructis illis periret esse earum, quod falsum est, immo esse quod à Deo creante in corporibus formatis recipiunt perpetuę retinent, & sicut esse sic & multiplicationem, prout patet ex verbis Doctoris egregij supra positis.

Ad secundum dicendum, quod anima intellectiua cum sit forma corporis; per suam essentiam vnitur eidem; & in ipso vtpote in propria materia recipit esse indiuiduatum in sui creatione à Deo; & in ipso multiplicato recipit esse indiuiduatum multiplicatum, & certe ad metaphysicum magis quam ad philosophum pertinet consideratio de anima intellectiua inquantum sic per essentiam suam est corpori vnibilis vt eius forma essentialis, licet ad physicum pertineat consideratio de anima ratione corporis mobilis, cuius ipsa est actus & motor. Nec debet dici (sicut ex dictis patet) quod vnibilitas animæ det ei esse actu distinctum vel actualiter multiplicatum, vel quod ipsa sit causa indiuiduationis eius; immo quod ipsa quæ per suam essentiam est vnibilis esse actu distinctum & multiplicatum à Deo accipit in sui creatione, in corporibus formatis; & sicut anima est vnibilis corpori naturaliter, ita ista anima huic corpori. Sicut enim risibilitas est proprietas natu-

Digitized by Google

naturalis hominis, ita ista huius hominis. Hoc dixi pro illa cauillatione ad suam responsionem propriam, quæ parum valet.

Quod autem isti vocant secundum errorem; supra *quæstion.* 11. demonstratum est esse verum, ponere enim duas formas omnino separatas non formatas sed solo numero differre includit contradictionem, scilicet quod sint duæ, & quod non sint duæ. Dicere autem Deum non posse facere ea quæ sunt huiusmodi in nullo derogat suæ omnipotentiæ sicut patet cuilibet intelligenti.

ARTICVLVS XXXI.

SANCT. Th. *q.* 76. *art.* 3. in responsione principali dicit, quod in homine est tantum vna forma substantialis, scilicet anima intellectiua quæ homo est animal vegetabile corpus. S. *Th.* 76. *art.* 3. *c.* 15. *inter opera* S. *Aug. tom.* 3.

Quod probat primo sic in libro de Ecclesiasticis dogmatibus:

Neq; duas animas dicimus esse in homine, sicut Iacobus & alij hæretici scribunt, vnam animam

mam qua corpus viuificat & qua animatur corpus, & immixta sit sanguini: & aliam spiritualem qua rationi ministret, sed dicimus vna & eandem esse in homine qua & corpus sua societate viuificat, & ipsum sua ratione disponit.

1. Et arguit sic. *Sicut homo est in genere animalis, ita est in genere corporis animati, & corporis & substantia. Sed per vnam & eandem formam qua est anima est homo & animal, vt ex supradicta auctoritate patet, ergo ex eadem ratione per vnam & eandem formam collocatur in generibus superioribus & sic non praexistit ante animam animalis forma in materia.*

In honore vna est anima intellectiua.

2. Secundo sic. *Nihil est simpliciter vnum nisi per formam vnam per quam res habet esse, est autem homo simpliciter vnum, ergo tantum habet vnam formam, scilicet animam.*

3. Tertio apparet hoc impossibile ex modo prædicationis. *Qua enim sumuntur à diuersis formis pradicantur de se inuicem, vel per accidens si forma adinuicem non sunt ordinata vt album & dulce,* vel si formæ *sint adinuicem ordinata tunc est pradicatio per se secundo modo dicendi per se, ergo si alia sit forma qua dicatur animal, & alia qua dicatur homo, sequitur vnum pradictorum,* scilicet *quod vel est pradicatio per accidens, si ha dua forma nō sint ordinata adinuicem, vel quod sit pradicatio per se secundo modo per se si vna earum sit praambula ad alteram, vtrumque autem istorum manifestum falsum est,* quia *animal pradicatur de homine per se, non per accidens, homo enim non ponitur in diffinitione animalis sed econuerso. Oportet ergo eandem formam esse per quam aliquid est animal,*

animal, & per quam aliquid est homo, alioquin homo non esset vere vnum, nec animal per se de homine prædicaretur. Quarto apparet hoc esse impossibile ex hoc quod *vna actio animæ cum fuerit intensa impedit aliam, quod nullo modo contingeret, nisi principium actionis esset per essentiam vnum.*

Præterea secundo de anima, comparat philosophus huiusmodi diuersas animas ad diuersas species figurarum, quarum vna continet aliam, sicut pentagonum continet trigonum & excedit. Sic igitur anima intellectiua habet in virtute, quicquid habet sensitiua brutorũ, & anima vegetatiua siue nutritiua plantarũ; sicut igitur superficies quæ habet figurã pẽtagonam, non per aliam figuram est pentagona, & per aliam tetragona, quia superflueret tetragona, ex quo in pentagona continetur: ita nec per aliam formam est animal, & per aliam homo, sed per vnam & eandem. 2. com. 31. 4.

Præterea. In responsione quarti articuli dicit, quod *si alia forma substantialis in homine præcederet animam intellectiuam, anima non daret esse simpliciter, sed secundum quid. Nec per eius accessũ & recessum corpus generaretur & corrumperetur simpliciter, sed solum secundum quid*; quæ sunt manifeste falsa, ergo oportet quod sicut anima continet virtute sua vegetatiuam & sensitiuam, ita etiam virtute sua contineat omnes alias formas superiores, & ita in homine facit quicquid aliæ priores faciunt in alijs. 5. ar. 4.

(.·.)

M CON-

CORRVPTORIVM.

HAEc positio de vnitate formæ substantialis reprobatur à magistris. Primo quia ex ipsa sequuntur plura contraria fidei Catholicæ. Secundo quia contradicit philosophiæ. Tertio quia repugnat sacræ doctrinæ scripturæ.

Primum patet, quia fides ponit quod vnum est corpus numero quod filius Dei sumpsit de virgine, quod virgo peperit, quod in cruce pepēdit vnum, & idem fuit mortuum in patibulo, & sepultum in triduo, si autem illius corporis Christi non fuisset alia forma substātialis quam anima intellectiua postquam illa fuit separata vel remansit materia prima sola vel alia forma substātialis fuerit introducta.

Ex quibus sequitur quod non fuit idē numero in patibulo & sepulchro. Si enim remāsit sola materia prima non erat corpus, ergo nec idem corpus numero. Materia enim prima non est corpus.

Præterea ex hoc sequuntur multa contra fidem de corpore Christi mortuo, scilicet quod non fluxisset ex eo sanguis & aqua, cuius contrarium ostendit Euangelium Ioan. 19.

Item quātum non fuisset, quia materia prima non habet situm de se nec locum.

Præterea, materia prima nec est grauis nec leuis. Corpus autē Christi in triduo fuit graue, & multa sequuntur inconuenientia.

Si vero dicatur, propter hoc quod alia forma substantialis virtute cęli sit introducta, sequitur

Digitized by Google

tur quod viuum & mortuum non fuit idem numero, vbi enim est alia forma substãtialis, ibi est aliud corpus, ergo in triduo non fuisset corpus quod assumpsit.

Præterea fides ponit, quod in sacramẽto altaris totus panis conuertitur in totum corpus Christi. Si ergo in vero corpore Christi non est, nisi materia prima & anima cum panis nõ conuertatur in animam, quia corpus non cõuertitur in spiritum, sequitur quod panis cõuertitur in materiam primam, quod est contra fidem, & contra illud verbũ Domini. *Hoc est corpus meum*, non dicit, hoc est materia mea. 2. *Matt.* 26.

Præterea, fides proponit quod omnes alij à Christo contraxerunt originale peccatũ, non ex hoc quod anima sit peccatrix vel causa originalis peccati, sed ipsa munda creata à Deo ex vnione ad carnẽ, ex primis parentibus introducta naturali propagatione, & in ipsis originaliter infectã non ex vnione ad materiã primam. Si ergo in homine non esset nisi anima & materia prima ex parte animę nõ potest contingere peccatum originale, quia nec fuit in primo parente, nec Deus creando dat animæ originale peccatum, quia tunc antequam fuisset peccatũ actuale Adæ fuisset in eo peccatum originale, & etiam vbicunque fuisset materia prima ibi fuisset originale peccatum, quod falsum est, sequitur ergo quod in homine non esset peccatum originale nec fuit si vna forma sola est in homine, scilicet anima intellectiua. 3.

Secundo reprobatur, quia contradicit philosophiæ si sola anima intellectiua immediate est perfectio materiæ primæ tunc in homine non esset forma multa animalis nec mixti, de quibus philosophia dicit & scribit, & sic cessabit studium medicinæ.

5. *Præterea*, forma vna & eadem numero dabit esse corporale & spirituale, & per consequens simul erit corporalis & spiritualis.

6. *Itē* quod materia sit grauis & leuis, & quod habeat corpus ab anima, quod sit graue & leue, & non ab elemẽto dominãter in corpore.

7. *Item* quia repugnat sacræ scripturæ Ioan. 2. *Soluite templum hoc, & in triduo readificabo illud.* Et sequitur. *Hoc autem dicebat de templo corporis Christi.* Cõstat autem quod idem corpus numero supponitur cum dicit *hoc*, & demonstratur, cum dicit *illud*, per ly *hoc* autem demostratur corpus Christi viuum, & per ly *illud* mortuum, dum fuit sine anima & idem numero, quod non esset verum si non esset in corpore Christi alia forma substantialis præter animam, ergo plures formę substantiales fuerunt in corpore Christi & in alijs, quia vnius naturæ fuit homo nobiscũ. *Vnde Anselmus monolo. 17. c. cũ aliquis homo dicatur corpus & rationalis & homo, non vno modo sed alia ratione hæc dicuntur, secundum aliud autem est corpus, & secundum aliud est rationale.*

S. Aug. li. retract. Et S. Augustinus, *libro retractationum, cap. 18. Illud quoque temere dictum est à summa essentia speciem tribui corpori per animam, qua est qua quantum est & qua corpus est. Corpus ergo per animam*

nimam subsistit, etiam in eo ipso quo animatur, siue vniuersaliter vt numerus, siue particulariter, vt quodcunque animal. Hoc quoque totum prorsus temere dictum est. His ergo verbis retractat S. Augustinus quod dixerat de immortalitate animæ. Si ergo dictum est temere quod anima dat speciem corporalem, id est, formam quæ est in quocunque esse, & hoc dicit prædicta positio. Restat per S. Augustinum quod temere dixerit.

Sed contra hoc videtur esse quod *dixit in qu. 86. art. 5. in responsione q.* Si anima est composita ex ex materia & forma, nullo modo posset dici materia corporis cũ materia nullius sit forma. *Obiectio.*

Responsio, dicendum sicut ponimus virtutem animæ sensitiuæ perficere materiam grossiorem mediante corpore subtili quod est spiritus, qui est delatiuus huiusmodi virium vt vult S. Augustinus, *in libro de differentia spiritus & anima*, ita ponimus formam animæ intellectiuæ primo perficere materiam suam spiritualem, & mediante hac materiam suam corporalem. Dico ergo quod materia animæ non est forma corporis, sed mediante ipsa anima informat corpus. *Resp.*

Ad primum ergo dicẽdum, quod in vno corpore est vna anima, quæ corpus viuificat & ratione discernit, verũ est, sc. quod est vna rationalis quæ totum complet & perficit. Sunt autem aliæ duæ quæ sunt incompletæ, quæ dant esse incompletũ corpori humano quod perficitur & completur aduenięte anima ratio- *Ad primũ*

 nali.

nali. Vnde quod quidam dixerũt tres animas esse in homine loco distantes, vnã in hepate, aliã in corde, aliam in cerebro, forte eos mouit quod anima actiones quas non potest exercere sine corpore facit mediantibus spiritibus, & ideo vnam ponebant in hepate quæ per spiritus naturales facit operationes naturales. Et aliã in corde, quæ per spiritus vitales facit operationes vitales. Aliam in cerebro, quæ per spiritus animales facit operationes animales. Alij autẽ qui ponebãt duos spiritus tantũ, sc. vitales & animales, tantũ duas animas posuerunt, vnã in corde, aliam in cerebro, volentes eam quæ est in corde facere per spiritus vitales operationes vitales, & etiam illas quas nos nũc dicimus naturales. Potest ergo dici quod non debent poni duæ animæ eo modo quo isti posuerunt. Vel potest dici, quod vegetatiua, sensitiua & intellectiua sũt tres formæ quæ cum se habent secundum esse completum & incompletum secundũ potentiam & actũ cõuenientes quo ad essentialem vnitatem, ideo eas plures animas nolunt dicere sed vnam.

Opiniones variæ de anima.

Vel potest dici ad illud primum & forte melius, quod non concludit quod in homine sit tantum vna forma substantialis, sed tantum vna anima quod plures concederent, & de hoc nõ est modo quæstio. Adhuc potest dici, quod liber ecclesiasticorũ dogmatum totus est editus contra diuersas hæreses sicut patet inspicienti libri processum. Vnde cap. allegatum nõ intendit negare in homine animam vegetatiuã, sensitiuam & intellectiuã siue rationalẽ sicut

philo-

philosophi posuerunt. Si enim hoc negare intendisset, nunquam dixisset, neq; tres animas in homine esse dicimus, immo potius neque duas animas esse in homine dicimus. Vnde dicendum quod intẽdebat negare duas animas in homine, sicut hæretici posuerunt, forte sicut Massabæi, de quibus Ioan. *Dam. libro de hæresibus c.* 48. dicit quod inter multos errores eorum iste fuit vnus, quod oportet hominem possidere duas animas, vnam communẽ omnibus, aliã supercœlestẽ. Signũ autẽ quod cõtra illam hæresim dictũ sit istud videtur esse, *quod c.* 3. *dicit. Neq; duas animas in homine esse dicimus, sicut Iacobus & alij Syrorum scribũt.* Dama. autem de supra dicta hæresi dicit. Ita manifestata hac ægritudine à Syria eiecti sunt, in Pãphiliam autem recesserunt. *Hæreses Massabeorum asserens hominẽ habere duas animas.*

Ad secundum dicendum, quod quælibet istarũ formarum dat aliquod esse, sed sicut prima forma est in potentia ad secundam completiuam ipsius, ita esse quod dat prima forma est incompletum, & in potẽtia ad esse completũ, pluralitas ergo formarum non est cõtra vnitatem compositi essentialẽ, nisi sint tales quæ non se habent secundum esse incompletũ & completum, ita quod non possint conuenire ad aliquam vnitatem essentialem. *Ad 2.*

Ad tertium dicẽdum, quod hic homo non est animal: est prædicatio per accidens, &c. Dicendum quod nõ sit necesse formæ. n. ordinatæ quę nõ prædicãtur adinuicẽ sunt duplices, quædã. n. sunt accidẽtia illi supposito quæ prædicantur de se inuicẽ prędicatione accidentali sicut cũ *Ad 3.*

 dicitur

dicitur, superficies est coloratum, quia nec superficies est de essentia subiecti, nec coloratum reponitur in specie completa per colorẽ qui accidit ei. Aliæ autem formæ sunt de essentia suppositi, ratione cuius de se inuicem prædicantur, etiam in cõcretione vbi nequaquam est prædicatio accidentalis.

Ad quartum dicendum, quod actio vnius potentiæ intensa non impediret aliam, nisi essent fundatæ in eadem essentia, dico quod hoc non oportet, immo potius quod illæ essentiæ naturalem & essentialem habent colligantiam.

Item potentiæ illis correspondentes impedire se possunt in suis actionibus & passionibus corporis, & corpus compatitur animæ & sequitur eam in suis actionibus quas illa habet, non propter fundationem in eadem essentia, sed propter vnionem adinuicem vt perfectio & perfectibile, & sic est de anima vegetatiua, sensitiua & intellectiua in homine. Exemplum ad hoc, si lignum graue cum leui ponatur & immergatur, videtur quod graue cuius est motus deorsum impedit actionem leuis, multo magis hoc fieret, si vnum esset alteri colligatum naturaliter. Vnde Auicenna. 6. *naturalium parte 2. cap. 7.* ita dicit. *Qualibet virtus si non haberet in quo coniungeretur alteri, non prohiberet alteram virtutem ab operatione sua*, scilicet *si instrumentum non esset commune, nec aliquod aliud, in quo coniungerentur esset commune.*

Ad quintum argumentum de similitudine ad figuras

guras dicendum, quod similitudo non debet intelligi in omnibus sed in aliquo & in aliquo non, est enim in hoc similitudo, quod sicut pentagonum non habetur nisi prius habitis quatuor angulis, sic intellectiua non habetur nisi præhabita vegetatiua & sensitiua.

Item sicut pentagonum præsupponit ante se tertragonum in potentia & sub esse incompleto, sic intellectiuum supponit ante se vegetatiuum & sensitiuum in potentia & sub esse incompleto. Sed dissimilitudo est in hoc, quod illi quatuor anguli, quos supponit pentagonum & tertragonum subesse incompleto sunt de essentia pentagoni quando est completum, vegetatiua autem & sensitiua non sunt de essentia intellectiuæ.

Ad sextum dicendum cum dicit, quod aliter intellectiua non daret esse simpliciter. Dicendum quod si per esse simpliciter intelligat totum esse quod est in esse composito, verũ est quod non dat illud totum quod datur per formas præcedentes, sed esse quod dat est completiuum & perfectiuum omnium formarum præcedentium & esse illarum formarum. Si autem intelligatur esse simpliciter secundum quod diuiditur ex opposito contra esse quod dat accidens, secundum quem modo dicit *philosophus primo de generatione*, quod quando generatur substantia dicitur generatio simpliciter. Dico quod sic forma intellectiua dat esse simpliciter, quia sicut formæ præcedentes erant in potentia ad illam tanquam ad essentiale complementum, sic etiam esse formarum

Ad sextũ.

t. com. 10.

Digitized by Google

marum præcedentium ad esse eius, & ideo in aduentu formæ completiuæ est generatio vera vel generationis essentiale complementũ, quamuis non sit generatio vera in aduentu formæ accidentalis.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

MVLTIFARIE multisque modis magistri & multi circa vnitatem formæ substantialis eiusdem rei laborauerũt. Quidam istam vnitatem impugnantes, alij vero è conuerso rationibus & auctoritatibus philosophorum ipsam declarantes. Nostra autem intentio in proposito erit ostendere, quod nullum inconueniens vel hæresis sequitur ex ista positione, & quod isti per sua responsa ad argumenta S. Thomæ quæ pro ipso faciunt non euadunt.

Ad 1. Rationi corruptorij. *Ad primum argumentum* respondet S. Thomas *in vltima parte summa dicens*, quod corpus viuum & mortuum est idem numero simpliciter, prout simpliciter dicitur quod nullo addito dicitur idest absolute, & hoc est propter vnitatem suppositi diuinæ personæ siue verbi quo subsistebat, non tamen fuit idem simpliciter prout simpliciter dicit idem quod totaliter, tunc enim non fuisset mutatum, nec per consequens mortuum, quod hæreticum est dicere. Et licet corpus sit sic mutatum per mortem, non sequitur quod in morte nouam naturam assumpserit, tum quia illa forma substantialis in morte inducta non est per se assum-

assumptibilis, tum quia natura sic fuit in principio incarnationis assumpta videlicet mutabilis ac mortalis tandem per mortem mutanda, & per gloriam resurrectionis reparanda. Ad hoc possunt plura exempla adduci. Ecce dolium plenum vino, pono quod vinũ illud mutetur in acetum, dolium non de nouo impletur, sed ratione primæ impletionis continet acetũ de nouo generatũ. in quod cõtentũ suũ primũ est trãsmutatũ, sic verbũ ratione primæ susceptionis humani corporis, illud in quod corpus prius susceptũ in morte est mutatum in vnitate personæ retinuit sibi vnitum.

Aliud exemplũ familiare ad idẽ potest esse istud. Pone aliquẽ indutũ laneo indumento, quod transmutetur diuinitus in lineũ, & iterũ à lineo in laneũ, istud propter istas plures trãsmutationes non diceretur pluries indutus, sed per vnicã induitionẽ haberet indumentũ pluries mutatũ, sic Dei filius qui secundũ *Apostolũ habitu vt homo inuentus est*, carnẽ humanã in sua incarnatione semel induit, quæ postea per mortẽ fuit mutata, & tandẽ per resurrectionẽ reparata. Fuit ergo corpus Christi viuum & mortuũ vnũ & idẽ numero propter vnitatem suppositi quo subsistebat. Nec debet dici Christus de nouo incarnari vel corpori de nouo tunc vniri, licet corpus illud benedictũ in vita & morte formam substantialem aliam & aliam dicatur habere. *Phil. 2.*

Ad secundum de Sacramento altaris, respondet ipse S. Thomas *in vltima parte* sic dicẽs. *Anima dum est forma* *Ad secun-dum.*

est forma corporis dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet esse & esse corporeum & esse animatum, & sic de alijs. Conuertitur ergo forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum & non secundum quod dat esse animatum tali anima, verba eius sunt. Quod ergo dicunt, quod corpus non transit in spiritum, verum est inquantum huiusmodi, tamen forma panis siue corporis bene potest dici diuina virtute transire in formam corporis Christi, inquantum dat esse corporeum vt ipse dicit, quæ quidem forma ratione suæ perfectionis habet, quod non solum dat esse corporeum, ratione cuius dicitur forma corporis, sed etiam dat esse animatum anima intellectiua, ratione cuius dicitur spiritus, & hæc plenius patebunt ex sequentibus.

Ad 3. *Ad tertium dicendum*, quod peccatum originale à primo parente traducitur in posteros, inquantum mouentur ab ipso per generationem, sicut membra mouentur ab anima ad peccatum actuale. Non est autem motio ad generationem nisi per virtutem actiuam in semine deciso existentem, vnde per virtutem actiuam seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana, quia enim infectio illa quæ est in semine disponente ad productionem naturæ humanæ in prole descendebat à voluntate primi parentis peccantis, sicut inordinatio quæ est in manu homicidæ à peruersa voluntate eiusdẽ procedit. Hinc est quod sicut voluntas hominis homicidæ est causa peccati illius actualis

Quomodo traducatur peccatum originale in posteros.

prin-

Digitized by Google

principaliter, & manus instrumentaliter, sic voluntas primi hominis est causa principalis istius peccati originalis, semen autem est instrumentalis eiusdem. Ex his patet quod peccatum originale non causatur (vt isti imaginantur) ex istis principijs naturæ humanæ productæ in prolem, videlicet nec à materia nec à forma; sed (prout dictum est) à mala voluntate hominis primo peccantis, in quo omnes peccauerunt principaliter & à semine corrupto propter illud peccatum natura corrumpitur effectiue, disposita ad productionẽ humanæ naturæ in prole instrumentaliter, procedit ergo illa obiectio ex falso fundamento, quod in ipsis principijs naturæ humanæ in prole producta sit causa traductionis peccati originalis requirenda, quod falsum est. His visis patet quod ista tria argumenta non concludunt quod prædicta positio de vnitate formæ in aliquo repugnet fidei Catholicæ. *Nota diligenter.*

Ad quartum dicendum, quod nec repugnat philosophiæ immo totaliter ei innititur, philosophia enim non ponit formas elementorũ esse in mixto vel corpore humano actualiter sed solum virtualiter, qualitates enim actiuæ & passiuæ elementorum quæ sunt virtutes formarum substantialium eorundem in mixto inueniuntur. Ipsa quoque anima est forma mixti inquantum est actus corporis talem habentis complexionem ex proportione primarum qualitatum prouenientem, circa autem istam complexionem conseruandam vel reparan- *Ad quartũ.*

Digitized by Google

reparandam versatur studiũ medicinæ nec ratione istius positionis habetur quare debeat dici cessare.

Ad quintum. *Ad quintum dicendum*, quod non est inconueniens quod anima inquantũ est forma corporis dicatur forma corporea siue corporalis quia tamen minime est immersa materiæ, & intãtũ nobilitate naturæ sublimata est, quod habet potentias & actus penitus immateriales & spirituales vnde est spiritus & forma spiritualis.

Ad sextũ. *Ad sextum dicendũ*, quod ista positio non ponit quod materia prima sit grauis vel leuis; nec quod ab anima habeat corpus quod sit corpus graue vel leue nisi effectiue, licet quod est actus primus corporis, in quo virtute ipsius agentis huiusmodi virtutes elementares inducuntur; ita quod illud elementũ dicitur in tali corpore dominari cuius qualitas alijs in eodem mixto excedit; non oportet autem (prout isti putant in hoc turpiter decepti) ibi esse elementi formam substantialẽ vbi inuenitur eius qualitas; cũ illa qualitas multũ intendatur, sicut patet de qualitate ignis in aere ignito.

Ad septimum. Ioan. 2. *Ad septimum tandem dicendum*, quod non repugnat positio ista sacræ scripturæ in scriptura enim illa *soluite templũ*, &c. idem demõstratur per *hoc* & per *illud*, scilicet corpus Christi idem numero, prout dictũ est; primo morte solutũ, & postmodũ in resurrectione excitatũ, quod tamẽ in morte nõ fuisset solutũ nisi per animæ separationem, & alterius formæ inductionem

ctionē fuisset mutatū, quare. n. scriptura teste solùi diceretur, si vna & eadem forma substātiali, & eadē hypostasi verbi continue contineretur. Ecce prædicta positio nō solum scripturæ huic non repugnat, sed potius consonat & concordat eidem.

Quod verò dicunt de Ansel. multū facit pro ista positione si recte intelligat. *Ipse homo.* n. prout ipse dicit *secundū aliud est corpus, & secundū aliud est rationale*, ideo reuera prout præmittit non vna consideratione siue vno consignificandi modo dicitur corpus rationale & homo. Eadē n. quidditas est siue natura substantialis quam consequitur quantitas dimensiua determinata virtus sensitiua & rationalis. Hæc ergo natura tota prout ipsam consequitur ista quātitas dimensiua dicitur corpus, & prout ipsam consequitur virtus sensitiua dicitur animal, & prout ipsam consequitur virtus intellectiua dicitur homo vel rationale, modi igitur cōsignificandi istā quidditatē vnā sunt secundum Anselmū diuersi, & hoc propter diuersas proprietates quæ ipsā cōsequūtur vt prędictū est.

Hoc quoq; quòd adducūt de S. Aug. *li. retra.* nō est cōtra istā positionē si intelligatur. Dicere enim animam tribuere speciem corpori per quam est effectiue, quod videntur verba illa quæ retractat ibidem de immortalitate animæ sonare, est temere dictum. Diceretamen quod anima speciē tribuit corpori per quā est formaliter, cū sit actus & forma ipsius vt dicit philosophus, non est temere dictum. Hoc autem ponit ista positio, & non primū. *S. Aug. nō est contra S. Thom.*

Patet

2. de anima t. com. 6. Patet ergo quod auctoritas ista recte intellecta nihil facit ad eorum propositum. Quod autem supra dixerat, *q.28. in responsione ad argumentum* S.*Thom.* quod licet materia animæ rationalis secundum se considerata sit aliquid in potentia, tamen vt perfecta est per formam est actus & forma corporis in proposito indirecta obiectione satis impertinente intendebant illud verius dictum corrigere. Quid enim absurdius dicitur, quam quod aliqua materia, quæ per suam essentiam est in potentia, fiat actus & forma, & cum actus & potentia opponantur, & vnum oppositorũ impossibile est fieri reliquũ, materia quoq; & forma nunquã cõcidũt secundũ philosophũ, propter hoc
1. com. 26. 2. physi. nũc moti sunt aliter fingere, quod sicut virtutes sensitiuæ primo perficiũt materiã grossiore corporis mediante corpore subtili quod est spiritus, sic forma animæ rationalis primo perficit suam materiam corporalem subtilem & spiritualem, & mediante hac materiam corporalem, quamuis materia animæ non sit actus & forma corporis, sed mediante ipsa anima informet corpus, Reuera, hoc totum temere dictum est. Si enim anima rationalis habet suam materiam, sensitiua quæ secundum ipsos alia substantia est habebit suam materiam, cum magis sit materialis. Et similiter (immo multo fortius) vegetatiua suam, & tandem ipsum corpus suam, & tunc oportebit istos secundum modum quo loquuntur fingere, quod forma animæ rationalis primo perficiet suam materiam pure spiritualem,

tualem, & mediante hac materiam sensitiuæ minus spiritualem; & mediantibus illis vlterius materiã vegetatiuæ minime spiritualẽ, & tandẽ vltimo materiã corporalem, & erũt quatuor substãtiæ compositæ ex materia & forma ad minus, quarum prima corpus scilicet perficitur consequenter per tres alias sequentes ordine prædicto; quo modo ergo secundum hoc stabit, quod anima sit actus corporis primus sine aliquo medio; immo qualiter cum hoc stabit quod nunquam in his terminis locutus est aliquis philosophus approbatus. Cum ergo ista nimis sint absurda surda aure transeamus: Qui æstimant S. Augustinum sensisse, quod anima mediante corpore subtili materiam corporis perficeret; decepti fuerunt in hoc, quod differt loqui de anima vt est motor corporis, secundum quem modum loquitur S. Augustinus & prout est forma & actus corporis, prout loquitur philophus quia inquantum forma est immediate vnitur materiæ, ita tamen quod cum ipsa in eodem instanti inducuntur in eadem materia diuersæ organorum dispositiones & cõplexiones diuersis potentijs organicis seruientes. Inquantum vero anima motor est per vnum instrumentum mouet alia, quia sicit S. Thomas *contra Gentiles lib. 2. cap. 76.* in motu quo anima mouet corpus est ord o mobilium & motorum. Anima enim omnes suas operationes efficit per suas potentias, vnde mediante potentia sua mouet corpus & ad membra mediante spiritũ & vlterius organũ vnũ mediante alio organo. *2. de anima, cont. 6*

N *Ex his*

Ex his patet, quod argumēta quæ isti afferūt contra illā positionē nihil concludunt. Restat ergo videre qualiter argum. S. Tho. quæ pro se faciunt non euadunt.

Ad primū Resp. *Respondendo ad primū argumentū*, cōcedūt suū intentū in illa respōsione sc. quā dicūt meliorē S. Tho. enim non ad aliud adducit illā auctoritatē S. Aug. nisi ad ostendendū quod est tantū vna anima in homine. Et manifestū est quod æque facit contra eos qui dicūt vegetatiuā sensitiuā & intellectiuā tres substantias, sicut cōtra illos Syros qui ponebāt tantū duas animas, cū secundū ipsū vna & eadē sit anima, quæ seipsā ratione disponit, & corpus sua societate viuificat, & pari ratione sensificat; quod non esset verum nisi ipsa vna & eadem esset vegetatiua, sensitiua & intellectiua.

Ad secundum. *Quod vero dicunt ad secundū argumentū*, quod prima forma est incompleta dās esse incōpletū, & copletur & perficitur per secundā, hoc non pōt stare, quia cū illę formæ eiusdē generis sint, oportet illā formā perfectiorē includere in se totam perfectionē quæ est in forma imperfectiori ratione cuius pertinet ad idem genus & aliquid perfectionis eidē superaddere, si. n. perfectio vnius formæ est omnino extra perfectionē alterius, nihil penitus idē participāt, ratione cuius ad idē genus pertineant, licet ponatur quod vna per aliam perficiatur, sicut color perficit superficiē cū qua nihil idē participat, propter quod & alterius generis est. Cū ergo forma perfectior includat in se perfectionem illā quę est in forma imperfectiore cū vlteriore perfectione superaddita, & nihil

sui-

sui ipsius sit per substantiã, impossibile est dicere quod forma perfectior sit perfectiua formæ imperfectioris, cuius nimirum perfectionem totã intra suam includit essentiam.

Præterea, completũ & incompletũ eiusdẽ generis nõ compatiuntur se in eodẽ susceptiuo, sicut color cõpletus & incompletus, vel sapor, vel aliud huiusmodi, sicut manifestũ est sensui. Ratio vero iudicat hoc impossibile propter repugnantiã quæ inuenitur inter cõpletũ & incompletũ eiusdẽ generis circa idẽ susceptiuũ, quãuis autẽ sensus nõ participat differẽtias formarũ substantialiũ, ratio tamẽ illas differẽtias formarũ substantialiũ discernẽs nõ minus debet istã impossibilitatẽ cõcludere. Cũ igitur non possint istæ formæ esse simul in eodem, manifestum est quod vna non est alterius perfectiua.

Quod verò ad dicũt ad 3. quod prædicatio est per se primo mõ, quãdo illę formæ inter se ordinatę sunt esſẽtiales ipsi supposito in quo sunt; & quãdo forma secũda ponit primã in spẽ, quod nõ cõtingit in superficie & colore, stare nõ põt. Si.n. istæ formæ quãtũcũq; fingãtur substantiales, sic sint ordinatæ quod secunda sit actus & perfectio formæ primę quæ per cõsequẽs est potẽtia respectũ eiusdẽ cũ potẽtiæ sint extra rationẽ ac diffinitionẽ sui actus prædicatum quod sumitur à forma prima nullo modo cadit in diffinitione subiecti quod sumitur à forma secũda; verbi gratia cũ dicitur, hõ est animal, & per cõsequẽs nullo mõ erit ibi prędicatio per se primo mõ, quę est quãdo cadit prędicatum in diffinitione subiecti 2 philos. 1. *phys.*

Præterea quod dicũt ad 4. quod potẽtię animę se mutuo impediũt, ꝓpter nãlẽ colligãtiã illarũ triũ *c. de per se.*

aliarum: non stat cum mente philosophi, ipse enim quæreret ab eis, quod à Platone quæsiuit, videlicet quid est quod ligat istas animas adinuicē, cū enim sint tres substantiæ, quarum vnaquæque secundum ipsos habet propriam operationem, cū nihil operetur nisi secundum quod est in actu, necessarium est dicere quod vnaquęque ipsarum habeat actum essendi proprium, quid ligat ergo eas simul? Si autem vna in essendo completur ac perficitur per aliam, cum vnumquodque sic se habeat ad agere, sicut se habet ad esse, necesse esset quod vna earum alteram compleat in operando & perficiat sicut & in essendo, ergo operatio vnius nunquam impediret operationem alterius, quod falsum est, & ideo necesse est dicere sicut dixit Auicenna quod istę potentiæ mutuo se impediunt in operatione sua, quia radicatæ sunt in essentia vna, quæ exercendo actum intensum vnius potentiæ retrahitur ac impeditur ab exercitio actus potentiæ alterius.

Ad 5. *Respondendo ad quintum* ipsi negant similitudinem inter formas substantiales & figurarum species in hoc ipso in quo philosophus assignauit eandem. Ipse enim (vt manifeste
2. ... ti. 57. patet omni intelligenti) ponit in hoc istam similitudinem, quod sicut in figuris angularibus posterior semper includit in se priorem cum additione. Similiter forma substantialis perfectior in se habet includere & includit perfectionem imperfectioris formæ & addit super ipsam.

Quod

Quod tandem dicunt ad sextum, quod formæ præcedentes dant esse quod completur per esse, quod datur à forma vltima. Et ideo in aduentu formæ vltimæ est generatio vera, stare non potest. Primæ enim formæ cum sint substantiales dant actu esse substantiale, quod est per se subsistere. Forma igitur vltima quæ perfectior est dabit esse nō minus perfectum, & per consequens sicut est alia forma substantialis à priore ipsa perfectior, ita dabit aliud esse substantiale siue alium actum essendi siue subsistēdi perfectiorē. Ex quo sequitur quod in illa vna re cuius sunt istæ formæ sunt duæ existentiæ vel duo actus essendi vel subsistēdi, quod est impossibile. Esse enim est ipsa actualitas quidditatis vel naturæ cuius est. Vnaquæque autem quidditas natura completa actualitate sibi propria eo ipso distinguitur ab omni alia. Quod ergo sint duæ naturæ vel quidditates habentes proprias actualitates, & tamen indistinctæ sint vnam essentiam compositam constituētes, contradictionem includit. Si vero dicatur quod forma posterior non dat nouum actum subsistendi, sed cōplet illud esse habitum per formas præcedentes. Ex hoc sequitur quod forma posterior erit imperfectior & minoris efficaciæ quam formæ præcedentes. Nulla enim forma dat esse substantiale siue actum subsistendi nisi forma substantialis, & hoc certe ratione perfectionis suæ naturæ. Si ergo alia forma substantialis inueniatur quæ non dat actum huiusmodi, illa forma minime vel potius nihil participabit

Ad sextū.

Digitized by Google

de ratione talis perfectionis. Et sic tandem cũ aduenìat habenti actum subsistendi, erit forma non substantialis sed accidentalis, & cum suum susceptiuũ sit ens actu, & per consequẽs mobile, sua inductio erit motus, & non vera generatio, cuius subiectum est ens in potẽtia, & ideo non mobile, propter quod ipsa nõ erit motus sed mutatio subita secũdũ philosophũ. Multa sunt nimis inconueniẽtia quæ ex dictis istorum possunt concludi, vnde quicquid sit de veritate in hac parte impossibile est omnino per modum quo isti ponunt pluralitatem formarum substantialium in eodem sustinere, ergo modus alius siquidem possibile est inuentatur, quo inuento nihil amplius error aliquis in fide vel philosophia expositione illa quæ ponit vnitatem formæ concludi poterit, & hoc ex dicendis in articulo proximo sequente domino adiuuante patebit.

ARTICVLVS XXXII.

Nulla dispositiones praexistunt in materia ante animam.

S. Thom. p. par. q. 76. art. 8. in responsione dicit, *quod impossibile est quasdam dispositiones accidentales praexistere in materia ante animam, vel inter corpus & animam & quamcunque materiam & formam*, quod patet primo, quia *accidens est posterius substantia tempore & ratione, vt dicitur in 7. Meta.* *Non ergo forma accidentalis aliqua potest praeintelligi in materia ante animam*

tex. 4.

qua

qua est forma substantialis. Secundo hoc patet ex hoc *quod cum materia sit in potentia ad omnes actus ordine quodam, oportet quod illud quod est primum in actibus intelligatur primo in materia. Primum autem inter omnes actus est esse, impossibile est ergo prius intelligere materiam quantam & calidam quam esse in actu, quoniam actum habet per formam substantialem quæ facit esse simpliciter vt dictum est, & ideo in materia ante formam substantialem nulla dispositio præcedit.*

CORRVPTORIVM.

EX hac positione quæ sequitur ex præcedenti de vnitate formæ sequitur vnus alius error, quod scilicet filius Dei non assumpsit carnem de purissimis sanguinibus Beatæ Virginis, quod tamen Damascenus dicit *libro* 3. *c.* 11. & etiam illud tenet fides, sed potius ex illo sequitur quod accepit materiam primam & nudam. Ex quo etiam (vt videtur) sequitur peior error, scilicet quod Christus non fuit filius Virginis, nec ipsa mater eius, quia non ministrauit carnem vel corpus, sed tantum materiam primam, quam si assumpsisset de alia re, non diceretur propter hoc illius rei filius. 1.

Præterea, dicta positio est contra philosophum dicentem *in de anima*, quod propria forma habet fieri in propria materia, non est autem propria tali materiæ nisi mediante dispo- 2. *t. com.* 37. 2.

sitione ad talem formam magis quam ad aliã. Vnde etiam anima est actus non materiæ indispositæ: sed corporis physici organici in potentia vitam habentis, quæ omnia dicunt dispositionem ad animam quæ est forma, ergo falsa est ista positio, tum quia est contra fidẽ, tum quia contra philosophiam.

2. de animat. conti. 6.

Præterea constat quod ante infusionem animæ rationalis est in corpore forma mixti & qualitatum remissarum ab actibus suis, & forma & figura membrorum organicorum.

4. *Item* post infusionem animæ sunt hæc omnia in corpore similia prioribus, & quod non sint alia quam prius videtur per omnimodam similitudinem, quod enim per omnia simile est idem vtique est, vt dicit Dama. *lib. 3. c. 16.*

Præterea nunquam corrumpitur vnum similium ad inducendum alia similia, hoc enim ociosum esset, ergo natura non corrumpit accidentia præcedentia infusionem, ad inducendum alia penitus similia post infusionem. Restat ergo quod sunt eadem accidentia permanentia. Sed præcedentia præcedebant animam rationalem in materia, ergo illa constat ibi esse post infusionem, & ideo media sunt inter animam rationalem & materiam primam.

Ad argumenta dicendum, quod ambo peccant secundum consequens, vel procedunt ex suppositione falsa, supponendo enim sicut veritas est, quod in homine & cæteris animatis sint gradus formarum, manifestum est quod non

Digitized by Google

non sequitur, accidens est posterius forma substantiali, ergo est posterius anima, sed est fallacia consequentis, nisi supposito quod in homine & in cæteris animatis non sit alia forma præter animam, sicut ipse opinatur. Sed suppositio falsa est & à magistris Parisijs condemnata.

Eodem modo peccat secundum argumentum, non enim sequitur esse quod est per formam substantialem in materia præcedit omne accidens in materia, ergo esse quod est per animam, sed est fallacia consequentis, nisi supposito vt prius quod in homine & in cæteris animatis non sit alia forma præter animã, quod reprobatum est Parisijs, sicut dictum est.

Responsio ad haec secundum S. Thomam.

Ista positio nec est contra fidem, nec contra philosophiam si pium habeat inspectorem, modum positionis istius intelligẽtem, quoniam prout dictum est, supra ar. proximo precedente, dispositiones & omnes formæ accidentales quæ sunt in aliqua substãtia, simul inducuntur ab efficiente in materia cũ sua forma substantiali. Cõtingit ergo accipere ordinem inter formam substantialem & dispositiones accidentales simul in eodem instanti cum ipsa in materia inductas dupliciter, videlicet quantum ad esse, vel quantum ad fieri, si ergo attendatur ordo in essendo, sic necesse est dicere, quod istæ dispositiones cũ sint accidẽtia præsupponãt ipsam quiddi- *Dupliciter fit ordo inter formas substãtiales & dispositiones accidentales.*

N 5 tatem

tatem compositam ex materia & forma in esse constitutam cui insunt, cum eorum esse sit in esse. Si vero attendatur quantum ad eorum fieri, sic secũdum modum intelligẽdi istę dispositiones accidentales pręcedunt in materia formã substantialem, non quidẽ duratione, sed sub ista consideratione qua cõsideramus quod forma substantialis inducitur ab agente in materia per hoc quod ista inducũtur & nõ econuerso, & secundum istum modum nihil prohibet ponere dispositiones istas quasi medias stante animam & aliam formã substantialẽ in materia, secundum quod docet S. Th. *cõtra Gent. l. 2. c. 70.* Videamus ergo quæ dicta sunt in exemplo. Ecce ignis agit in aerem ipsum primo alterando qualitates igneas in ipso inducens & promouens, & qualitates aereas minuens, & quo ad aliquos gradus corrumpens, & per istum modum disponit materiam aeris ad susceptionem formę substantialis ignis tandẽ in termino istius alterationis qualitates ignis virtute ignis agẽtis in tantũ intendũtur, vt per earũ inductionẽ necessario corrũpatur aeris natura cui repugnant, & producatur eadẽ necessitate natura ignis cui in tali gradu competunt. In illo ergo eodem instãti quo alteratio terminatur ipsa forma substantialis inducitur, inductis, scilicet simul cũ ipsa illis qualitatibus igneis in gradu imperfectiore in ipso existentibus tempore toto dum durabat præcedẽs alteratio. Ex his patet qualiter ignis inducit formam suam substantialẽ in materia aeris primo inducendo suas qualitates sub gradu quidẽ imperfectiore ipso aere

manente & alterationi subiecto, & tandem in gradu perfecto in ipsius alterationis termino aere cui in gradu tale repugnat corrupto & igne cuius sunt proprietates in illo gradu eodem generato, quantum ergo ad fieri primo oportet intelligere istas qualitates dicto modo ante formam substantialem in materia inductas pro tanto quod forma substantialis inducit per hoc quod agens alterando motu alterationis inducit ipsas & nõ econuerso, sicut patet ex dictis. Istę autẽ qualitates sic praecedentes in productione & fieri necessario habẽt intelligi subsequentes in via essendi, quia nõ possunt habere esse nisi per suum subiectũ in esse constitutum, cuius principium est forma substantialis, sicut ergo dicũtur praecedere inquantum per earum inductionem inducitur forma substantialis sic & consequũtur inquãtum forma susistantialis est principiũ essendi subiecto eorũdem. Praecedũt ergo sicut dictũ est quo ad fieri, & sequũtur quo ad esse. Ponẽdo ergo quod in homine non sit nisi vna forma substantialis ipsa, sc. anima intellectiua, sic dicendũ est quod virtus formatiua quae est in semine deciso à patre, materiã exhibitã à matre in quã est sicut manus figuli in olla secundũ philosophũ, disponit cõtinue ad formę hominis susceptionẽ, sicut ignis agẽtis in aerem disponit illã materiã ad suae formę susceptionẽ. Disponit autẽ virtus illa formatiua materiã illã sub forma existentẽ sanguinis, inducẽdo primo dispositiones ad susceptionẽ formę hominis sub gradu imperfecto, quas consequenter continue promouet donec in ter- 2. physic. t. com. 26.

Digitized by Google

mino illius alterationis primæ inducantur dispositiones in gradu tali in quo repugnant naturæ illius formæ imperfectioris quæ in illo instanti corrumpitur, & forma naturæ perfectioris cũ dispositionibus illis in gradu tali in eodem instanti inducitur, licet vero ista forma embrionis sit perfectior quam prima &c. non tamen est tantæ perfectionis quod constituat naturam humanam in esse, & ideo virtus formatiua existens in semine siue in spiritibus illis, nondum cessat influere agẽdo sic in corpus istud generatum, & inducendo dispositiones respectu formæ hominis inducendæ sub gradu perfectiore, & in fine istius transmutationis secundæ inducuntur dispositiones istæ in gradu in quo repugnant naturæ formæ præexistentis quæ in illo instanti corrumpitur, à forma hominis anima, scilicet intellectiua in eodem instanti creatur, & in materia cum istis dispositionibus Deo efficiente & virtute formatiua disponente inducitur, dispositiones enim inductæ cum forma, anima, scilicet rationali à Deo creata efficiũtur & inducuntur propter dictam virtutem formatiuam, propter quod homo semen illud descindens est generans & pater dicitur. Sed mulier materiam exhibẽs sic dispositam sua vi generatiua vt possit à virtute formatiua moueri dicto modo dicitur generans, & mater, & sic patet quod iste modus ponendi nõ repugnat consanguinitati vt quidã putãt.

Ad 1. *Ad primum argumentum dicendum*, quod Beatissima Virgo verissime Dei mater dicitur. Ipsa

Digitized by Google

Ipsa enim exhibuit materiã optime dispositam, de qua non per virtutem seminis, sed per virtutem sancti flaminis formaretur Christi corpus de purissimis vtique sanguinibus sui corporis, vt dicit Dama. Non tamen debet dici quod forma sanguinis præexistens in illa materia in actu remanserit in ipsa formatione corporis Christi, sicut nec forma terræ vnde formabatur corpus Adę actu remanebat post ipsius formationẽ. Si autem Christus recepisset carnem de alia re quæ non haberet virtutem generatiuam, non deberet dici filius eius, quia non fuisset ab illa regeneratus ", sicut nec Adam filius terræ dictus est vel Eua costæ. In beata autem virgine erat virtus generatiua per quam exhibuit materiam præparatam ac dispositam vnde corpus Christi formabatur. Et sicut alię mulieres exhibent materiam dispositam formandam per virtutem seminis viri, sic ipsa per virtutem spiritussancti filium suum genuit. Virtus enim generatiua in muliere, sicut dicit S. Thomas *in vltima parte, quæst. 32. artic. vltimo* est imperfecta respectu potentiæ generatiuæ quæ est in mare. Et sicut in artibus ars inferior disponit materiam, & ars superior inducit formam, vt *dicitur 2. physicorum*. Ita virtus generatiua fœminæ præparat materiã. virtus vero maris actiua format materiam præparatam. In alijs vtique à beata Virgine, in ipsa enim erat virtus formatiua superior, scilicet spiritussanctus, formans de materia præparata quam ipsa exhibuit corpus Christi eodem

B. Virgo exhibuit materiam optime dispositam.

t. com. 24.

Digitized by Google

eodem instanti. Et prout docet S. Thom. vbi supra, *q.33.art.1.2.& 3.* in eodem instanti, in quo terminabatur motus localis, per quã ista materia siue illi purissimi sanguines ad locum generationis sunt delati per virtutẽ infinitam Spiritussancti inducebantur in illa materia dispositiones corporis Christi in gradu cõpleto atque perfecto, cũ quibus eidem materiæ simul vniebatur anima rationalis creata ab ipsomet Deo, & totum sic ineffabiliter productum à verbo Dei in vnitate personali est assumptum in illo eodem instanti; propter quod Beata Virgo concepit tunc hominem simul & Deum. In vno enim instanti O beata Domina in te fuit vnio matris & virginis, in tuo filio Dei & hominis ergo doctrina ista huius doctoris egregij non est fidei cõtraria, sed eius potius per omnia luce clarius expositiua.

Ad 2.

Ad secundum quod dicit philosophus, si intelligatur recte, totum facit pro ista positione. Forma enim nunquam inducitur nisi in materia disposita, sed dispositiones primo inductæ in subiecto alterationis in gradu imperfecto corrumpuntur in termino illius alterationis per corruptionẽ sui subiecti, quia destructis primis substantijs impossibile est aliquid aliorum remanere, vt dicit philosophus in prædicamentis, precedens enim alteratio materiã disponens terminatur ad dispositiones cõpletas in gradu perfecto, cum quibus noua forma substantialis corrupta præcedente inducitur, vt sæpe dictum est, & iterare non piget; quia illud

Formã inducitur quando materia disposità. In prædicamento substãtia.

istud multum facit ad intelligendum quod dicitur.

Per idem patet ad tertiũ. Dispositiones enim quæ præcedunt in embrione ante infusionẽ animæ sunt incompletæ & corrumpuntur cũ suo subiecto inductis completis simul cũ infusione animæ quibus per mortem corruptis inducuntur aliæ in cõpletæ cũ quibus anima recedente inducitur alia forma substantialis. *Ad 3.*

Ad quartum dicendum, quod vnum simile non inducitur ad corrumpendum aliquid simile per se, sed per accidens bene contingit, verbi gratia. In aere enim similis est qualitas & similis quantitas præcipuè post alterationẽ ipsius ab agente quantitati & qualitati in igne existente, ita tamen quantitas & qualitas corrumpitur per corruptionem aeris igne generato. Simili modo contingit in præposito, sicut satis clarũ est ex dictis, per quę multa alia argumenta quæ fiunt contra positionẽ de vnitate formæ substantialis possunt dissolui. *Ad quartũ*

Plures enim sic arguũt. Materia prima primo recipit formam vniuersalẽ, & mediante forma vniuersali recipit alias formas vsque ad indiuiduales, vt dicit Commentator *super primo metaphysica.* Ex hoc videtur secũdum ipsũ, quod forma magis vniuersalis & forma minus vniuersalis sint diuersę secundũ rẽ, ex quo vna recipitur in materia prius quam alia, & sunt in eodem indiuiduo, simul enim Petrus est substãtia vel corpus per formam magis vniuersalem, & homo per formam minus vniuersalem, ergo in vno indiuiduo sunt plures formæ secundum rem diuersæ. *1.* *1. com. 38.*

Item

2. *Item*, actio generantis terminatur ad formam substantialem, sed in generatione hominis homo est generans, ergo sua actio terminatur ad aliam formam substantialem, non ad animam rationalem, quia ipsa à Deo creatur immediate, ergo præter animam rationalem oportet ponere in homine aliam formā substātialem ad quam terminetur actio naturæ.

3. *Præterea*, impossibile est aliquod accidens remanere sine subiecto, à quo & in quo creatur, sed recedente animā humana à corpore videmus ad sensum eadem accidentia manere, puta eandem quantitatem, figuram, grauitatem, situm partium & multa huiusmodi circa quæ sensus non decipitur, cum sint per se sensibilia, ergo remanet subiectum eorum idem, scilicet idem corpus quod prius, & per consequens eadem forma quæ prius, non ergo est actu corpus in homine per animam: sed per aliam formam.

Accidens non manet sine subiecto.

4. Præterea recedente anima quod remanet est corpus subsistēs, ergo habet formam substantialem sine qua nihil subsistit, sed non est ibi (vt videtur) forma substantialis de nouo inducta, quia forma substantialis est terminus generationis ibi, aut non videtur alia generatio esse, quia generatio est terminus alterationis. Ex viuo autem fit mortuum sine alteratione præcedente, puto ex vno ictu occidentis subito, ergo corpus mortuum est subsistens per formam quæ præfuit in materia cum anima rationali.

Præterea materia prolis exhibetur à matre secun-

secundum philosophum, & anima rationalis est ab extra à Deo scil. creata. Si ergo in hominis substãtia nihil sit nisi materia prima & anima rationalis, sequitur quod homo nihil habeat à suo patre, & per cõsequens nõ plus attinet sibi quã cuicũq; extraneo, quod est absurdũ.

Item in eodem instanti quo corpus Christi in vtero beatæ Virginis formabatur per virtutem sanctispiritus anima rationalis à Deo creata eidem vniebatur, aut ergo forma inducta per spiritumsanctum mansit post infusionem animæ tunc haberet propositum, quia tunc fuerunt in sua natura humana duæ formæ substantiales; & sic pari ratione in quacunque alia, aut forma illa recessit aduenien te anima, & tunc in eodem instanti quo inducebatur remouebatur, & sic per consequens fuit & non fuit, quod est impossibile & contradictionem includit.

Ad primum argumẽtum sic dicendum. Cũ dicit Commentator formam vniuersalẽ recipit in materiã, & deinde alias, non est intelligẽdum quod illa prioriotas & posteritas sit secũdum tempus sed secundum ordinem naturæ sic .n. dicitur prius à quo non cõuertitur consequẽtia essendi, vniuersalem sc. respectu sui cõtenti, & ideo non sequitur quod inter formã magis vniuersalẽ & minus vniuersalẽ sit diuersitas secundum rẽ, sed solum secundũ rationẽ. *Ad primũ*

Ad cuius euidentiam considerandum est, quod omnes formæ substantiales tam materiales quam separatæ à materia in hac proprietate conueniunt, quod quælibet dat esse subsisten- *Forma & materia conueniũt in esse substantia.*

 tiæ,

tiæ, & constituit ens subsistens, & ideo intellectus noster habet vnum communem conceptum de omnibus, & abstrahit vnam formam communem secundum quam quodlibet constitutum dicitur substantia, & ista forma dicitur primo recipi in materia, quia secundum istam rationem forma dat esse quod est subsistere: quod oportet præintelligi omnibus accidẽtibus, vlterius omnes formæ materiales siue corruptibiles siue incorruptibiles in hoc conueniunt quod ad eas consequuntur tres dimẽsiones, & ideo de eis omnibus habemus vnum conceptũ communem abstrahẽdo de eis vnã formam communem secundũ quã quodlibet constitutũ per eas dicitur corpus, & secundum istã rationẽ forma dicitur posterius recipi inquã materia secũdũ primã rationẽ, quia sicut dimẽsiones in subiecto naturaliter præsupponunt esse subsistentiæ in subiecto, ita & forma secundum rationem qua ad ipsam sequuntur dimensiones præsupponunt semetipsam prout dat esse subsistentiæ. Et sic intelligendũ est de generibus & speciebus sibi inuicẽ subordinatis quod non prædicãtur de aliquo indiuiduo per formas realiter diuersas sicut putauit Auicebron, sed per eandẽ formã differẽtem solum secundũ diuersam considerationẽ rationis, & istud necesse est dicere. Cũ enim species sit idipsum ꝙ genus, puta homo est illud ipsum quod animal, prout animal de homine prædicantur, nec animal est pars hominis pars secũdum rem, sed solũ secundum rationem, quia ratio hominis includit illud à

Genera & species non prædicant de indiuiduo.

quo

quo ratio animalis sumitur, & nõ econuerso. *com. 8.* Similiter oportet dicere formam speciei esse formã ipsius generis, sicut.n. abstrahitur gen⁹ à specieb⁹, ita forma generis à forma specierũ. Vnde Commentator *in primo de anima* dicit, ꝙ intellectus facit vniuersitatẽ in rebus. Vna igitur forma secundũ rẽ est plures secundũ rationẽ sc. magis vniuersalis & minus vniuersalis, & sic materiam recipere formã magis vniuersalẽ ante aliã, non est aliud quã materiã recipere formam conceptam siue intellectã secundum rationem vnã ante semetipsam conceptam vel intellectã secundum rationẽ aliã.

Ad 2. dicendũ, quod generatio hominis aliter terminatur ad formã substantialẽ quã generatio aliarũ rerũ, aliæ.n. generationes sic terminantur ad eã, quod ipsa naturalia agẽtia nõ solũ inducũt dispositiones accidẽtales sed etiã ipsam formam inducunt substantialẽ per quã generatũ assimilatur generanti in specie, sed homo generans dispositiones accidentales inducit in materiã completas ac perfectas, vt dictum est supra cũ quibus anima rationalis ratione suæ nobilitatis à Deo immediate creata infunditur, & materiæ dicto modo dispositæ vt forma vnitur dans ei totũ ordinẽ esse perfecti, & ideo actio naturæ ibi non terminatur ad formã substantialẽ quam vltimo inducat, sed ad quã in ipso termino alterationis vltimæ disponat sicut patet ex supradictis. *Ad 2.*

Ad 3. dicendũ, quod vt prætactũ est, in corpore viuo & mortuo non manent ad eadem accidentia numero sed specie sicut eadem sunt accidentia specie in aceto quæ *Ad 3.*

Digitized by Google

prius erant in vino. Nec est istud contra sensum, quia sensus non potest distinguere inter accidentia omnino similia quando subito inducuntur in eadem materia, puta quod dimēsio vel humiditas sit alia in aceto de nouo generato vino præexistēte, cuius ratio est, quia accidentia numerantur secundum numerationem subiectorū, vnde vbi sensus potest distinguere inter subiecta per aliqua accidentia appræhensa distincta in illis, ibi potest distinguere inter alia accidentia similia inter se & eisdē, verbi gratia, per distinctam quantitatē Pet. & Pauli quā cōsequitur dualitas cognoscit sensus distractionem inter Petrum & Paulū & inter albedinem vnius & alterius, vbi autē in generatione vnius ex altero inducitur alia forma substantialis cum quantitate & qualitate consimili & alijs accidentibus consimilibus consequentibus non habet sensus distinguere inter illa subiecta, sed sola ratio cuius est solam formam substantialem appræhendere. Sensus vero per accidentia similia appræhensa quibus solis immutatur, nō potest ad istam distinctionem cognoscendam penetrare. Et quia mirum est aliquibus, quomodo talis organizatio subito possit induci in materia separatione, qualis per longa tempora inducta fuit per virtutem patris in semine. Ideo aduertendum est, quod quandoque in materia aliqua sunt accidentia plura iam inducta quæ habent similitudinem cum accidentibus rei generandæ nec per consequens habent corrumpi nisi per corruptionem sui

Pulchra obiectionis confutatio

subie-

subiecti, verbi gratia, caliditas & raritas in aere alterato ab igne agente habet similitudinē cum accidentibus ignis generandi, nec corrūpuntur nisi per corruptionē aeris subiecti, & quando ita est eo quod sunt iā inducta in gradu vno in materia existente adhuc sub forma corrūpenda, est ipsum agens potens propter ista subiecti suscipientis dispositionem inducere accidentia consimilia in gradu alio cum forma substātiali subiecti de nouo generati. Verbi gratia, eo ipso quod caliditas, raritas & siccitas cum quantitate dimensiua substrata sunt inducta in gradu multum intēso in aere alterato, potens est ignis agens subito in alterationis termino, cōsimilia accidētia in gradu alio secundum sensum à præcedentibus indistincta inducere cum forma substātialis ignis generati, & hoc certe non contingeret si aer ille contrarias haberet dispositiones, & in nullo prius similibus accidentibus inductis alteratus foret, & ideo dicit philosophus quod in habentibus symbolum facilior transmutatio inquantum, sc. nulla transmutatio cadit super symbolū siue accidens quod est simile in corrupto & generato nisi per accidēs, ex eo quod præinductū in subiecto corrumpēdo in gradu vno subito potest simile induci cū forma substantiali rei generandæ in gradu alio, inter quos gradus propter eorum approximationē sensus non potest iudicare. Quia igitur in corpore animalis mortalis sunt plura accidentia similia cū accidētibus corporis animalis omnino mortui, hinc est ꝙ quatr subito possūt so-

2. de generatione. t. com. 25.

luta harmonia & gradu perfecto quem habet in corpore animalis viui cum forma substantiali animalis mortui natura vel violētia alterante induci accidentia consimilia in gradu alio, ita quod sensus nō discernit inter gradus istos, & hinc est quod necesse est, quod in separatione animæ à corpore ista similia accidētia subito inducantur sub forma substātiali corporis mortui inducta in ipso eodem instāti, in generatione autem hominis vel animalis nō est talis similitudo accidentium in principio in subiecto alterando cum accidentibus corporis animalis vel hominis. Sed magna diuersitas, & ideo longa requiritur & magna transmutatio, donec vltimo inducantur accidentia vere similia, & tūc certe sicut in proposito istis propter corruptionē sui subiecti corruptis subito inducūtur alia accidentia similia.

Ad quartū 1. com. 14. *Ad 4. dicendum*, quod in morte animalis quædam forma imperfecta inducitur in materia, non tamen proprie dicitur ibi esse generatio nisi secundum quid, eo quod illud à quo est trāsmutatio est perfectum. Illud autē in quod trāsmutatur est imperfectum & quod corruptum, & præter intentionē naturæ. Vnde philosophus 8. *Metaph.* vocat mortuū corruptionē viui, sicut acetum corruptionē vini, quicquid igitur dissoluit harmoniā dispositionū accidentaliū debitam animæ siue sit calor innaturalis siue aliud agens extrinsecū illud est causa inductionis illi⁹ formę imperfectę & eadē facilitate qua harmonia illa debita animæ soluitur, & forma ista cū dispositionibus similibus

milibus inducitur. Prædicta autẽ harmonia sine alteratione præcedẽte non dissoluitur a-ctione alicuius agentis particularis, licet ipsa alteratio aliquando quidẽ sit lõga propter a-ctionis remissionem, aliquando breuis & qua-si momentanea propter actionis vehementiã vel violentiã, sicut accidit in subito occisis, in quibus modũ diuisionis alicuius partis princi-palis cõcomitatur motus alterationis circa oẽs corporis dispositiones, & in eodẽ instanti quo terminatur motus instrumẽti diuidẽtis terminat motus istius alterationis concomi-tantis, in quo anima separatur, & forma illa imperfecta inducitur cum dispositionibus il-lis ad quas terminatur illa pręcedẽs alteratio. Et illud contingit in amputatione & diuisio-ne capitis. Simile est quando vno ictu fulmi-nis vinum conuertitur in acetum, tũc.n. mo-tum illius ictus concomitatur vini alteratio, ita quod in eodem instanti terminatur ille i-ctus seu motus ille localis, & motus ipsius alte-rationis vini, vnde sicut vnus motus ipse ict᷒ est, & ita subitus, sic & alterationis motus ipsũ concomitans. Simili modo contingit cũ velo-ci & quasi subita diuisione corporis hominis, & motu alterationis illam diuisionem conco-mitantis in subito occisis.

Ad quintum dicendum, sicut tactum est supra, quod cõsanguinitas humanæ prolis ad parẽtes non attenditur penes hoc quod aliqua forma substantialis quę erat in patre transeat ab ipso in prolẽ, hoc enim est impossibile quod for-ma eadẽ quæ actu est in vna materia, migret, *Ad quintum.*

 vel

vel transeat in materiam aliam. Sed virtus in semine deciso adiuta per virtutem cœlestem, & maxime solis inducit dispositiones vltimas sine quibus anima nō vnitur materiæ immò in termino vltimo alterationis anima rationalis inducitur à Deo creata, hominis realiter constitutiua. Et ideo dicit philosophus quod homo generat hominem & sol, ergo homo qui generat eoipso dicitur pater, & qui generatur eoipso dicitur filius, & qui ab eodem geniti eoipso dicitur fratres, & sic de alijs cōsanguineis secundum gradus.

2. de generatione t. com. 56.

Ex his patet quod ratione generationis siue propagationis carnalis est nexus consanguinitatis in hominibus. Ad generationem vero in muliere spectat materiam dispositam ac præparatam exhibere, ad generationem vero in mare per virtutem actiuā in semine deciso illam materiam sic exhibitam à muliere quæ primo est sub forma substantiali imperfecta, vt puta sanguinis informati disponendo motu alterationis, donec (prout dictum est) in termino alterationis vltimæ inducantur dispositiones tales complet, cum quibus in materia inducatur anima rationalis à Deo creata. Hinc est quod omnes homines dicuntur fuisse in lumbis Adæ secundum rationem seminalē, quia sc. per virtutem seminis existētem in lumbis eius primo & per actionē eius aliorum ab ipso genitorum vsque ad vltimū lege concupiscentiæ in esse productum. Omnes alij à Christo sunt ab ipso Adam in esse producti. Sed corpus Christi non dici-

ratione generationis est nexus consanguinitatis.

Digitized by Google

dicitur fuisse in lumbis Adæ vel Abrahæ, secundum rationem seminalem, quia non fuit formatum per virtutem seminis, & tamen dicitur ibi fuisse secundum corpulentam substantiam, pro tanto quia beata virgo Maria quæ fuit ibi sicut alij secundum rationem seminalem exhibuit materiam, vnde per virtutem sanctispiritus formabatur supradicto modo corpus Christi, Igitur corpus Christi non fuit ibi secundum rationem seminalem, quia corpus Christi non fuit virtute seminis formatum, corpus tamen virginis, fuit formatum per virtutem seminis existentem in Adam & Abraham. Et quia ipsa sic producta exhibuit materiam vnde formabatur corpus Christi fuit in lumbis eorum virtualiter quo ad corpulentam substantiam, licet non secundum rationem seminalem, & ideo certe Christus mediante beata virgine & alijs à quibus ipse secundum rationem seminalem descendit, dicitur semen Abraham, secundum illud Apostoli. *In semine tuo, q. est Christus.* Ex his patet quod filij à parentibus nihil aliud debent habere nisi quod ab ipsis descendant modo prædicto per generationem, & illud non est contra positionem de vnitate formarum, immo pulcherrime saluatur secundum ipsam, vt patet ex dictis. *Ad Galat. 3. v. 16.*

Ad sextum dicendum, quod sicut dictum est supra quod Deus ratione suæ potentiæ infinitæ non indiget motu alterationis medio ad hoc quod producat suum effectum in esse, & ideo licet in productione humani corporis *Ad sext.*

 indigeat

indigeat natura particularis motu alterationis, immo multis alterationibus ad hoc quod tandem inducatur dispositiones illę quibus anima à Deo creata infunditur, deinde tamen in termino motus localis quo illi sanguines purissimi ad locum generationis sunt delati sine aliquo alterationis motu successiuo medio, potuit inducere & inducit perfectas dispositiones cum quibus anima illa beatā ab ipsomet Deo eodem instanti creata corpori Christi infundebatur donec eidem totum ordinem esse perfecti, quod scilicet sit ens, & quod sit corpus, & quod sit corpus animatum anima humanæ naturæ, sic ineffabiliter productæ in ipso instanti eodem vniebatur filius Dei in vnitate personæ communicans, scilicet suam substantiam eidem, vt sic sit vna persona verbi Dei subsistens in duplici natura humana, scilicet & diuina, ipsi soli Deo honor & gloria, per infinita sæculorum sæcula.

ARTICVLVS XXXIII.

An memoria sit in parte intellectiua vel sensitiua.

S. Thom. *q.79. art.*6. in responsione principali dicit, *quod si memoria accipiatur solum pro vi conseruatiua specierum, oportet dicere memoriam in parte intellectiua esse. Si vero de ratione memoria sit quod obiectum, eius sit præteritum vt præteritum, sic memoria non est in parte intellectiua sed in sensitiua tantum, quæ est apprahensiua particularium, præteritum enim vt præteritum, cum significet sub determinato tempore ad conditionem particularem pertinet.*

Ex

CORRVPTORIVM.

EX hac positione necessario sequitur error, scilicet quod Angeli non habeant memoriam præteriti, & per consequens nec certam cognitionem, quod videtur erroneum & in præiudicium eorum & nimirū quorum habent custodiam, & ideo dicendum est, siue memoria accipiatur pro potentia intellectiua specierum conseruatiua, siue pro actu memorandi præteriti vt præteriti, non solum est memoria in sensitiua, tunc enim non esset in Angelis in quibus non est aliqua vis sensitiua. Quod autem Angelus non tantum habeat memoriam intellectiuam, sed etiam præteriti vt præteritum est patet Thob. 5. vbi dicit Raphael Angelus. *Noui viam quæ ducit in Rages ciuitatem medorum, & omnia itinera eius frequenter ambulaui & mansi apud Gabelum.* Et in eodem. 12. *Quando orabas scilicet cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, &c. ego obtuli orationem tuam domino.* Et Dan. 10. dicit. *Angelus princeps regni persarum restitit mihi viginti vno diebus.* Ex quo patet quod memoria siue accipiatur pro vi conseruatiua specierum siue pro actu memorandi præteritum, debet poni non solum in parte sensitiua, sed etiam in parte intellectiua. Tob. 5. Tob. 12. Dan. 10.

Ad illud quod pro ratione insinuat, scilicet quod appræhensiua sensitiua est particularium sub hic & nūc, & tale est præteritū vt præteritum, Dicendū quod nō solū sensitiua copræhendit particularia sub hic & nunc, sed etiam intellectus & recordatio, nec differt intellectus à sēsu

in hoc

in hoc quod sensus apprehendit singularia, intellectus vero vniuersalia abstracta, sed in hoc differunt quod sensus appræhendit singularia sola, intellectus autem vniuersalia nō sola, sed etiam particularia, alias Angelus & anima non appræhenderent Christum cū sit quoddam singulare, & ipsi non habeant potentiam sensitiuam, cuius contrarium habetur *Ioan.17. Hæc est enim vita æterna vt cognoscant te.* Item ex hac positione sequeretur quod animæ iam beatæ non haberent memoriam passionis Christi, nec essent memores aliorum beneficiorum particularium iam præteritorum & peccatorum suorum, & ita non essent gratæ Deo in reddendo ei gratias pro remissione peccatorum & exhibitione beneficiorum, quod est plane erroneum.

Si autem opponatur quod philosophus non ponit nisi memoriam sensitiuam, *vt in li. de memoria & reminiscentia* dicit, loquens de memoria quod est per se & primo sensitiuā, intellectus autem per accidens, ratio supponit falsum, quia philosophus *in magnorum moralium, c.19.* dicit memoriam in vi rationem habente.

Præterea S. Augustinus plane ponit memoriam intellectiuam, 10. *de Trinitate, c.13. & 15. & lib. 7. c.21. & 23.*

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM *S. Thomam.*

EX dictis supra art. 2. qualiter intellectus noster singularia cognoscit, & qualiter non

Digitized by Google

non satis euidenter patet responsio ad omnia hæc quæ obijciuntur, si simul cum hoc attendamus quod aliter Angelus & aliter intellectus noster cognoscit ista singularia materialia. Angelus enim cognoscit ea directe sicut sunt per species innatas, quæ repræsentant rem omnino sicut est in se, intellectus noster intelligit directe vniuersalia à conditionibus materialibus abstracta, sicut patet per philosophum & Commentatorem vbique. Singularia autem cognoscit indirecte per conuersionem vel reflexionem ad phantasmata, propter quod si in parte intellectiua nobis non sit ponenda memoria vt respicit præteritum vt præteritum, sicut S. Thomas dicit hic, eo quod intellectus noster abstrahit ab huiusmodi conditionibus, nec cognoscit huiusmodi nisi indirecte modo prædicto, non ideo sequitur quod Angelus non possit præteritum cognoscere vt præteritum, cum ipse alio modo appræhendat per speciem, scilicet quæ rem repræsentat directe sicuti est per omnia. Vnde obiectio ista cui principaliter innituntur vana est & risu digna.

Et quod dicunt respondendo ad rationem S. Thomæ, nulli dubium quin sit falsum, & manifeste contra philosophum. Commentatorem, & Boetium, qui ait singulare dum sentitur, vniuersale dum intelligitur. Hæc manifesta sunt ex dictis, supra art, 2. *primo post.*

Ad illud, quod si in parte intellectiua non esset memoria præteriti vt præteritum, tunc animæ beatæ non haberent passionis Christi & alio-

& aliorum beneficiorum præteritorum memoriam. Dicendum quod animæ separatæ beatæ in verbo vident res non solum abstractas, sed sub omni conditione quam habent & habituræ sunt vel prius habuerunt in rerum natura. Vnde obiectio illa nulla est, Loquendo tamen de naturali cognitione animæ separatæ quæ communis est beatis & non beatis, Dicendum quod modus intelligendi in animabus separatis est per influentiam specierũ à Deo, & secundum istum modum habet intellectus ipsa singularia, sicuti sunt cognoscere. Sicut enim Deus ipse per suam essentiam inquantum est causa vniuersalium & indiuiduantiũ principiorum cognoscit vniuersalia & singularia, ita substãtiæ separatę per species impressas quæ sunt quædã participatæ similitudines illius diuinæ essentiæ possunt vniuersalia & singularia cognoscere. Hæc tamen est differentia inter Angelos & animas separatas, quod Angeli huiusmodi species propter efficaciam sui intellectus non solum naturas in speciali cognoscere possunt, sed etiam conditiones indiuiduales quascunque in eisdem, animæ vero separatæ quarum naturalis cognitio est imperfectior & confusior secundum modum naturæ suæ nõ possunt per huiusmodi species cognoscere nisi illarum rerum conditiones indiuiduales, ad quas cognoscendas quodammodo determinantur, vel per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per habitudinem naturalem vel diuinam ordinationem, quia omne quod

differentia quæ fit inter Angelos & animas.

recipitur

Digitized by Google

recipitur in aliquo detinetur in eodem per modum recipientis. Ista est doctrina S. Thomæ vbi docet qualiter anima separata cognoscat singularia *parte prima, q.89. art.4.* ex quibus patet qualiter soluuntur omnia obiecta istorum.

Qui vero tandem dicunt S. Augustinum & philosophum posuisse memoriam in vi rationem habente siue intellectum. Dicendum quod habet intelligi de memoria prout sumitur pro vi specierum intelligibilium conseruatiua, vel inquantum intellectus potest cognoscere huiusmodi præterita vt præterita indirecte conuertendo se ad phantasmata.

ARTICVLVS XXXIV.

S. Thom. *q.82. art 3.* in responsione principali dicit, *quod intellectus & voluntas si considerentur secundum se, sic intellectus est eminentior, secundum quid autem & in comparatione ad alterum, voluntas inuenitur interdum altior quam intellectus, eo quod obiectum voluntatis in altiori inuenitur quam obiectum intellectus.*

Quomodo intellectus sit eminentior & inferior.

CORRVPTORIVM.

HOc videtur nobis falsum, & antecedens ad multa falsa, licet non videatur directe cõtrariũ fidei vel bonis morib⁹.

Dices

Dicit enim Anselmus *in libro de conceptu virginali & originali peccato, cap.* 4. *Si de actionibus voluntarijs quæ iniustè sunt arguantur membra & sensus corporis quibus fiunt, respondere possunt. Deus subiecit nos, & potestatẽ quæ in nobis est voluntati vt ad eius imperium non possumus non moueri & facere quod ipsa vult, & ita non possumus nec debemus non obedire domina quam nobis dedit Deus.* Et infra sequenti *cap. Voluntas cui subditi sunt omnes voluntarij motus totius hominis.* Hæc auctoritas

2. attribuit dominium voluntati, & non rationi. Item melioris & superioris est vti deterioribus & inferioribus. Hoc videmus ad sensum: in quibus naturalis & debitus ordo

cap. 3. seruatur. Et Commentator 6. *ethi.* super illud. *Postquam ergo dictum est duas esse partes*, &c. *Qualiter* inquit *deterius meliori vtetur.* Sed voluntas vtitur ratione & cæteris potentijs animæ vel enim est assumere aliquid in facultatem voluntatis secundum Augustinum 10. *de Trinitate cap.* 10. ergo voluntas est superior intellectu & cæteris potentijs animæ.

3. Item illud est melius cuius perfectio est

Ethi. melior sicut dicit Commen. *in fine prologi.* 6. *ethicorum Qualiter* inquit *non est melior melioris virtus & perfectio.* Sed charitas quæ est perfectio voluntatis est optima virtus & perfectio:

S. Aug. sicut dicit S. Augustinus *de Trinit. libr.* 11. *cap.* 17. *& cap.* 18. *Dilectio* inquit *Dei diffusa est in cordibus nostris*, &c. Nullum est igitur isto dono excellentius, quod solum diuidit inter filios regni & filios perditionis.

Præterea

Digitized by Google

Præterea, philosophus dicit primo topicorum. 4.
De magno bono & magis conferente melius est quod cap. 8.
omnes eligunt quam quod non omnes, & quod plures quam quod pauciores. Sed bonum omnia appetũt, vt ipse dicit *in eodem cap. & 3. topicorum, & 1. eth.* sed non omnia appetunt verum per se loquendo, sed sola rationalia, ergo bonum melius est quam verum; ergo est obiectum melioris potentiæ. c. primo c. 8. c. 1.

Item meliori obiecto respondet nobilior potentia vt videtur; & dicit S. Augustinus *in quadam epistola ad Nebridium.* scilicet *quod mens atque intelligentia oculis atque vulgari aspectu meliores sunt*, quod non esset ita nisi meliora essent illa quæ intelligimus quam illa quæ discernimus, sed si discernimus verum à bono, secundum quod per rationem separata sunt, videtur bonum melius esse quam verum, & per consequens nobilius, ergo bonum secundum quod bonum est obiectum melioris potentiæ quam verum secundum quam verum. Et ita voluntas erit nobilior intellectu, probatio assumptæ bonum secundum quod bonum est bonum per se, verum autem secundum quod verum non est bonum nisi per bonum, sed illud est melius quod est bonum per se quam illud quod est bonum per aliud, ergo bonum est melius vero. 5.

Item quando multi conueniunt & cooperantur sibi in præparatione alicuius maleficij, illæ cui magis imputatur reputatur magis principalis & econuerso, vnde & principalius trahitur in causam, sed omne peccatum re- 6.

Digitized by Google

putatur, vel imputatur maxime voluntati, ergo voluntas est principalior in peccato quam intellectus. Verbi gratia. Incredulitas siue perfidia magis imputatur voluntati quam intellectui. Ioan. 13. *propterea non poterant credere.* quia dicit verum *Et dicit S. Augustinus & Chrysost. Non poterant*, id est, *non volebant, S. Chrysost.* homelia, 68. *& S. Augustinus homelia, 51. Si a me quæratur, quare non poterant? Respondeo, quia nolebant.*

S. Aug. S. Chrys.

Ratio autem quam S. Tho. ponit ad confirmationem suæ opinionis est talis. Obiectū intellectus est simplicius & magis absolutum quam obiectum voluntatis, quia ratio boni est obiectum intellectus, & ipsum bonū appetibile est obiectum voluntatis & ratio boni simplicius quid est quam ipsum bonum, & nos dicimus interimentes hanc, obiectum intellectus est simplicius quam obiectum volūtatis, quia ratio boni est obiectum intellectus & ipsum bonum appetibile est obiectum voluntatis. Dico quod ita bene & magis per se est ratio boni obiectum voluntatis, quam ipsum appetibile, cuius contrarium ipse supponit, & hoc patet sic, constat enim quod essentia boni quam ipse vocat rationem boni, verius & essentialius est ipsi bono quam quicquid nō est essentia boni, essentia enim vniuscuiusque rei est illud quod per se & primo signatur per nomen rei, si ergo essentia boni est ipsa ratio boni verissime, est ipsum bonū verissime, & illud quod est verissime bonum est verissime obiectum voluntatis. Sequitur ergo necessa-

necessario quod essentia boni hoc est ratio boni verissime & primo & per se sit obiectum voluntatis ; cuius contrarium ipsum supponit.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

ISTI si solutionem istius quæstionis & proxime sequentis inspectam bono oculo intellexissent, nunquam istam positionē falsā & ad multa falsa antecedentem asseruissent. Verba ergo S. Thomæ in supradictis duabus quæstionibus inspiciantur, & omnia ista quæ obijciunt nullius momenti apparebunt.

Ad primum ergo prout ipse docet ibidem, sic dicendum: Aliquid mouere dicitur dupliciter: Vno modo vt finis, sicut finis mouet efficientem, & hoc modo intellectus mouet voluntatem ; quia bonum intellectus est obiectum voluntatis, & mouet ipsum vt finis. Alio modo dicitur aliquid mouere per modum agentis, sicut alterans mouet alteratum & impellens impulsum, & hoc modo mouet voluntas intellectum & alias omnes vires animæ prout dicit Anselmus ; ergo sicut voluntas est quo ad quid nobilior, quia mouet, ita quo ad aliquid est minus nobilis inquantum mouetur; sed simpliciter loquendo ratione obiecti magis absoluti est intellectus nobilior prout dicit S. Thomas. *Ad 1.* *dupliciter aliquid mouetur per videlicet vt finis & vt agēs.*

Ad secundum etiam dicendum, prout docet ipse S. Th. vbi supra quod intellectus pot dupli- *Ad 2.*

citer considerari, vno modo secundum quod est apprehensiuus entis & veri vniuersalis: Alio modo secundum quod est quædam particularis potentia habens actum determinatũ. Et similiter voluntas dupliciter considerari potest. Vno modo secundum communitatem sui obiecti, prout est appetitiua boni communis. Alio modo secundum quod est quædam potentia determinata habens actum determinatum. Si ergo intellectus & voluntas comparentur adinuicem secundum rationem cõmunitatis obiecti vtriusque, sic intellectus simpliciter est altior & nobilior voluntate, quia simpliciter loquendo ratio boni intellecta quæ est obiectum intellectus est quid simplicius & absolutius, atque abstractius, vtpote habẽs esse in ipso intellectu bono communi quod est obiectum voluntatis secundum esse quod habet in re extra. Verum enim & falsum quæ sunt obiectum intellectus sunt in anima. Sed bonum & malum quæ sunt obiectum voluntatis sunt in re extra. Interdum tamen contingit quod bonum secundum esse quod habet in se est simplicius quam ratio eiusdem boni intellecti quæ habet esse in intellectu, tale bonum vtique est Deus, & respectu huius obiecti (prout docet S. Thom.) vel probat quod voluntas sit nobilior intellectu, vniuersaliter tamen & simpliciter loquendo, intellectus sub ista consideratione debet nobilior dici vt dictum est. Si autem consideretur intellectus secundum communitatem sui obiecti, & voluntas secundum quod est quędam determi-

Voluntas & intellectus dupliciter consideratur.

Bonum & malum sunt obiectum voluntatis.

determinata potentia, sic iterum intellectus est nobilior & altior vtpote compræhendens sub communitate sui obiecti, scilicet entis & veri & vniuersalis ipsam voluntatẽ & actum eius & obiectum sicut alia intelligibilia specialia, vt lapidem, lignũ & huiusmodi quæ continentur sub ratione entis & veri. Si autẽ consideretur voluntas secundũ communem rationẽ sui obiecti quod est bonũ in communi, & intellectus vt est quædam res, & potentia specialis, sic sub isto obiecto voluntatis continetur intellectus & eius actus quod est intelligere, & eius obiectum quod est verũ, sicut alia bona specialia, & secundũ hoc est ipsa voluntas altior & nobilior, & secundũ hoc vtitur ipso intellectu & actu eius & obiecto eius sicut alijs bonis particularibus, amando sc. ipsa propter Deũ qui est fons & origo omniũ bonorũ. Sub ista igitur cõsideratione qua voluntas dicitur vtens dicitur & nobilior, alia tamen consideratione & simpliciter loquendo intellectus est superior, vt patet ex dictis.

Iterum dicendum (sicut dicit S. Thomas & tactum est supra) quod in comparatione ad obiectum aliquod quod est nobilius, cuiusmodi est Deus, in quem principaliter inclinat charitas, nihil prohibet, immo necesse est ponere quod voluntas sit sublimior propter rationem prædictam nihilominus simpliciter loquendo, vt dictum est intellectus debet dici nobilior. *Ad 3.*

Ad quartum dicendum, quod proprie loquendo comparatio non est accipienda nisi inter *Ad 4.*

Digitized by Google

aliqua duo diuersa quæ sunt eiusdem rationis. Verbi gratia, Si hoc debeat dici illo albius, necesse est quod albedo vtrique conueniat secundum eandem rationem. Nunc autem bonum & verum conuertuntur & sunt idem secundum rem, sed differunt solum secundum rationem. Vnde ista comparatio nulla est qua dicitur bonum melius vero, quoniam idipsum est cui conuenit bonitas sub ratione vna, & veritas sub ratione altera.

Verum & bonum dupliciter cōsideratur.

Notandum est etiam quod dicit S. Thomas vbi supra, quod sicut intellectus & voluntas possunt dupliciter considerari: sic verum & bonum. Si enim verum consideretur in sua communitate, bonum continetur sub ipso vero, inquantum ipsum bonum est quoddam speciale verum intellectus. Similiter si consideretur bonum in sua communitate, verum continetur sub bono inquantum verum est quoddam speciale bonum. Ex his apparet, quod hæ potentiæ suis actibus se includunt cum obiectum vnius sub ratione vna includat infra obiectum alterius sub ratione altera, & econuerso, vt ex dictis patet, & est satis pulchra doctrina.

Ad 5.

Ad quintum dicendum sicut ad quartum, quod inter bonum & verum, cum sint idem re & differant sola ratione, nulla est comparatio in bonitate, sed inter duo diuersa prout in diuerso gradu rationem bonitatis participant bene cadit comparatio. Et cum dicunt quod

bonum

Digitized by Google

bonum est bonum per se, & verum est bonum non nisi per bonum, & ita est bonum per aliud.

Dicendum quod idem est quod est verum, & quod est bonum, & eadem res realiter habet entitatem, veritatem & bonitaté. Qualis enim est dispositio vniuscuiusque in entitate, talis est eiusdem dispositio in veritate secundum philosophum & etiam in bonitate, non igitur per aliud sed sub alia ratione dicitur aliquid verum & bonum. *6. meth. com. 8. & alibi.*

Ad sextum patet responsio ex supradictis. Volútas enim ea ratione qua mouet vt agens, altior est intellectu, & sub hac ratione principaliter asscribitur sibi fructus vel defectus. meritum demeritum est consequens, & tamen vel motum simpliciter ipse intellectus sublimior. *Ad sextum.*

Quod vero dicunt septimo, respondendo ad rationem S. Thomæ, quod ipse vocat rationem boni essentiam boni, ex falso intellectu eorum procedit: Ratio enim rei in intellectu non est idem penitus cum ipsa re, quamuis sit expressa eius similitudo. Ratio igitur boni vel alterius cuiusque intellecti est eius diffinitio ab intellectu cognoscente rem ipsam formatam in ipso intellectu esse habens, & differt ab essentia rei sub esse quod habet in se. *Nec est dicendum*, quod ratio boni in intellectu est ipsa essentia boni simpliciter, nisi sit sermo de illius boni essentia ac ratione intellecta cui idem est esse simpliciter & à seipso intelligi, cuiusmodi est Deus, *Ad septimum.*

propter quod ipsa ratio Dei à Deo intellecta siue similitudo Dei quæ est imago ac verbum eius, est verus Deus, cui est honor & gloria per infinita sæculorum sæcula.

ARTICVLVS XXXV.

S.Th. 85. art. 7. Corpus melius dispositum meliorem animam sortitur.

S. THOMAS *q.* 85. *artic.* 7. in responsione principali dicit, *quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam, & loquitur de anima intellectiua, vt patet ibidem. Cuius ratio est, quia forma recipitur in materia secundum capacitatem materiæ vnde cum in hominibus qui habent corpus nobilius sit materia capacior, nobiliorem sortiuntur animam & maioris virtutis in intelligendo.*

CORRVPTORIVM.

CREDIMVS quod loquatur de meliori dispositione secundum corporis complexionem, non secundum robur & velocitatem pulchritudinem vel magnitudinem, quasi velit dicere corpus melius complexionatum meliorem sortiri animam & aptiorem ad actiones intellectuales & morales, & putamus quod hoc & bene & male possit intelligi, & dicimus quod in animabus humanis secundum se & à creatione sua est differentia quantum ad habilitates

tes

Digitized by Google

tes partes appræhensiuæ & motiuæ siue quantum ad mores. Dicit enim magister *libro 2. sen. dis. 32. pluribus* inquit, *non irrationabiliter videtur, quod ex ipsa creatione aliquæ animæ alias excellant in naturalibus donis vt in essentia, alia alijs sit subtilior & ad intelligendum habilior, quod nõ improbabiliter dicitur, cùm etiam in Angelis constet ita fuisse*, & hoc quod dicit magister est sententia Hugonis *lib. 3. sententiarum, cap. 29.* Huic sententiæ attestari videtur Commentator *super illud primi de anima, & illi quanda quarunt loqui, membra autem leonis non differunt à mẽbris cerui, nisi quia anima differt ab anima. Hoc etiam manifestum est in indiuiduis eiusdem speciei, & ideo diuersi sunt mores.* His verbis insinuat Cõmentator quod diuersitas membrorum in animalibus diuersarum specierum & eiusdem speciei etiam causatur à diuersitate animæ. Magister 2. d. 32. tom. 2.

Item dicimus, quod animæ humanæ diuersificantur in moribus & in alijs habilitatibus penes diuersam cõplexionem corporis. Hinc est quod philosophus dicit *libro secundo de anima. Duros carne ineptos mẽte, & molles carne aptos mente dicimus.* Hinc etiam dicit *libro de problematibus, quod infirmi secundũ mores sũt, qui cunque in superabundantijs caloris & frigoris existunt.* Sic igitur patet quod habilitates & mores animæ humanæ habent causam, tum ex complexione corporis, tum ex natura eius. Cum ergo dicit. *Quanto corpus est melius tanto meliorem sortitur animam*, si intelligat de melioribus habilitatibus & moribus animæ quatenus causam habent ex complexione corpo- Tex. 9.

 ris

Digitized by Google

ris credimus quod verum dicat. Si autem intendat dicere, quod solum ex meliori complexione sit in animabus humanis melior aptitudo ad mores & operationes intellectuales, credimus quod falsum est.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

DE ista credulitate quam proponunt nõ est multum curandũ. Certum est enim si istud dictũ S. Th. recte intelligatur habent veritatem. Non videtur enim quod duæ formæ eiusdem speciei habent vnde in aliquo gradu differunt nisi per materiam, & per consequens penes meliores vel peiores dispositiones. Si enim ex parte formarum in se consideratarum esset diuersitas secundum gradum aliquem, iam nõ essent eiusdem speciei, sed differrẽt inter se formaliter, & essent per consequens diuersarum specierum.

Quod ergo dicit magister *sen. & Hugo*, habet intelligi de gradu subtilitatis quem habẽt animæ humanæ ex diuersa dispositione materiæ.

3. de anima t. com. 5. *Dictum vero Commentatoris* non potest attestari sententiæ istorum ponẽtium intellectus humanos habere gradũ naturæ alium ab illo, quem habent propter diuersam materiæ dispositionem. Ipse enim ponit licet falso, quod intellectus vnus numero est in omnibus hominibus, & per consequens nullam posuit differentiam in gradu naturæ.

Quia

Digitized by Google

Quia vero ponit diuersitatem morum, in indiuiduis eiusdem speciei non concludit quod ponit istam diuersitatem prouenire ex hoc quod formæ eorum in specie conueniunt ratione sui in gradu naturæ differant. Hoc enim est impossibile & contra philosophum manifeste. Videmus enim (prout docet philosophus) quod formæ quæ differunt secundũ gradum naturæ necessario differunt specie, sicut enim vnitas addita numero constituit nouam speciem aliam à præcedente, sic gradus naturæ in formis substantialibus si est diuersus ad diuersam speciem pertinet secundũ philosophum, non plus pro ista horum credulitate dicere oportet, nisi quod non intelligunt quæ loquũtur, neq; de quibus affirmãt.

Articvlvs XXXVI.

Sanct. Th. *q.* 89. *artic.* 1. in responsione *ad tertium dicit*, quod *anima separata intelligit nõ solum per species cõseruatas, sed per species influentia diuini luminis participatas, quarum anima fit particeps sicut & alia substantia separata quamuis inferiori modo. Vnde tam cito cessante conuersione ad corpus ad superiora conuertitur, nec tamen propter hoc hac participatio non est naturalis, quia Deus est auctor, non solum influentia gratuiti luminis sed etiam naturalis.* Simile habetur *eadem q. art.* 3. in responsione principali, *& quæstione eadem in responsione principali, art.* 4. S. Th. q. 89 *art.* 1. *Anima fit particeps luminis diuini qua & intelligit.*

COR-

CORRVPTORIVM.

Videtur nobis quod istud est falsum & occasio erroris. Ex hoc enim sequitur quod animæ separatæ non vere patiantur ab igne infernali, quia per eandem speciē caloris ignis sentitur caliditas ignis, & affligitur sentiens si sit calor excellens, & vniuersaliter per eandem speciē sensibilis fit cognitio & læsio sentientis quando sensibile excellit, ergo si animæ separatæ nihil cognoscunt per species receptas, ergo animæ damnatorum nihil patiuntur ab igne infernali, nec etiam dæmones. Frustra ergo in illum mittuntur & in illo detinentur, & frustra præparatus est. De qua præparatione & missione Matth. 25.

Matt. 25.

2. *Iterum*, huiusmodi influentia specierum à diuino lumine, nullo modo fieret in animas damnatas, quæ omni gratia sunt indignæ & quæ mittuntur in tenebras exteriores. Si vero est naturalis vt ipse insinuat, per hoc enim quod anima auertitur à corpore, conuertitur ad superiora vt ipse dicit, si propter hoc est naturalis, tunc animabus contemplatijs in raptu, quãdo anima auertitur totaliter à corpore, & conuertitur ad superiora: deberent huiusmodi influxus specierum vel omnium, vel saltem aliquarum fieri, vel distincte vel saltem confuse. Constat autem quod non fit istis nec sic nec sic, ergo nec illis.

3. *Præterea*. Si animæ separatæ cognoscerent solum per species sibi inditas in separatione, ergo ad cognoscendum ea quæ aguntur apud

Digitized by Google

viuos procul positos ab eis, non esset necesse aliquam vel aliquas ipsarum mitti ad ipsos viuos, quorum vtrumque ponit S. Augustinus *in libro de cura pro mortuis agenda*, dicens. *Fatendum est nescire mortuos quid hic agatur. Sed quid agitur hic, possunt scire ab his, qui ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quæ indicare sinuntur audire. Possunt etiam ab Angelis (qui rebus* quæ hic *aguntur præsentes sunt) audire aliqui mortui quid vnusquisque eorum debeat audire iudicat cui subiecta sunt cuncta; & ita mitti ad viuos aliquos ex mortuis, sicut econtrario: Paulus ex viuis in paradisum raptus est diuina scriptura testatur.* *S. August.*

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

SI ea quæ dicta sunt, *sup. art. 33.* attendātur illa obiecta facillime soluuntur. *art. 33.*

Primum tamen quod obijciunt, soluitur per hoc quod dictum est, supra in responsione de loco pœnali dæmonum, vbi declaratur qualiter animæ separatæ & dæmones puniūtur igne infernali, non per hoc quod aliquid ipsis immittatur ab eodem, sed per hoc quod dæmones quidem per speciem illius ignis sibi innatam, & animæ separatæ per speciem eiusdem sibi in sui separatione infusam cognoscunt siue appræhendunt se esse in loco illo vel fore æternaliter contra suam voluntatem, super quo verissime & summe affliguntur propter loci illius deformitatem naturæ intellectuali minime conuenientem, sicut patuit supra *artic. 26.* *Ad 1.*

Ad

2. *Ad secundum dicendum*, quod ista influentia siue participatio specierum est naturalis, sicut dicit S. Thomas, nec sequitur quod huiusmodi influxus specierum fiat animabus contemplatiuorum in raptu, quamdiu sunt vnitæ necdum separatæ à corporibus, quia substantiæ immateriales actu separatæ participant huiusmodi specierum influentiam & non aliæ sicut docet S. Thom. vnde ista obiectio non concludit.

3. *Ad 3. prout tactum est*, patet per hoc quod dicitur supra in responsione *art.33.* videlicet quia cognitio naturalis animæ separatæ est imperfectior & confusior secundum conditionem suæ naturæ quam cognitio naturalis Angeli, non possunt animæ separatæ cognoscere determinate, nisi illarum rerum conditiones indiuiduales, ad quas cognoscendas quodammodo determinantur vel per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per naturalem vel diuinam ordinationem, potest igitur cognitio animæ separatæ determinari ad cognoscendum determinate quæ circa nos sunt, secundum quod placet Deo ordinanti, siue mediantibus illis qui ad illos moriendo pergunt, siue mediantibus Angelis sicut dicit S. Augustinus. Nec tamen sequitur ex hoc quod animæ separatæ prius recipiant aliquam speciem ab animabus ad se per mortem venientibus, vel etiam ab ipsis Angelis, sed per locutionem intellectualiter secũdum Dei ordinationem sibi factam ab eisdem determinatur eorum cognitio, vt

species

Digitized by Google

species illa infusa siue participata ab ipso Deo sit in ratione principij perfecte repræsentãtis conditiones indiuiduales eorum quæ hic fiũt, sicut contingit quod vnus Angelus ducitur in actualem cognitionem alicuius rei per locutionem alterius. Non enim hoc fit per speciei alicuius impressionem de nouo; sed per hoc quod vnus Angelus mediante conceptu alterius sibi ostenso per locutionem illam intellectualem ordinatur ad cognoscendũ aliquid mediãte specie à principio suæ creationis sibi innata, quod prius actu non cognoscebat per eandem, & istud patebit infra cum erit sermo *de Angelorum locutione.*

ARTICVLVS XXXVII.

SANCT. Th. *q.* 89. *art.* 2. in responsione principali dicit, quod *anima separata seipsam per seipsam cognoscit.* *S. Th. ibi. art. 2. Animam seipsam per seipsã cognoscit.*

CORRVPTORIVM.

HOc non videtur repræhendendum tãquam fidei & bonis moribus contrariũ sed alias videtur nobis falsum. Dicit enim Anselm. *monol. c.* 23. *Nulla negari ratione potest; cum mens rationalis seipsam cogitando intelligit imaginem ipsius in sua nasci cognitione.* 1.

Præterea. Commentator *supra illud 3. de anima, & etiam intelligit se sicut alia. dubitauit Aristot. de intellectu materiali vtrum intellectiuum est ex eo quod est ipse intellectus aut aliquo alio modo.* Et infra parũ incipit determinare, *quod est intel-* 2. *com. 2.*

Digitized by Google

intellectiuum per intentionem in eo sicut alia rei intellecta. Hæc sunt verba Commentatoris.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S.Thomam.

QValiter autem anima intellectiua corpori vnita intelligat se per speciem sui obiecti secundum sentétiam philosophi & Commentatoris sui, patet supra in responsione *artic.* 1. Anima vero separata sicut habet consimilem modum essendi cum alijs separatis, ita habet cõsimilem modum intelligendi. Vnde sicut essentia huiusmodi substantiarum cum sit simplex forma & penitus immaterialis, & sit sufficiens ratio ac principium intelligendi seipsam à proprio intellectu, sic essentia animæ separatæ est sufficiens ratio ac principium quod seipsam per semetipsam intelligat.

Ad 1. *Ad primum ergo dictum est supra in responsione articuli primi.* Illa enim imago de qua loquitur Anselmus, non est ratio seu principium intelligendi, sed potius se tenet ex parte obiecti intellecti, cum sit secundum Anselmum ipsa cogitatio formata, & ipsa ratio rei intellecta, & intellectu cognoscente expressa, vt patuit supra.

Ad 2. *Ad secundum similiter est responsum supra ibidem.* Non enim intendit philosophus vel Cómentator quod intellectus intelligat seipsum per speciem propriam à se genitam, sed per speciem sui obiecti vt patuit ibidem.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS XXXVIII.

SANCT. Tho. q.89. art.7. vbi quæritur, an distantia localis impediat cognitionem animę separatæ in responsione principali dicit. *Quidam posuerunt quod anima separata cognosceret singularia abstrahendo à sensibilibus, sed abstractio specierum à sensibilibus fit mediantibus sensibus & alijs sensitiuis potentijs quæ in animo separata non manent. Intelligit autem anima separata singularia per influxum à diuino lumine, quod quidem lumen æqualiter se habet ad propinquum & distans. Vnde distantia localis nullo modo impedit cognitionem animæ separatæ.* *S. Thom. art.7.* *Vtrum animæ separatæ impediantur in cognitione propter locum distantiam.*

CORRVPTORIVM.

ISta positio tria falsa continere videtur vel dubia.

Primum est, quod anima separata nõ intelligit per abstractionem vel perceptionem à sensibus, quia in anima separata manent potentiæ sensitiuæ.

Secundum est, quod anima separata cognoscit singularia per influxum à diuino lumine.

Tertium est, quia diuinum lumen æqualiter se habet ad propinquum & distans, propter hoc distantia localis nullo modo impedit cognitionem animæ separatæ.

Primum videtur nobis falsum, sic enim nihil pateretur à sensibilibus per receptioné, quia

vt ostensum est (per easdem species habet fieri sensitiua cognitio, cùm sensibilia proportionabiliter se habent ad sensũ, & sensibilis læsio cũ excellit sensum, & sic sequeretur quod nec animæ mediocriter bonorum aliquam pœnã sentirent ab igne purgatorij, cuius contrariũ omnes ponũt. Nec animæ valde malorum ab igne & aqua in inferno, cuius contrarium ponit fides *Luca* 16. vbi dicit saluator quod diues epulo contra cruciatum flammæ petijt guttã aquæ. Et Iob. 34. de reprobo dicitur. *Ab aquis niuium transient ad calorem nimium.*

2\. *Contra secundum*, de cognitione per influxũ specierum à diuino lumine: dictum est parũ supra, require ibi.

3\. *Secundum videtur esse falsum*, & contra S. Augustinum *libro de cura pro mortuis agenda.* Si enim localis propinquitas & distantia nihil operarentur ad cognitionem animæ separatæ nihil prodesset aliquos ex mortuis mitti ad viuos, ad cognoscendum ea quæ geruntur apud viuos, & ad denuntiandũ ipsis qui remanent in sedibus suis, cuius contrarium ponit S. Augustinus.

4\. *Præterea*, si distantia localis in nullo impediret cognitionem animæ separatæ & constat quod impedit cognitionem animæ vnitæ in quocunque statu & naturæ lapsæ & reparatæ post resurrectionem tunc perfectiorem cognitionem de rebus haberet anima separata quæ est in statu & dispositione non naturali, scilicet separationis à corpore quam anima vnita quando, scilicet est in statu & dispositione

tione naturali vnionis cum corpore, hoc autẽ est impossibile.

Præterea, si propter hoc quod lumen diuinum à quo influunt species æqualiter se habent ad propinquum & distans, distantia localis in nullo impediret cognitionem animæ separatæ tunc anima separata ita, æqualiter cognosceret futura sicut præsentia, quod falsum est. Dicit enim Ioannes Damas. *li.2.c.4. Futura quidem nec Angeli nec Dæmones nouerunt, multo minus anima separata.* 5. Damas.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. THOMAM.

SVpposito quod anima separata intelligat per species infusas: vt supra dictũ est, *art.* 36. Manifestum est quod distantia localis non poterit animæ separatæ cognitionem in aliquo impedire. Habens enim speciem intellectualem alicuius rei eam intelligit localiter præsentem vel distantem, alioquin nõ esset verum quod ait philosophus. *Intelligimus cum volumus*. Habẽtes igitur species rerum sibi infusas poterũt animæ separatę cognoscere omnia quorum sunt species illæ siue propinqua sint localiter, siue distantia, ita quod dictę species determinantur modo supra dicto in responsione *art.* 36. Nullum ergo falsum tenetur ista responsione S. Thomæ. *3. de anima. t.com.* 153.

Quod enim in primis dicunt esse falsum, scilicet quod anima separata non cognoscit res per abstractionem à sensibilibus salua pace eorum non debet dici falsum, quia abstractio non fit nisi mediantibus potentijs sensi- *Ad 1.*

tiuiss, prout docet S. Thom. *Et quod obijciunt* cõtra hoc de anima separata quæ ab igne sentit, ex falso intellectu procedit, ac si natura intellectualis separata immutaretur ab igne ad modũ sensitiuæ virtutis, quod falsum est, immo per hoc dicitur ignem sentire & ab eodem pati, quia cognoscit seu appræhendit se alligari (vt ita loquar) vel deputari tali loco contra suam voluntatem æternaliter, quod in veram & maximam pœnam sibi cedit, quia est maxime contra voluntatem, & hæc est pœna intellectualis naturæ separatæ siue per ignem siue per aquam in inferno.

Ad 2. *Secundum* de influxu specierum à diuino lumine, contra quod dicunt parum supra requirendum, scilicet in responsione art. 36. est declaratum & ad obiecta contra hoc responsum.

Ad 3. *Tertium quoque quod est in proposito principale*, scilicet quod propinquitas vel distantia nihil operatur ad cognitionem animæ separatæ nõ est falsum, sicut patet ex his quæ dicta sunt in responsionis huius principio.

Ad primum quod obijciunt, cõtra hoc de S. Augustino dicendum sicut dictum est supra in responsione *art.* 36. quod huiusmodi missio de qua loquitur S. August. fit non vt aliqua species in anima separata recipiatur ab extra, sed vt cognitio animę separatæ quã per species influxas habet de huiusmodi singularibus imperfectæ & confusæ aliqua ordinatione naturali & affectione, vel etiam Deo sic ordinante vt per talem modum fiat determinetur sicut dictum est ibidem.

Ad

Digitized by Google

Ad secundum dicendum, quod distantia vel propinquitas localis nihil facit ad cognitioné intellectiuam in anima corpori vnita, nisi quatenus mediante sensu accipitur in principio, accepta autem specie & retenta, potest intellectus etiam corpori vnitus æque in absentia sicut in præsentia sicut patet experimétaliter omnibus, & eodem modo anima separata se habet ad speciem influxam sibi, & anima post resurrectionem ad speciem vndecunque acceptam. *Ad 4.*

Ad tertium dicendum est, quod aliud est rem esse absentem loco, & aliud ipsam esse futurá, & per consequens non esse, propter quod cum non entis non sit species influxa in anima separata, nec etiam aliquo modo accepta in Angelo bono vel malo. Hinc est quod nullo modo potest cognoscere futura quæ nó sunt, nisi Deus qui omnia futura nouit per suam essentiam in quo omnia relucent ipsis reuelent. Illa vero quæ sunt quorum habent species, siue propinqua siue remota secundum locum indifferenter recognoscere possunt, vt patet ex dictis. *Ad 5.*

ARTICVLVS XXXIX.

SANCT. Thom. *q. 95. ar. 4. & vltimo* in responsione principali dicit, *quod præmium essentiale solum respondet quantitati charitatis, non quantitati operis vllo modo, sed præmium accidentale.* *Cui respondens præmium essentiale & cui accidentale.*

Digitized by Google

CORRVPTORIVM.

AD hoc nec auctoritatem nec rationem inducit. Hæc fuit opinio seu error Iouiniani, sicut S. Hieron. dicit in libro contra Iouinianum, dicens sic. *Si mihi opponis, quare iustus laborat in pace, aut persecutione si nullus perfectus aut maiora præmia scias hic eum facere, vt non plus quidē mereatur. Sed ne perdat quod accepit*, hoc beatus Hieron. reputat errorem, & reprobat *eodem libro* per parabolam de decē talentis.

Præterea, certum est quod habitus ordinantur ad actum vt ad finem, & dantur propter actum, vt patet *per primum & decimum ethicorum. Finis autem est melior eo quod est ad finem*. Quod autē est melius Deus plus diligit & acceptat. Et quod Deus plus diligit & acceptat plus remunerat ergo plus remunerat propter actum charitatis quam propter habitum, non autem plus remuneraret si habitui charitatis responderet prœmiū essentiale actui vero accidentale, ergo habitui charitatis non solum respōdet prœmiū essentiale, sed & actui eius, immo magis quam habitui.

cap. 1. 1. magn. mor. ca. 1.

Præterea, sacra scriptura nō habitui sed magis operi attribuit prœmia, quod non faceret nisi magis prœmium deberetur operi quam habitui, Vnde psal. *Tu reddes vnicuique secundum opera sua*. Et Matthæi 22. *Voca operarios & redde illis mercedem*. Hæc sunt verba eorum, quibus quædam verba addunt quæ non potui intelligere propter corruptionem exemplaris, ideo non plus scripsi.

psal. 61.

RES.

Responsio ad haec secundum S. Thomam.

SI attendissent quod S. Thomas loquitur ibidem de opere exteriori, & non de actu interiori, ab impugnatione ista cessassent hac vice. Quod enim S. Hieronymus dicit esse erroneum, ab isto dicto S. Thomæ est omnino diuersum. Non enim ponit S. Thomas quod homo non meretur laborando, quod dicit S. Hieronymus esse erroneum, sed intendit quod charitati & eius actui interiori debet prœmium essentiale, vnde qui plus habent de charitate & eius actu interiori plus habebunt de prœmio essentiali quam illi qui plus laborauerunt, & plura opera exercuerũt ex minori charitate, aliquod tamen gaudium accidentale habebunt hi quod non illi. Ad 1.

Ex his patet responsio ad secundum. Procedit enim ex falso intellectu, ac si S. Thomas dixisset quod prœmium essentiale correspondet habitui charitatis soli circumscripto actu eius interiori, quod falsum est. Ad 2.

Ad tertium dicendum, quod scriptura attribuit prœmia operibus, quia sunt signa, actus & habitus charitatis interioris cui debetur prœmium essentiale. Operibus vero ipsis exterioribus debetur prœmium actuale vt dictum est. Ad 3.

Digitized by Google

ARTICVLVS XXXX.

SANCT. Thom. *q.* 104. *art.* 4. in responsione principali dicit, quod *nihil omnino in nihilum redigitur.*

Nihil in nihilū redigitur. S. Tho. q. 104. ar. 4.

CORRVPTORIVM.

HOc videtur error, quia gratia faciens gratum est aliquid in anima, & tamen ipsa peccante penitus esse desinit, vel simul est cum peccato mortali, quod est penitus erroneum. Hoc etiam est cōtra S. August. in pluribus locis, vtpote *in vndecimo de trinitate*, manifeste enim insinuat quod species in memoria, totaliter deleri potest per obliuionem, hoc idem videtur de lumine in medio.

Praeterea philosophus *de somno & vigilia* ponit experimentum. Ex quo videtur quod signum vel species alicuius rei splendidae recepta in oculo corrumpitur in nihil. Dicit enim. *Si aliquis multo tempore respiciat aliquem colorem album vel alium valde splendidum, & demum claudat oculos, accidit visum videre talem colorem qualem primo vidit. Deinde mutatur in puniceum, deinde in purpureum, deinde in nigrum donec euanescat.* Idem experimentū ponit S. Augustinus, 11. *de trinitate capit. tertio.* Sub his verbis, *plerumque cū attendimus quoque luminaria donec oculos clausimus quasi versantur in conspectu,*

spectu, quidam colores lucidi, & quidam colores varie sese concomitantes, & minus minusque fulgentes, donec omnino desistunt esse. Nota quod dicit omnino desistunt esse.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

AD omnia ista patet solutio ex his quæ S. Thomas dicit in solutione tertij argumenti articuli istius. Accidentia enim cuiusmodi sunt omnia quæ isti enumerant non sunt entia completa cum non subsistant, sed quodlibet eorum est aliquid entis. Sic enim oculus dicitur ens, quia eo aliquid est. Vnde licet aliqua huiusmodi accidentia penitus euanescant, non tamen debet dici simpliciter quod aliquod ens in nihilum redigatur, & tamen prout subdit consequenter eo modo quo sunt non omnino in nihilum rediguntur, non quia aliqua pars eorum remaneat, sed quia remanent in potentia materiæ vel subiecti. Per hoc patet responsio ad obiecta, sicut patet intuenti.

ARTICVLVS XXXXI.

S. Tho. q. 106 ar. 4. Angeli superiores participes reddunt inferiores charismatum.

S. THOM. *q.* 106. *art. vltimo* in responsione principali dicit, *Quicquid superiores Angeli qui sunt in plenißima participatione bonitatis diuinæ à Deo recipiunt subiectis impartiuntur.*

CORRVPTORIVM.

Isa. HOc est contra Isaiam. 43. *Quis est iste qui venit de Edom* &c. vsque Bosra. Glo. interlinearis. Dicitur hoc in persona Angelorum tanquam mysterium incarnationis ignorantium, qui secundum aliam glossam hoc requirebant ab alijs Angelis, qui hoc etiam ante incarnationem sciebant. Non ergo reuelauerat hoc alijs.

Paulus. *Item Ephes. 3. data est mihi gratia illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis, vt innotescat in cælestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Glo. Per hoc attribuit aliquid Angelis, qui multa secreta in his didicerunt. Alia autem glosa ibi dicit, quod angeli hæc secreta incarnationis cognouerunt. Et alia glosa concordat. *Ergo* inquit *quæ dicta sunt illis Angelis qui maioris dignitatis sunt, & per quos nuntiata sunt, cognita fuerunt ex parte: vtpote familiaribus & nuntijs, nam illis angelis qui minoris dignitatis erant cognita fuerunt.* Ex quo patet, quod superiores non omnia quæ à Deo percipiunt inferioribus impartiuntur, quia hęc per experientiam postea didicerunt & addiscunt.

Item in commento *supra septimo cap. Cælest. hierarchia dicitur: Saluatore secundum carnem assumptam in cælis ascendente quibusdam Angelorum humanitatis exaltationem ignorantibus & dicentibus.* Psal. 23. *Quis est iste rex gloriæ ab Angelis amplius illumi-*

luminatis dictum est, Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

Item ibidem Hugo dicit *super quinto cap. Superiores omnium illuminationes & virtutem inferiorũ habẽt, Sed inferiores superiorũ ordinũ illuminationẽ & virtutẽ omnino ñ habent*. Et sequitur. *Illuminationes intelligimus in cognitione veritatis, virtutes vero in amore bonitatis & perfectione operis.*

Ratio vero suæ positionis est, quod de ratione boni est quod communicent se alijs, & inde est quod agentia naturalia siue corporalia similitudinem suam alijs tradunt quantum possibile est, quanto ergo aliqua agentia in participatione diuinæ bonitatis plus constituuntur, tanto magis suas perfectiones in alios trantfundere nituntur, & ideo angeli superiores &c. *Responsio*, non est simile, quia agẽs corporale agit communicando suam bonitatem vel suam similitudinem per naturæ necessitatem, Angelus autem communicat suam perfectionem per voluntatem, & ideo non communicat necessario totum, sed quantum vult, & decet alterum recipere. Et quia decet superiores plura cognoscere & posse quam inferiores, ideo superiores non semper quod à Deo recipiunt inferioribus impartiuntur.

(∴)

RESPON-

Digitized by Google

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

QVIA Angeli superiores ea quæ à Deo percipiunt inferioribus impartiuntur probat S. Thomas per auctoritatem S. Gregorij & Dionysij. Et ad argumenta ista de Angelis, qui dicuntur ignorasse mysteriũ incarnationis, respondetur per hoc quod dicit in responsione secundi argumenti istius articuli, quia non est intelligendum (vt ipse dicit ibidem) quod Angeli inferiores penitus ignorauerunt mysterium incarnationis. Sed quia non ita plene cognouerunt sicut superiores, & ideo in eius cognitione postmodum perfecerunt, dum illud mysterium impleretur. Sic ergo habent intelligi istæ glossæ & hoc quod adducunt primo de Hugone.

Ad primũ

Quod vero adducunt secundo, de Hugone pro S. Thoma facit, Dicit enim S. Thomas, quod superiores Angeli habent nobiliori modo in se quod communicant inferioribus minus perfecte illa eadem participantibus, & ponit exemplum de scientia magistri, quæ nobiliori modo est in ipso quam in discipulo cui eandem scientiam communicat.

Ad secundum. *Quod tandem dicit*, ad rationem S. Thomæ non multum valet, quia decet quod superiores Angeli perfectiones suas inferioribus communicent secundum gradum capacitatis eorundem, vnde superiores hoc volunt & faciunt.

Digitized by Google

faciunt. Et ideo recte dicit S. Thomas, quod superiores ea quæ à Deo percipiunt inferioribus impartiuntur.

ARTICVLVS XLII.

S.Th.107. q ar. 4. In quo cõsistat locutio Angeli.

S. THOM. q. 107. art. 4. disputat, *vtrum distantia localis aliquid operetur in locutione Angeli*: Et in responsione principali ita dicit. *Locutio Angeli in intellectuali opere consistit, Intellectualis autem operatio Angeli omnino abstracta est à loco & tempore, nam etiam nostra intellectualis operatio est per abstractionem ab hic & nunc nisi per accidens ex parte phantasmatum, quæ in Angelis nulla sunt. In eo autem quod omnino abstractum est à loco & tempore nihil operatur nec temporis diuersitas nec loci distantia. Vnde in locutione Angeli nullum impedimentum facit distantia loci.*

CORRVPTORIVM.

PRINCIPALE quod hic intendit scilicet quod in locutione Angeli nullum impedimentum facit distantia loci, credimus esse falsum. Alia duo quibus hæc confirmat vel sunt falsa, vel eo modo quo veritatem habent non inferunt propositum suum. Vnum illorum est, quod locutio Angeli consistit in intellectuali operatione. Aliud autem, quod intellectualis operatio Angeli omnino abstracta est

cta est à loco & tempore. Quod autem distantia loci impediat locutionem angeli, patet *primæ ad Corinth. 13. Si linguis hominum loquar*. Glo: *Angeli præpositi significant minoribus, quod de Dei voluntate primum sentiunt, quod fit quibusdam nutibus aut signis*. Isti nutus aut signa, non sunt ipsamet
1. conceptio angeli, propter quam appræhendendam fiunt, quia nihil est signum sui ipsius. Isti etiam nutus non sunt desiderium angeli quo desiderat vt alius percipiat cogitatum suum, quia signa & nutus sunt manifestiora quam illud propter quod percipiendum fiunt. Desiderium autem æque vel magis est occultum quam ipsa cogitatio, ergo opus quod nutus & signa sint operationes exterius protensæ ad alium. Sed omnes tales operationes impedire potest distantia loci, ergo locutionem angeli impedire potest distantia loci.

2. *Præterea* S. Augustinus *in libro de cura pro mortuis agenda*, *Possunt* inquit *angelis qui rebus quæ hic aguntur præsto sunt audire aliqui mortui, quod vnumquemque illorum audire iudicat cui cuncta subiecta sunt. Nisi enim possent angeli interesse viuorum & mortuorum locis, non dixisset Dominus, Contigit autem & illum ferri ab angelis in sinum Abrahæ, igitur & nunc esse potuerunt*. Ex his verbis S. Augustini patet, quod localis distantia impedit locutionem angeli ad mortuos, alioquin frustra transirent de loco illorum ad illos renuntiaturi quæ vidissent apud istos. Qua ratione autem potest distantia localis impedire locutionem ad homines mortuos,

pari

Digitized by Google

pari ratione ad angelos quibus pares sunt.

Illud vero quod primo dicit ad huius confirmationem, scilicet quod locutio Angeli consistit in intellectuali operatione, dupliciter intelligi potest cum præcisione, vel sine. Si intelligatur cum præcisione, scilicet quod locutio Angeli nihil aliud sit quam intellectualis operatio scilicet cogitatio sola, vel cogitatio cum desiderio vt alius apprehendat suam cogitationem; dicimus quod falsum est, sicut supra ostensum est, quod illi nutus vel signa quibus mediantibus fit locutio Angeli, aliud sunt quam ipsa cogitatio vel desiderium. Si autem intelligatur sine præcisione, scilicet quod locutio Angeli consistat in intellectuali operatione, & etiam in alia operatione protensa exterius ad aliud per signum, tunc credimus quod verum dicat, & sic ex tali intellectu non sequitur conclusio quam intendit, scilicet quod in locutione angeli non impediat distantia localis. Operatio enim exterius protensa per distantiam potest impediri. 3.

Quomodo locutio Angeli consistat in operatione intellectuali.

Ad secundum quod dicit, quod intellectualis operatio Angeli omnino abstracta est à loco & tempore, multipliciter potest intelligi; si intelligatur quod ipsa essentia operationis Angelicæ non sit in loco vel tempore, sed præter vtrunque dicimus quod falsum est. Ex quo enim substantia Angeli diffinitiue est hic necesse est quod eius operationes, secundum id 4.

quod

quod sunt diffiniant locum & tempus, alioquin operatio esset nobilior quam substantia cuius est operatio, quod est impossibile. Si vero intelligatur quod operatio Angeli est respectu obiecti abstracti ab hic & nunc, dicimus quod est vt sic & est vt non. Constat enim quod Angeli intelligunt singularia quæ sunt hic & nunc. Verbi gratia, quos custodiunt & eorum operationes, & circumstantias operationum, quæ omnia singularia sunt hic & nunc. Angeli etiam intelligunt abstracta ab hic & nunc, sicut Deum & vniuersalia, & ideo non sequitur ex hoc propositum.

Ratio quam ponit ad hoc, est talis, Lucæ 16. dicitur, ꝙ diues in inferno positus loquebatur Abrahæ non impediente loci distantia, ergo multo fortius localis distantia non potest impedire locutionem Angeli vnius ad alterum.

5. *Ad hoc potest dici*, quod locus quietis Abrahæ & Lazari pro tempore illo fuit in inferiori margine inferni, & habebant aliquam claram lucem sine omni pœna materiali, sicut dicit magister in historijs, vnde secundum hoc forte non fuit distantia inter Abraham & diuitem, quin posset vnus alteri loqui.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

ISTA obiecta procedunt ex quodam falso, scilicet quod Angeli intelligant per nouã specierum receptionem, & sic à rebus istis sensi-

Digitized by Google

sensibilibus quas intelligunt, & non per species intelligibiles à diuino lumine sibi impressas, vel in eorum intellectu secundum naturæ suæ capacitatem à principio suæ creationis deriuatas per ipsius lucis incommutabilis participationem naturæ singulorũ congruentem. Cuius oppositum in multis locis S. Thomas declarat, sicut patet supra in responsione *art. 38.*

Ad primum ergo quod obijciunt dicendum, quod nutus vel signa de quibus illa gloriosa loquitur, non sunt operationes protensæ in alterũ protensione materiali diffusa vel expansa localiter, quæ per consequens distantia locali posset impediri: prout isti imaginantur, & falso. Sed possunt dici vno modo ipsi conceptus angeli loquentis ordinati ad alterum cui loquitur. Habet enim quilibet angelus species sibi inditas à primo lumine, per quas potest cognoscere quoscunque conceptus alterius ordinatos per voluntatem alterius ad ipsum. Et quod dicunt, quod nihil est signum suiipsius, sumpto signo pro indicamento vel manifestatiuo principio, negandum est tanquam falsum, & contra sanctos Augustinum & Anselmũ, quorũ sentẽtia est, quod verbũ nõ solũ est indicatiuũ eorũ quæ dicũtur per verbum, sed & sui ipsius quodammodo per prius. Similiter patet de verbo vocali, quod indicat alia indicando seipsum. Conceptus ergo angeli inquantum seipsos indicant, & manifestant illis ad quos ordinantur, possunt dici signa vel nutus semetipsa notificantia. *Ad primũ*

Vel potius dici potest quod ipsi cōceptus Angeli in alterum ordinati, sunt signa vel nutus suorummet conceptuum vel permanentiū in concipiente, circumscripta huiusmodi ordinatione, & ita non sub eadem ratione dicuntur signa & signata, & redit in idem quod prius realiter.

Aliter videtur S. Thomas dicere super secundum sententiarum distinctione 11. quod aliqua naturaliter cognita ab Angelo cui fit coniuncta locutio ab Angelo loquente cum conceptibus ipsius loquentis fiunt signa vel nutus eorundem per quæ conceptus illi notificantur Angelo illi cui fit locutio. Sed primum quod hic dicit S. Th. *in prima parte, q.* 107. *art. primo.* magis intelligo. Non enim video ad quid requiratur talis coniunctio conceptuū cū illis naturaliter cognitis, cum conceptus illi fiant actu intelligibiles ab illo Angelo in quem ordinātur, & hoc ratione illius ordinationis sicut alia naturaliter entia sunt actu intelligibilia ab eodem, eo ipso quod sint in ordine naturæ actum habentia, præcipue cum de ratione verbi sit quod semetipsum notificet, sicut dictū est, & ex voluntate loquentis dependet quod verbum mentale ordinem habeat siue ad ipsum loquentem siue ad alterum. Et hinc est quod Angelus loquitur sibi & alteri quando vult & non aliter.

Ad secundum. *Ad secundum dicendum*, quod S. Augustinus intendit dicere, quod ea quæ hic fiunt animabus alibi existentibus, nuntiantur per Angelos qui

Digitized by Google

los qui hincinde transeunt, non quod transitus localis sit necessarius ad hoc quod creaturæ intellectuales suos conceptus mutuo manifestent, sed quia congruum est quod illi Angeli potissime animabus alibi existentibus de his quæ hic aguntur nuntient, qui mittuntur ad hoc, quod circa ista loca pro ipsis & nobis operentur aliqua illis & nobis conuenientia. Verbi gratia, Si Angelus qui mittitur huc ad operandum aliquid circa filium, si consequenter mittatur ad operandum aliquid circa animam patris quæ detinetur prout congruit, satis conueniens videtur quod ille Angelus potius quam alius suos conceptus manifestet illi animæ nuntiando quæ hic aguntur, cum omnia secundum ordinem fiant in istis.

Quod vero supponunt tertio à locutione Angelica non posse præscindi opera quædam, locatur protensa vel expansa ad circumstantes procedit ex falso fundamento, & tanquam falsum ac rationi dissonum est interimendũ, prout patet in responsione *ad primum argumentum huius articuli.* *Ad 3.*

Quod vero dicunt quarto, quod essentia Angeli & similiter eius operatio sint diffinitiue in loco, & similiter quod Angeli cognoscunt quædam quæ sunt in loco & tempore, veritatem habet si intelligatur. *Ad quartũ*

Nec est contra S. Thomam, Essentia enim Angeli non sic est in loco vt à loco contenta vel circumscripta dependeat, tunc enim

Angelus est in loco definitiue non circumscriptiue.

esset in loco circumscriptiue. Sed quia circa talem & non alium aliquid operatur, sed aliquid influit eidem, ratione cuius dicitur esse in loco diffinitiue, quia natura summa regit infima per media, secundum doctrinam beati Dionysij. Hinc est quod angeli essentia semper alicubi est ponenda, non propter sui indigentiam qua locum requirat, sed eo quod in loco aliquo semper aliquid operetur, vel aliquid quodcunque sit illud illo locatis ibidem influat. Sic quoque cognoscit angelus ea quæ sunt in loco & tempore vt nihil ab ipsis recipiat, sed per species à diuino lumine sibi impressas in principio suæ creationis omnia ista cognoscit, vt patuit supra. Vnde nulla conditio loci nec temporis poterit aliquo modo impedire operationem intellectualem in angelis.

Quod vero dicunt quinto, quod non fuit tanta distantia inter sinum Abrahæ & infernum quæ posset impedire locutionem mutuam illarum animarum diuitis Abrahæ pro S. Thoma est, quia vt dictum est, nec illa distantia, nec alia quantacunque potest locutionem angelorum impedire.

ARTICVLVS XXXXIII.

SANCT. Tho. *q.* 108. *art.* 3. in responsione *primi argumenti dicit.* quod *omnes angeli sunt inæquales.*

COR-

CORRVPTORIVM.

Hoc *non reprahendimus* vt erroneum, tamen contrarium videtur magis probabile scilicet quod aliqui angeli sint adinuicem æquales, & ad hoc mouere potest hoc quod firmiter tenemus, scilicet quod homines possint esse æquales angelis, alioquin non posset ruina angelorum per homines reparari. 1. *Omnes angeli non sunt æquales.*

Præterea homines possunt æquales sibi inuicem fieri, alioquin non posset vnus sortiri coronam alterius, sicut habetur Apocalypsis 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuã.* Ergo si homines possunt esse æquales angelis & sibi inuicem probabile est per simile, quod etiam angeli possunt esse æquales sibi inuicem. 2.

Præterea philosophus 8. *ethicorum*, & *Commentator ibidem* dicunt. *Oportet veros amicos æquales esse adinuicem. Non enim vult amicitia esse in abũdantia alterius.* Hæc Commentator, Si ergo ibi est verissima amicitia, non est probabile quod ibi sit omnimoda inæqualitas. Item S. Augustinus *in libro de quantitate animæ*, ita dicit *Æqualitatem inæqualitati iure præponis, nec quisq; est* (vt opinor) *humano spiritu præditus, cui hæc non videantur.* Ergo si in illis beatis ordinibus ponendum est quod melius est, est magis ponenda æqualitas quam inæqualitas. 3. 4.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

SVPPOSITO quod Angeli sint formę simplices, & per consequens solum formaliter secundum gradum naturæ differentes, manifestum est quod duo Angeli non possunt in eodem naturæ gradu inueniri, vnde cum vterentur omnes dono naturæ secundum totum conatum simul, manifestum est quod receperunt donum gratiæ & gloriæ secundum differentem gradum naturæ suæ, ex quo consequens est quod Angeli omnes in natura, gratia & gloria sunt inæquales.

Ad primū. *Ad primum ergo in contrarium dicendum*, quod non est simile de Angelis & hominibus. Omnes enim Angeli secundum totum conatum naturæ per gratiam informatæ actum meritorium vnum exercebant, propter quod secundum diuersum gradum naturæ diuersum gradum gloriæ recipiebant, & per consequens vt prius inæquales in natura, sic postmodum inæquales in gloria permanebunt. Homines vero non sic simul & secundum totum conatum exercent actum meritorium, sed partialiter & successiue, & ita per consequens, illi qui habent minus de gratia, possunt per frequentem actum, vel vnum actum meritorium intensum augmentum gratiæ promereri, & sic tandem non solum hominibus bonis, verum etiam Angelis quo ad hoc poterunt, equari, vt æqualem cum ipsis gloriā consequantur. Vnde dissimilitudo inuenitur inter homines & Angelos penes hoc quod adæqualitatem vel inæqua-

inæqualitaté facit per se. Et ratio illa quæ innititur similitudini quantum ad hoc non valet, sicut patet cuilibet intelligenti.

Ad secundum dicendum, quod æqualitas quæ requiritur ad amicitiam veram non est dicenda semper æqualitas quantitatis, sed proportionis, alioquin non posset esse vera amicitia inter aliquos nisi essent omnino pares ad minus quo ad magnitudinem virtutis, quæ per se facit ad amicitiam veram, sicut patet per philosophum, & per consequens Petrus & Linus non essent vere amici, cum non sint gratia æquales & gloria, quod qui pertinaciter voluerit asserere, non immerito hæreticus, & nō solum erroneus poterit appellari. *Ad 3.*

Per hoc idem patet ad tertium, æqualitas enim quantitatis non est illa æqualitas quæ vniuersaliter præponitur inæqualitati secundũ Augustinum. Sed æqualitas proportionis quæ summa inuenitur in Angelis, in quibus secundum proportionem in diuerso gradu naturæ diuersus inuenitur gradus gratiæ & gloriæ. Ex his patet quod ista obiecta non procedunt. *Ad 4.*

ARTICVLVS XLIV.

S. THOM. q. 108. art. 3. in responsione *tertij argumenti dicit*, quod *Angeli qui sunt in terminis duorum ordinum magis secum conueniunt secundum propinquitatem natura quam vnus eorum cum aliquibus alijs sui ordinis, minus autem secundum idoneitatem ad similia officia.*

S. Th. q. 108. ar. 3. Angelis sunt communicata dona iuxta capacitatem eorum. ar. 4.

Item eadem quæstione articulo 4. in responsione principali repetit quod iam supra dictũ est, *quod angelis data sunt dona gratuita secundum capacitatem suorum naturalium.*

CORRVPTORIVM.

1. CONTRA istud dictum est supra *art.* II. *de primo* vero non dicimus quod sit error, sed putamus quod sit falsum. Credimus enim quod omnes angeli sint vnius speciei, sicut ostensum est supra per auctoritatem Ioannis damasceni, quam pro parte repetimus. Dicit enim *in logica sua c.* 36. *Gabriel cum Dei genetrice disputans, vnus angelorum existens illic præsens, disputauit separatus à consubstantialibus. Hæc Damascenus.* Ergo si angeli sunt consubstantiales sunt eiusdem speciei, Res enim diuersarum specierum non dicimus consubstantiales.

Item eodem li. c. 11. ita dicit, *quod maiores philosophi naturam vocauerunt species specialissimas, vt angelum,* hominem & equum. *Et supra c.* 4. ita dicit. *Sancti autem patres dimittentes multas contentiosas garrulitates, commune quidem & de multis dictum specialissimam substantiam & naturam & formam vocauerunt, vt angelum, hominem, equum & similia.* Ex quibus patet secundum ipsum, quod tam secundum philosophum quam secundum sanctos angelus est nomen speciei specialissimæ.

2. *Præterea* ex dictis duobus scilicet quod angeli vicini in terminis duorum ordinũ magis

conue-

Digitized by Google

conueniunt secundum propinquitatem natu-
ræ & aliud quod dixerat, scilicet quod Ange-
lis data fuit gratia & dona gratuita secundum capacitatem suorum naturalium, sequitur quod Angeli vicinantes in terminis duorum ordinum, cum magis conueniunt in naturalibus magis conueniet in gratuitis. Et constat quod Angeli qui magis conueniunt in naturalibus & gratuitis magis conueniunt in idoneitate similium officiorum, & qui in istis conueniunt, magis conueniunt in ordine, ergo de necessitate sequetur ex prædictis, quod Angeli vicinantes in terminis duorum ordinum, magis conueniunt in idoneitate similium officiorum, & etiam magis conueniunt in ordine, quod constat esse falsum.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

QVod dicunt supra esse reprobatum, sc. quod Angeli receperunt dona naturalia secundum capacitatem suorum naturalium, est ibidem rationabiliter in responsione illius articuli declaratum.

Primum vero hic propositum, nō oportet quod putent esse falsum. Auctoritates autem Damasceni supra expositę sunt in responsione *articuli vndecimi*. Vnde patet ex dictis ibidem quod omnes Angeli non sunt eiusdem speciei, licet quilibet in vna specie specialissima inueniatur, ita tamen quod in illis non est nisi vnum indiuiduum vnius speciei. *Per hoc patet* **Ad primū**

responsio ad primum & secundum, quæ tamen non videntur multum ad propositum. Quãuis enim omnes Angeli essent eiusdem speciei adhuc rationabiliter dici posset, quod vicinantes sibi in terminis duorum ordinũ magis communicet quo ad aliquid, quoniam in quolibet ordine inueniuntur supremi medij & infimi, & etiam in supremis vel inter supremos eiusdem ordinis sunt aliqui supremi, aliqui medij, aliqui infimi, & inter medios, & infimos secũdum Dionys. Cũ ergo ille Angelus qui est simpliciter in vno ordine infimus, per multos gradus distet ab eo qui est supremus simpliciter in eodem ordine secundum multitudinem Angelorum in illo ordine existentium & ab Angelo summo simpliciter in ordine inferiori sibi vicino non distet nisi per gradum vnum, manifestum est quod multo fortius distet à supremo Angelo sui ordinis quam à supremo Angelo inferioris. Ista vero instantia non attendenda est penes situm, cum non sint situales. In aliquo igitur alio siue naturæ simplicitate siue officiorum idoneitate ponenda est ista propinquitas, vel distantia maior vel minor, & hoc est verum, magis enim conuenit infimus Angelus cum supremo sui ordinis quo ad officiorum similium idoneitatem, ratione cuius pertinent ad talem ordinem, licet minus conueniat cum eodem quo ad naturæ simplicitatem.

In singulis ordinibus Angelorũ sunt supremi medij & infimi.

Ad 2. *Ad secundum igitur dicendum*, quod licet Angeli vicini in terminis duorum ordinum plus

conue-

Digitized by Google

conueniant quo ad gradum naturæ gratiæ & gloriæ non tamen sequitur quod sint eiusdem ordinis. Idoneitas enim illorum officiorum similium sic participant ab infimo Angelo illius ordinis, quod non est nata participari ab aliquo inferiori Angelo modo simili. Probatur quod ille ordo in Angelo isto terminatur. Natura vero gratia & gloria ab omnibus, licet secundum diuersos gradus participatur. Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Articulus XXXXV.

SAnct. Tho. *q.* 115. *ar.* 6. in responsione principali dicit, *quod ens per accidens non habet causam, quia non est vere ens, quia non est vnum.* S. Th. qu. 115. art. 6. Ens per accidens non habet veram causam.

Corruptorium.

1. HOc dicimus esse contra fidem & contra philosophiam. Contra fidem, quia ex hoc sequitur quod sit aliquid, immo quod sint plura quæ nec sunt Deus nec à Deo. Constat enim quod ens per accidens non est Deus. Constat etiam si ens per accidens non habet causam non est à Deo, & ita omne ens per accidens nec est Deus, nec à Deo, quod est impossibile.

2. *Hoc etiam est contra philosophiam.* Dicit enim Aristot. 6. *Metaph.* Causæ eorum quæ sunt aut erunt per se aut per accidens. Et Commentator t. com. 7.

mentator dicit ibidem. *Causa eorum quæ sunt per accidens, sunt entia per accidens, sc. quæcunque causæ sint, immo causæ infinitæ.* Hæc Cōmentator

3. *Præterea vtraque consequentia sui argumenti fallit.* Non enim sequitur, ens per accidens nō est vere ens, ergo non habet causam, sed est fallacia consequentis. Alia etiam consequentia non valet, ens per accidens non est vere vnum, ergo non est vere ens, quia vere ens diuiditur in vnum & multa, & vnum quod cōuertitur cum ente non est vere vnum, sed est commune ad vere vnum & multa.

4. *Præterea*, si quicquid non est vnum non est vere ens nec habet causam, cum mundus inter omnia entia sit minime vere vnus, & maxime aggregationis ex multis in actu & potentia, sequeretur quod nō esset vere ens, nec haberet causam, quæ sunt falsissima.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

AD intelligendum qualiter ens per accidens nō habet causam sicut dicit hic S. Thomas, & accipitur à *philosopho vtnetaca*. Considerandum est quod licet album habeat causam, & similiter musicum, tamen album musicum quod est ens per accidens, *t. com. 7.* dicitur secundum philosophum non habere causam, quia non est vere ens, nec vere vnum quod habeat vnam causam aliquam determinatam. Concursus enim illarum duarum causarum, quarum vna est per se causa albi, alia per

per se causa musici est accidentalis, & ideo effectus consequens, scilicet album musicum, non habet reduci in aliquam causam vnam determinatam ex qua talis sequatur effectus. Ex his patet ad obiecta.

Ad primum ergo dicendum, quod procedit ex falso intellectu. Non enim intendit philosophus vel S. Thomas quod ens per accidens sit aliquid increatum (vt ipsi suspicantur) sed quod nō habeat aliquam determinatam causam sed plures, quarum concursus est accidētalis vel præter intentionem agentis, sicut patet in casualibus & fortuitis, secundum philosophum *secundo physicorum*. 1.

Ad secundum dicendum, quod S. Thomas non habet negare nec philosophus quin ens per accidens habet causam. Concursus enim earū respectu alicuius effectus qui est ens per accidens, accidentalis est, & hoc docet S. Th. & philosoph' similiter, vnde quod adducūt de philosopho & Commentatore pro S. Th. facit. 2.

Quod vero dicunt tertio, quod ista consequētia fallit, ens per accidens non est vere ens, ergo non habet causam, procedit ex hoc quod non attendebant qualiter ens per accidens dicitur non habere causam vnam videlicet & determinatam. t. com. 5 3.

Similiter quod dicunt, quod ista consequentia fallit, non est vere vnum, ergo non est vere ens, ponentes quod vnum quod conuertitur cum ente non est vere vnum ex falso intellectu procedit. Idem enim est ponere, quod vnum quod conuertitur cum ente nō est vere

vnum,

Digitized by Google

vnum, & ponere quod ens non sit vere vnum ens, & hoc est contradictoria esse simul, cum dispositio vniuscuiusque in ente sit dispositio eius in vnitate secundum philosophum. Sciendum est etiam, quod prout docet S. Thom. *supra q. 11. art. 2.* Ens diuiditur per vnum & multa, & *per vnum simpliciter*, & multa secundũ quid. Nulla enim priuatio tollit totaliter esse, quia priuatio est negatio in subiecto secundum philosophum, sed tamen omnis priuatio tollit aliquod esse. Et in ente ratione suæ communitas accidit quod priuatio entis fundetur in ente, quod nõ accidit in priuatione aliarum formarum specialium. Et sicut est de ente, sic & de vno & bono, quæ conuertuntur cum ente, nam priuatio boni fundatur in aliquo bono, secundum S. Augustin. *in enchi.* Et similiter remotio vnitatis siue multitudo fundatur in aliquo vno, secũdũ Dionys. 3. *de di. nominibus.* Et inde cõtingit quod multitudo est quoddam vnum, & malum est bonum quoddam, & non ens est quoddam ens, non tamen prædicatur oppositum de opposito, quia alterum est simpliciter alterum secũdũ quid, vt ꝙ est secũdum quid vt in potẽtia, nõ est simpliciter, id est, actu. Similiter quod vnum est simpliciter est multa secundũ quid. Ex his patet quod vnũ eodẽ modo se habet ad vnum & multa sicut & ens, propter quod optime sequitur, quod si aliquid non sit vere vnum nõ sit vere ens, eodem modo deficiet ab entitate quo deficit ab vnitate, loquendo de vno quod conuertitur cum ente, de quo loquitur S. Th. in proposito.

Entis diuisio.

4. Metaphysic. 2. com. 27.

Ad

Ad quartũ dicendum, quod multa, immo omnia quæ ſunt in vniuerſo ſiue mundo hoc, habent cauſas determinatas, inter quas eſt ordo eſſentialis ac dependentia, cum omnes cauſæ ſecundæ à cauſa prima dependeant, vnde cõcurſus earũ nõ eſt accidẽtalis vel non intẽtus ab ipſis cauſis, propter quod effectus conſequens, ſcilicet mundus, non eſt ens per accidens carens cauſa determinata, cum aliquæ eius partes immediate à cauſa prima producantur, & alia omnia quæ ſunt in mundo, etiam ab eodem ſunt per cauſas ſecundas ab ipſo ordinatas, ita tamen quod ipſe ſit ſemper plus influens. Concurſus vero cauſarum ad quem cõſequitur effectus qui dicitur ens per accidens, quamuis non accidat præter intentionem Dei omnia diſponentis, accidentalis tamen eſt in ſe conſideratus vel præter intentionem agentis particularis ſecundum naturam, vel etiam ſecundum propoſitum, propter quod huiuſmodi effectus dicitur ens per accidẽs vel fortuitus vel caſualis, non habens vnam cauſam determinatam, vt dictum eſt. *Auctor de cauſis.*

Articvlvs XXXXVI.

SAnct. Thom. q. 116. artic. primo in reſponſione principali dicit, quod *omnes humani intellectus ſint vnius gradus in ordine naturæ.* *S. Th. qu. 116. art. 1. Omnes intellectus ſunt vni' gradus.*

COR-

CORRVPTORIVM.

Duplicliter accipitur natura. t.com.2.

SI per nomē naturæ intelligat speciem, vel specificam differentiā, sic verum dicit secundum Damascenum *in logica sua, cap.11.* & secundum Boetium *in libro de duabus naturis & vna persona Christi*, vbi dicit, quod natura vno modo idē est quod vnamquamque rem informans specifica differentia, sic enim accepta natura non recipit magis & minus, sed hoc modo non videtur intelligere, sicut patet ibidem intuenti. Alio modo accipitur natura pro naturali proprietate vel virtute, prout dicit philosophus *2.physicorum*, quod naturas cognoscere possibile est, si quis concedat trāsmutari corpus, & hoc modo videtur ibi loqui, nam permisit quod Angeli aliqua virtute actiua qua si superioris naturæ confortant intellectum hominis addiscentis, non sic homo, quia omnes humani intellectus sunt vnius gradus in ordine naturæ, & sub hoc sensu falsum est quod dicit. Nam vna anima aliā excedit, proprietate, dignitate, & virtute naturali, alias anima Christi non esset nobilior alijs animabus, nec vnus intellectus nobilior quam alius, quod tanquam erroneum est nuper damnatum Parisijs sub his verbis. *Inconueniens est ponere aliquos intellectus non nobiliores alijs.* Et est error 3. *c.8. de anima vel intellectu.*

Error dānatus Parisius.

Quod patet, quia natura hoc modo sumpta recipit magis & minus.

RES-

RESPONSIO AD HAEC SE-cundum S. Thomam.

AD dissolutionem eorum quæ hic obijciunt contra S. Thomam. Sciendum quod sicut natura specifica non recipit magis & minus prout isti fatentur, sic nec proprietas naturalis consequens speciem; sicut patet de homine & risibili. Et isto modo intendit S. Thomas quod omnes humani intellectus sunt eiusdem gradus in ordine naturæ quod patet per hoc quod intellectus Angelicus quem dicit esse superioris naturæ differt specie ab intellectu humano; & ideo ipsum excedit in natura & virtute actiua naturali speciem consequenti, ergo licet vnus intellectus humanus alterum in multis excedat, siue propter meliorem corporis dispositioné, siue propter meliora dona gratuita, propter quæ virtutes naturales nobilitantur, vnde virtutes naturales in anima Christi non solum alias animas, sed etiam omnes alias creaturas in nobilitate & perfectione excedút, propter quod erroneum fuit ponere omnes intellectus humanos eiusde m nobilitatis penitus, & nullum alio nobi[li]orem, quod non immerito damnatum e[st P]arisijs, tamen omnes intellectus humani [s]unt vnius speciei, & per consequens eiusdem gradus in ordine naturæ quantum ad virtutes & proprietates speciem consequentes, si considerentur in sua natura sola abstracta, & hoc vt dictum est, & non aliud intendit S. Thomas.

Digitized by Google

ARTICVLVS XXXXVII.

S. Th. p. p. q. 118. ar. 3 ad 2.

SANCT. Thom. *q.* 118. *art.* 3. in responsione *secundi argumenti dicit*, quod *additio ad formam substantialem mutat speciem.*

CORRVPTORIVM.

SI intelligatur de additione perfectionis substantialis, quæ ab aliquibus vocatur perfectio prima, quę etiã mutat diffinitione verũ est secundũ philosophũ, 4. *Metaphys.* t. com. 28. Si intelligatur de additione perfectionis accidentalis, vel de additione per intensionem proprietatis virtutum naturalium, quæ vocatur aliquando perfectio secunda ac posterior falsum est, & videtur vicinum illi errori, qui ponit omnes intellectus humanos naturaliter æquales esse, nec vnum esse alio nobiliorem.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

MAnifestum est cuilibet intuenti, quod Thomas intelligit primo modo, & nõ secundo modo qualiter tamen debet dici quod inteellectus humani sint æquales & qualiter non, patuit supra articulo proximo.

ARTICVLVS XXXXVIII.

S. Thom. ibidem.

SANCT. Th. ibidem ponit, quod *tantum est vna forma substantialis in homine & in quolibet composito.*

COR-

CORRVPTORIVM.

Hoc superius *art.* 31. improbatum est vt erroneum.

Vna est tantu forma substantialis tam in homine quàm in alijs animalibus.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

Svperius vtrum quæ declaratũ est quod nullus error in fide vel philosophia sequitur ex dicta opinione de vnitate formæ substantialis in eodem, hic igitur ponentur aliquæ persuasiones, quibus videtur aliquibus necessario concludi, quod omnino est impossibile oppositum intelligere.

Quod sic probant, quia duæ formæ eiusdem rationis nullo modo possunt eidem subiecto vel susceptibili simul inesse. Sed omnes formæ substantiales materiales sunt vnius rationis, ergo nullo modo huiusmodi duæ formæ poterunt eidem simul inesse. Maior patet tam in formis inter quas est contrarietas, quàm in alijs inter quas nulla contrarietas inuenitur. Sicut enim albedo & nigredo nullo modo possunt simul eidem inesse, cum sint formæ contrariæ vnius rationis, secundum hoc quod vtrumque est color, sic nec duæ albedines nec duæ figuræ quæ sunt formæ eiusdem rationis non cõtrariæ possunt eidẽ subiecto secundũ idem simul inesse. Minor patet sic. Omnes illæ formę sunt vnius generis secũdum philosophum, inter quas cadit transmutatio per se & non per accidens. Sed huiusmodi sunt omnes materiales formę. Videmus enim

Nota quæ formæ sint vnius generis siue rationis.

enim quod materia à forma vna elementari vel mixti transmutatur ad aliam per se & non per accidens, sicut quando ex aere fit aqua, & ex vino acetum, ergo vt videtur huiusmodi duæ formæ nullo modo poterunt simul in esse. Cum enim fit transmutatio aquæ per se, quando ex aqua alterata in stipite vitis fit vinum, sicut quando ex aere alterato fit aqua, manifestum est quod forma aquæ & forma vini æque sunt vnius generis physici secundum determinationem philosophi, sicut forma aeris & forma aquæ ergo sicut illę non cópatiuntur se simul in eadem materia, sic nec istæ & similis est ratio de omnibus formis inter quas cadit transmutatio per se, & non per accidens.

Ad 2. *Idem probant sic.* Quod est per se terminus à quo alicuius transmutationis, impossibile est quod compatiatur secum in eodem susceptiuo illam formam quæ est per se terminus ad quem transmutationis eiusdem. Sed manifestum est quod per formas substantiales est transmutatio per se & non per accidens, non solum quando ex vno elemento fit aliud, sed etiam quando ex elemento vel elementum fit mixtum. Verbi gratia. Ex aqua fit vinũ vel aliud alimentum, & ex illo alimento semen, & ex semine sanguis, & ex sanguine embrio, & ex embrione equus vel homo, ergo (vt videtur) impossibile est quod in huiusmodi idem susceptiuum siue materia simul maneat sub termino à quo & sub termino ad quem. Sed in qualibet transmutatione prædictarum

Digitized by Google

ctarum, cum sint transmutationes per se, & non per accidens, semper terminus ad quem expellit terminum à quo, & per consequens ad vnius formæ substantialis inductionem in huiusmodi, necesse est illam quæ præfuit in eadem materia corrumpi, ita quod semper generatio vnius sit corruptio alterius, sicut docet philosophus.

Item omnis forma accidentalis tribuit suo susceptiuo aliquod esse sui generis, puta quantitas esse quantum, & qualitas esse quale, & ita de alijs, ergo eadem ratione, immo multo fortius omnis forma substantialis de cuius ratione verius est quod sit principium essendi, dabit esse aliquod sui generis suo susceptiuo esse scilicet substantiale, quod est idem quod per se subsistere. Sicut enim accidentis esse est inesse, ita esse substantiale siue esse substantiæ est per se subsistere. Si igitur duæ formæ substantiales essent in eadem materia, iam essent in illo composito duo subsistere, & per consequens duo subsistentię, ex quibus impossibile est fieri aliquod vnum nisi per contactum vel ligamentum, sicut dicit Commentator super *primo de anima*, & ideo à ponentibus in homine plures animas, recte quærebat philosophus quid contineret eas, secundum Commentatorem ibidem.

1. de generatio. t. com. 17.

3.

7 metaphysic. t. com. 1.

com. 8.

4. *Item omnis* forma aduenieus alicui enti est extra eius quidditatem, & per consequens erit accidentalis eidem, quia quidditas vel

Digitized by Google

essentia rei necessario præcedit ordine naturæ quodcunque esse eiusdem, siue illud esse dicatur accidentale substantiale completum vel incompletum. Si ergo aliqua forma substantialis adueniat alicui composito habenti esse actuale per aliquam aliam formā substātialem præcedentem, illa forma adueniens consequitur esse talis compositi quod est posterius, necesse est quod sequatur ipsius quidditatem vel essentiam quæ secundum naturam prior est, vtpote participans tale esse, & sic erit extra essentiam talis compositi. Cum enim esse sit extra essentiam vel quidditatem rei & posterius ipsa, manifestum est quod illud quod aduenit post esse eius, est forma adueniens composito præhabenti esse actu, est omnino extra quidditatem & essentiam talis compositi, & per consequens est forma accidentalis eiusdem, si tamen ipsum aliquo modo informet.

5. com. 6. *Item probat per Commentatorem secundo de anima*, qui ponit differentiam inter animam & formam accidentalem, in hoc quod *forma accidentalis quæcunque est in subiecto actu ente, anima vero est in subiecto quod non habet esse nisi per ipsam*. Ex quo patet secundum ipsum, quod anima est forma substantialis. Vult enim ibidem, quod *subiectum accidentis est compositum ex materia & forma quod indiget in suo esse accidente, subiectum autem formæ substantialis non habet esse actu nisi per formam illam.* Et parum post dicit, quod *formæ naturales sint sub-*

substantia qua cum fuerint ablata aufertur nomen quod demonstrat eas, secundum est quod indiuiduum substantia & per consequens (vt videtur) impossibile est aliquod aliorum remanere, cum indiuiduum substantia sit substantia prima. De primis enim substantijs dicit philosophus in pradicamentis. Destructis primis &cæt. Et hoc est quod dicit Commentator ipse ibidem, consequenter quia aufertus genus & differentia, & nihil remanet. Hæc omnia dicit Commentator, ad ostendendum qualiter secundum philosophum anima est actus primus corporis, ante quem non habet actum vel formam priorem. Et ideo dicit Commentator ibidem *octauo Metaphysica,* quod *corpus non existit sine anima*, quod esset manifeste falsum, si corpus mortuum anima recedente existeret idem quod prius. 2. de anima. t. com. 6. com. 16. 6.

Idem probauit sic. Forma substantiali recedente, quod remanet non est eiusdem speciei, sicut patet de corpore viuo & mortuo. Sed quæ differunt specie differunt numero secundum philosophum. Hoc autem non foret, si in corpore viuo essent plures formæ substantiales, tunc enim posset vna & eadem numero remanere alia recedente. t. com. 15.

Ex his videtur quod in animatis de quibus minus videtur, non potest poni nisi vna forma substantialis in eodem.

Idem probant per sententiam philosophi, & Commentatoris octauo Metaphysica

 qui sic

qui sic ait. *Omnis qui ponit quod corpus & anima sint duo diuersa conuenit ei dicere, quid sit causa ligamenti anima cum corpore. Qui autem dicit, quod anima est perfectio corporis, & corpus non praexistit sine anima apud ipsum, corpus & anima non erunt duo diuersa in actu, nec accidit quaestio hic, quia anima cum corpore est vnum, sicut & materia prima cum forma est vnum.* Ecce hic manifeste habetur, quod sicut materia prima formæ vnita nullum habet actum nisi per ipsam, nec est aliquid aliud actu ab ipsa, cum sit forma eius, actus primus & perfectio. Similiter & corpus animæ vnitum nullum habet actum nisi ab ipsa, nec est aliquid aliud ab ipsa actu, sed ipsa anima est eius actus primus & perfectio prima, quod non esset verum si corpus cōstitueretur in esse corporeo per aliquā formam præcedentem animam.

8. t. com. 82. *Istud etiam probat per sententiam philosophi & Commentatoris primo physicorum*, vbi dicit Commentator, quod *si materia haberet aliquam formam sibi propriam nullam aliam reciperet ipsa manente.* Et parum post dicit, quod *si haberet aliquam formam, forma essent accidentia*, ista non sequerentur si vna forma substantialis manens in materia, posset supra se aliam recipere.

9. t. com. 24. *Idem probant per dictum philosophi primo de generatione*, vbi vniuersaliter loquens de generatione, sicut patet ex hoc quod reprahendit Platonem, quod non est locutus nisi de generatione simplicium, sic dicit

dicit subiectum generationis non est quid aut quantum vel quale, sed solum hyle ens in potentia. Et probat *quinto physicorum*, quod generatio non est motus, quia scilicet huiusmodi ens in potentia nullo modo est mobile, prout patet ex verbis philosophi & Commentatoris ibidem. Sed si anima vel alia forma induceretur in materia prius informata forma substantiali praecedente, & postmodum remanente in eadem materia, post inductionem formae illius in ipsa materia cum illa forma quae continue maneret in ea foret subiectum generationis, & cum ex materia & forma tali necessario oporteat ponere quoddam compositum quod est hoc aliquid, scilicet corpus, & per consequens quantum & quale, & per consequens etiam mobile non solum ens in potentia, sed etiam formam & actum habens, manifestum est quod omnia praedicta à philosopho *quinto physicorum*, *& primo de generatione*, de subiecto generationis scilicet, quod non est quid nec quantum nec quale, nec per consequens mobile, sed solum hyle & ens in potentia falsa erunt. *T. com. 8.* *T. com. 8.* *t. com. 24.*

Qualiter vero non oportet ponere plures formas substantiales in eodem sic declarant qui retinent opinionem praedictam, vniuersaliter videmus quod vnam formam substantialem concomitantur, & sequuntur plures formae accidentales, sicut patet in vno elemento simplici, vt in igne vel aere in quo frustra fingerentur plures formae substantiales, vbi *Quomodo non oportet plures formas substantiales esse in eodem.*

multæ inueniuntur accidentales, vtpote caliditas, raritas, leuitas & diaphaneitas, quod vtique contingit ad hoc quod aliqua forma substantialis in materia inducatur, necesse est quod per quasdam formas accidentales materia disponatur. Verbi gratia, si in materia aeris induci debeat forma ignis, primo inducuntur in materia illæ formæ accidentales, vt raritas & caliditas, & huiusmodi ad susceptionem formæ substantialis ipsius ignis disponentes, & in eodem instanti quo terminatur alteratio ad huiusmodi qualitates, in summo inducitur ipsa forma substantialis ignis & est corruptio aeris, & quia formæ substantiales elementorum sunt imperfectissimæ. Hinc est quod sunt totaliter materiæ immersæ & maxime materiales, in tantum quod ipsas nō cōsequitur aliqua virtus actiua vel proprietas, nisi illæ formæ accidentales quæ erant dispositiones materiæ respectu earundem, verbi gratia, Caliditas, raritas & huiusmodi, quæ prius disponunt materiam aeris ad susceptionem formę ignis in gradu incompleto, postea consequuntur eius inductionem in gradu cōpleto, & non aliæ. Sicut vero animali qua vna qualitas prima consequitur inductionem formæ elementi vnius in corruptione formæ elementi alterius, ita ad inductionem formæ mixti sequitur quædam adæquatio secundum proportionem aliarum qualitatum, in cuius inductione necesse est formas elementorum corrumpi quæ prius erant in materia illa secundum substantiā. Nec potest intelligi quod
diuersæ

diuersæ formæ elementares maneant in eadē parte mixti ipsius, quā impossibile est perfici simul diuersis formis specificis; cuiusmodi sunt istæ formæ substātiales elementorū. Nec potest dici quod manet in diuersis partibus materiæ eiusdem. Tunc enim in mixto manerent elementa actu distincta, Nec esset per consequens mixtio nisi quo ad sensum forsan, & ideo oportet dicere secundum philosophum, quod formæ substantiales elementorum non manent in mixto actu sed virtute, Licet enim in inductione formæ substantialis ipsius mixti corrumpantur formæ substantiales elementorum, quia tamen quatuor qualitates eorundem aliqualiter adæquate consequuntur formam substantialem mixti, quæ quidem qualitates sunt virtutes actiuæ ipsorum, & quasi instrumenta formarum substantialium eorundem. Hinc est quod elemēta dicuntur manere in mixto virtute & non actu secundum substantiam suam.

Ex his euidenter apparet, quod in mixto non oportet ponere plures formas substātiales, sicut nec in vno simplici elemēto; licet in mixto sint plures formæ accidentales quam in vno elemento; quoniam præter quatuor qualitates elementares per quas disponitur materia ad susceptionem formæ mixti, & quæ ipsā consequuntur in quadam media proportione, consequitur ipsam formam mixti aliqua virtus actiua propria, quæ dicitur virtus habens speciem. Verbi gratia, Virtus qua Adamus trahit ferrum, & Saphyrus occidit anthracem, & huiusmodi,

Primo de generatio. 1. com. 84. in mixto non ponū tur plures formæ substantiales.

Digitized by Google

& sic patet qualiter forma mixti quæ perfectior & nobilior est, habet in se actualiter ipsas qualitates primas, quæ sunt virtutes propriæ elementorum cum quadam virtute interiore sibi propria. Sicut enim naturali ordine ex elementis, quorum formæ inter formas substantiales sunt imperfectissimæ & maxime materiales vt prædictum est generatur mixtum, cuius forma est perfectior, & propter hoc etiam virtuosior continens in se virtualiter ipsas formas elementorum, & addens vlteriorem virtutem & perfectionem. Simili modo ex vno mixto minus nobili naturali ordine generatur mixtum nobilius, cuius forma non solum addit virtutem supra virtutes elementares: sed etiam supra virtutem mixti ex quo generatur. Verbi gratia, Sicut lapides fiunt ex elementis tanquam ex propria materia, quorum formæ substantiales addunt virtutes spirituales speciem consequentes supra virtutes elementorem. Sic de lapidibus quibusdam fiunt diuersa metalla quasi ex materia propria, lapis quidem calore solutus in æs conuertitur. Et isto formæ substantiales metallorum non solum addunt supra virtutes elementorum in ipsis magis proportionata quam in lapidibus ex quibus generantur; sed etiam aliquam specialem virtutem vlteriorem supra virtutem ipsorum lapidum ex quibus generantur. Aurum enim habet virtutem mundificatiuam, immo alias virtutes multas quæ excedunt virtutes non solum elementorum, sed etiam illius mixti quod unque

Digitized by Google

que sit illud ex quo aurum generatur. Istud est magis euidens in alimento quod vel fit ex elementis, cuius forma substantialis addit virtutem consequentem speciem supra virtutes elementares, ex quo quidem alimento sumpto animali generatur semen, cuius forma est nobilior, & addens vlteriorem virtutem; ex quo semine generatur sanguis cuius forma est adhuc nobilior & addens ad vlteriorem perfectionem, ex quo sanguine generatur embrio, cuius forma est nobilior addens adhuc plures & nobiliores virtutes, vtpote generatiuam & sensitiuam. Ex hoc tandem generatur homo vel equus, cuius forma est nobilior, addens virtutem sensitiuam perfectioré quo ad formam equi, simul cum hoc virtutem intellectiuam quo ad formam hominis. Ex his patet quod corpora illa quorum natura est imperfectior & ignobilior sunt principia materialia, ex quibus fiunt corpora melioris naturæ quæ habent in se virtutes illorum corporum ex quibus fiunt, supra quas addunt virtutes & perfectiones vlteriores plures & perfectiores vel pauciores secundum gradum perfectionis & nobilitatis suæ naturæ. In illis enim in quibus ratione perfectionis suæ naturæ est nobilior aut multiformior dispositio materię plures ac nobiliores inueniuntur virtutes formam substantialem materiam totaliter dispositam perficientem consequentes. Verbi gratia, quia in aliquibus perfectis animalibus nobiliter ac multiformiter disponitur materia ad illius formæ nobilis susceptionem,

nem, idcirco substantialem formam huiusmodi animalium perfectorum multæ nobiles consequuntur virtutes tã vegetatiuæ quã sensitiuæ. Et quod omnes istæ virtutes possint consequi vnam formam substantialem sic declaratur. Manifestum est quod anima sensitiua est forma simplex existens in toto animali & in qualibet eius parte, & tamen ipsam consequuntur valde multę virtutes, quarum quędam sunt alijs nobiliores secundum nobiliorem dispositionem materiæ vel minus nobilẽ in partibus illius animalis. In illis enim partibus materiæ animalis in quibus minus nobilis dispositio inuenitur ad animam, illam partem materiæ perficientem non consequitur nisi virtus sensitiua scilicet tactus; minimæ nobilitatis. In alijs vero partibus nobiliori modo dispositis consequitur vna cum virtute tactiua alia virtus vlterior scilicet gustatiua, visiua, auditiua vel olfactiua, quæ differũt in gradu nobilitatis secundum differentẽ dispositionem materiæ nobiliorem vel minus nobilẽ. Aliqua verò pars materiæ animalis tã nobilẽ habet dispositionem, quod animã sensitiuam perficientem illam partẽ materiæ cõsequitur virtus sensitiua communis. Aliæ etiã partes materiæ eiusdem adhuc nobiliorẽ habent dispositionem ita vt ad animam sensitiuam perficientem illas partes materiæ consequantur quædam virtutes quę dicuntur viribus sensitiuis nobiliores & superiores, cuiusmodi sunt imaginatiua & æstimatiua quæ quandam similitudinem habent cũ potentia rationa-

Anima sensitiua est forma simplex existens in toto & parte qualibet totius.

Digitized by Google

rationalis animæ. Ecce qualiter ad vnam animam sensitiuam quæ est vna forma simplex secundũ quod perficit eandem materiam diuersimode in diuersis partibus suis dispositã, ita diuersæ consequuntur sensitiuæ virtutes quarum aliqua parum excedit virtutem vegetatiuã. Verbi gratia, Tactus & alia virtus, vt æstimatiua, præcipue quæ percipit intentiones non sensatas, habet vicinitatem & similitudinẽ cũ natura rationali: Similiter etiam est ponendum secundũ sanctos, quod in homine non est nisi vna forma simplex, ad quam cõsequuntur vires vegetatiuæ & eatenus dicitur anima vegetatiua, & omnes prædictæ virtutes sensitiuæ & eatenus dicitur anima sensitiua, & vlterius virtus intellectiua, & eatenus dicitur anima rationalis. Istud tenendum est pro certo, quia huiusmodi oppositum recitatur ab S. Augustino inter errores, & merito, quia si virtus vegetatiua & sensitiua non radicarentur in ipsa essentia animæ rationalis in homine, nec ipsam perficientem materiam corporis humani consequerẽtur, manifestum est quod nulla virtus esset in humano corpore ratione intellectiuæ animæ sibi vnitæ ex quo posset concludi quod non vnitur corpori vt forma, sed solum vt motor, quod est hæreticum. Videmus enim quod ad omnem formã perficientem materiã quamcunque consequitur aliqua virtus ex hoc ipso quod materia & forma illa perficitur, sicut patet in omnibus inductiue. Nec potest fingi instantia nisi in proposito, & huiusmodi instantia quoniam nulli innititur rõni, friuola est & omnino vana, sed

nulla ratio cogit ponere in homine tres animas; immo nec per consequens plures formas substantiales, & hoc patere potest ex dictis *supra in solut. art. 31. & 33.*

Tamen ne videar magnis hominibus qui sunt contrariæ opinionis derogare vel præsumptuose non deferre, nihil assero; nec eorum opinionem contra fidem vel philosophiam esse dico, tantum hoc mihi videtur, quod aliqua errori propinqua videntur sequi ex illa opinione; quæ ponit plures formas substantiales in eodem indiuiduo, præcipue in philosophia, cuius principia secundum doctrinam philosophi & Commentatoris falsificantur, si positio illa vera dicatur quantum scio eam intelligere. Et ecce coram Deo quia non mentior, si scirem argumenta quæ hoc ostendunt dissoluere, vt quacunque credebã, responsionem per singula posuissem. Sed sicut nihil pertinaciter affirmo, ne sim præsumptuosus; sic meam recognoscens impotentiam vel ignorantiam; nihil respondeo ad argumenta prædicta, ne ficta & fatua dicere cogar, forsan docebit nos respondere vel alius aliquis, cui Dominus istam veriatem lucidius voluerit reuelare, ipse Dominus noster Iesus Christus doceat nos & in alijs articulis prætactis veritatem inuestigatam intelligere, & intellectam docendo declarare ad eius laudem & honorem cui est gloria per infinita sæculorum sæcula.

(∴)

ABDI-

Digitized by Google

ADDITIO AD PRAEDICTA BENE
notanda articuli 49.

QVI volunt rationes prædictas ad ea quæ fidei sunt pertractare, inuenient positionem de pluralitate formarum substantialium in eodem multo amplius quam illam de vnitate fidei Christianæ repugnare. Quod sic potest patere; Si enim duæ formæ substantiales non compatiuntur se in eadem materia numero propter simplicitatem conditionem, prout probant duæ rationes primæ manifestum est quod qui hoc supposito poneret in corpore Christi aliquam formam substantialem aliam ab eius anima, eo ipso necessario habet negare animam eidem corpori inesse, & per consequens illud corpus assumptum à verbo nunquam fuisse animatum vel viuum, nec per consequens mortuum, nec subiisse illam mortem, sed mortis illius causam concurrere.

Item hoc dicendo eodem, quo posito, cogeretur ponere quod anima intellectiua non vnitur corpori nisi iam formam substantialem habenti vel forma, & per consequẽs à corpore peccatũ originale non contraheret, pro quo tamen delendo Christus mortuus est, & ad quod delendum sacramentum mortis suæ scilicet principaliter ordinatur. *Hoc idem patet*, si quælibet forma substantialis ponatur dare suo susceptiuo aliquod esse sui generis, quod est per se subsistere, prout probat tertia ratio, sic enim necesse est positionem multarum formarum intelligere, quod corpus ante aduentũ

animæ per se subsistat, & pari ratione, immo multo fortius quod anima à Deo creata esse habeat ad minus prius natura quã vniatur corpori, & ex hoc sequitur vt videtur, quod ex tali corpore & ex tali anima cum sint duo actu diuersa cum esse diuerso, & diuersa per proprias formas seorsum subsistentia nunquam fieri potest vere vnum. Ex quo sequitur non solum quod anima intellectiua nihil à corpore cui vnita est vt forma contrahat, immo quod ipsa eadem numero (prout finxit Auerrois) in omnibus hominibus existat, & multa alia quæ secundum fidem Christianam vtpote falsissima condemnantur ex præfata positione de formarum substantialium pluralitate in eodem (vt nonnulli existimant) consequuntur. Sed hoc qualiter debeat diffiniri alterius est negocij. In hoc autem opere nihil aliud quam ad ea quæ aduersarij doctoris nostri eximij obijciunt responsio ponitur & ponetur.

3. de anima com. 5.

Finit responsio ad obiecta contra primam partem Summæ S. Thomæ de Aquino ordinis fratrum prædicatorum in artic. 49.

(.·.)

COR-

CORRECTORIVM CORRVPTORII VERBORVM S. THOMAE IN PRIMAM Secundæ dictorum.

ARTICVLVS I.

IN PRIMA secundæ *q. 3. ar.* 3. in responsione principali dicit S. Thomas *quod ad beatitudinem duo requiruntur, vnum quod est essentia beatitudinis, & aliud quod est quasi per se accidens eius scilicet delectatio ei adiuncta.* Dicit ergo *quod quantum ad illud quod est essentialiter beatitudo impossibile est quod consistat in actu voluntatis. Cuius ratio est, quia beatitudo est consecutio vltimi finis; consecutio autem finis non consistit in actu voluntatis, voluntas enim fertur in finem etiam absentem cum ipsum desiderat & in præsentem, cum in ipso quiescens delectatur; manifestum est autem quod ipsum desiderium finis non est consecutio finis; sed est motus ad finem, delectatio autem aduenit voluntati ex hoc quod finis est præsens voluntati.* Hæc de S. Thoma.

S. *Th.* 1. 2. *q.* 3. *ar.* 4. *duo requiruntur ad beatitudinem.*

Digitized by Google

Tria hic controuersa sunt.

TRIA hic dicit vel dubia vel simpliciter falsa, *primum* est quod delectatio adiuncta beatitudini est accidens beatitudinis & non de essentia beatitudinis. *Secundum* quod actus voluntatis non pertinet essentialiter ad beatitudinem. *Tertium* non dicit hoc expresse sed ex arg. quod facit sub his verbis, patet quod hoc intendit scilicet quod delectatio concomitans visionem diuinæ essentiæ vere est actus voluntatis, & hoc expresse dicit q. 4. ar. 2. in respon. prin. sub his verbis, *oportet quod operatio intellectus quæ est visio sit potior delectatione, delectatio enim consistit in quadam commētatione voluntatis.* Primum igitur quod de-

1. lectatio est accidens beatitudinis & non essentialis ei, erit dubium vel simpliciter falsum.

S. Aug. Dicit enim S. Augustinus 10. Confess. loquens ad Deum, *Beata vita est gaudere de te, propter te ipsa est & non est altera.* Et idem. *Beata vita est gaudium de veritate.* Ex his verbis S. Aug.

2. patet, quod gaudium est essentialiter beatitudo vel aliquid de essentia eius, Et si gaudiū vtique & delectatio, quia delectatio est genus,

Auin. & gaudium species eius, sicut dicit Auicen. 6. *naturalium parte 4. ca. 5.*

3. *Ad idem* facit auctoritas *philosophi 8. ethi. ca. 8. & Commen. ibidem.* Dicit enim philosophus. *Continue autē nullus sustineret neque ipsum bonum si triste ipsi inerit, ibi Commen. ipsum bonum quod aliud est quam felicitas, quod est impossibile triste esse.* Sed ex suppositione Aristot. dicit. *Si tristē felicitas faceret vitam, nullus vtique vellet felicem esse.* Hæc

se. Hæc Commen. & constat, quod illud est de essentia beatitudinis sine quo beatitudo non potest appeti vel non est appetibilis. Secundũ quod dicit scilicet quod actus voluntatis non est de essentia beatitudinis falsum videtur. Constat enim quod beatitudo est summũ bonum rationalis creaturæ ergo necesse est quod beatitudo ex quo consistit in actu quod consistat in actu eiusdem potentiæ in cuius actu consistit essentialiter rationalis creaturæ bonitas, sed hoc est in actu voluntatis, quia in delectatione perfecta, ergo in actu voluntatis quæ est delectatio perfecta essentialiter & principaliter consistit ipsa beatitudo. 1.

Item constat, quod rationalis creatura summe dicitur appetere ꝙ Deus sũmè expetit ab ipsa & magis quod magis, sed à rationali creatura magis expetit amari perfecte quam videri, & hoc magis approbat in creatura tam in patria quam in via, ergo rationalis creatura hoc magis dicitur appetere & hoc faciendo magis quietari, & talis actus essentialis est, immo essentialissimus beatitudini, & constat quod ipsa est actus voluntatis. 2.

Item S. Aug. in li. 1. de doc. Christiana. dictum 3.
inquit *est re frui quam diligimus propter se, & ea re fruendum est nobis qua efficimur beati, ex quo patet quod fruitione & delectatione qui sunt actus voluntatis sumus beati.* S. Aug.

Item S. Aug. 2. *sup. Gen. ad literam*. loquens de 4.
statu patriæ. *Vita est*, inquit *& tota virtuosa diligere quod amas, & summa felicitas in eo habere quod amas*, sed Dominus prius habetur per amorẽ S. Aug.

 quam

quam per cognitionē, ergo essentia beatitudinis magis est in amore qui est actus voluntatis, quam in videre vel cognoscere quod est actus intellectus. *Item* Hugo *in Hierar. Ang.* loquēs de beatitudine proprie dicit. *Ibi cognitio illuminat & delectatio satiat.* Et ibidē in eodē loco, *Dilectio supereminet scientia & melior est quā intelligentia, plus enim diligitur Deus quam intelligatur, sed in actu supereminenti & meliori est beatitudo, ergo est in amore qui est actus voluntatis.*

Hugo.

Tertium quod dicit, quod delectatio concomitans visionē diuinæ essentiæ est actus voluntatis, dicimus hoc esse falsum, quia delectatio concomitans actum alicuius potentiæ non impeditæ est in eadem potentia in qua est ipsa operatio, delectatio enim quæ est in videndo pulchra & delectabilia est in oculis, teste *Eccl.* 11. *Dulce lumen & delectabile oculis videre solem*, non dicit delectabile voluntati, & tamen ponimus quod si voluntas appetit videre solem, quod videndo per oculos delectatur alia delectatione, quia impletur appetitus eius. Ad hoc autē quod operatio & concomitās delectatio sint in eadē potentia facit dictū Auicennæ *[?] canonis. cap. vltimo. Delectabile est* inquit *sentire conueniens.* Et in meta. sua, *lectione 13. cap. vlt. Scias* inquit *quod delectatio vniuscuiusque virtutis est plena acquisitio suæ perfectionis, & ideo sensui sensata conuenientia, & iræ vindicta, & spei consecutio, & vnicuique rei id quod est proprium sibi.*

Eccl.

Auic.

Item Algaçel. *metaph. sua cap. 42. Delectatio est perceptio* inquit *rei conuenientis, dolor autē est*

Algasel.

perceptio

Digitized by Google

perceptio rei nociua, vnde absque dubio delectatio concomitans, Dei visionem manifestantē in intellectu, & delectatio concomitans Dei dilectionem est in voluntate.

Ad rationem suam respondendum est, cum dicit vt prætactum est, *quod beatitudo est consecutio finis vltimi, quod non attingit voluntas vel actus eius qui est desiderium vel delectatio, &c.* *Resp.*

Dicendum, quod primum verū est, scilicet quod beatitudo est consecutio vltimi finis. Sed secundum falsum est scilicet quod hunc non attingit voluntas, quia licet non attingat vel assequatur eum per desideriū vel per delectationem assequitur tamē hunc finē per actū voluntatis qui est diligere, vt visum est supra, de quo actu tacet quasi non esset alius actus in voluntate quam desiderium vel delectatio, quod falsum est. Quæ enim diligere sit alius actus quā desiderare vel delectari patet, quia desiderium in eo quod huiusmodi est rei absentis vel præsentis, non secundum quod præsens est, sed aliquo modo vt futura est ad vsum vel fruitionem. Delectatio autem præcipue rei spiritualis est potissime vt præsens est & vt habita. Dilectio autem est causa delectationis & desiderij, causa autem non est effectus, ergo dilectio non est desiderium vel delectatio, est tamen actus voluntatis, delectatio autem non est proprie actus voluntatis, sed accidens concomitans actus cuiuslibet potentiæ & virtutis circa proprium obiectum.

Beatitudo est consecutio vltimi finis.

Ioan. 17. Ad illud dictum Ioan. 17. *Hac est vita aeterna vt cognoscant te, &c. dicendum*, quod Dominus cognitioni vitam aeternam tribuit, non quia in cognitione consummatur sed inchoatur, quia non amas nisi cognitum. Attribuit etiam potius cognitioni quam amori, quia visio essentiae diuinae distinguit magis statum viae à statu patriae quam dilectio, quia non videtur in sua essentia nisi in patria. In via autem fertur dilectio in diuinam essentiam, & etiam in patria, sed huiusmodi non est nisi inchoatio in via & consummatio in patria.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

QVALITER beatitudo creata principaliter & essentialiter pertineat ad actum intellectus, & qualiter obiecta qua fiunt in contrarium solui debeant, luce clarius declarat S. Thomas contra *Gentiles libro 3. cap. 14. per totum*, vnde ista quae dicunt hic, ibi totaliter annullant, si dicta S. Thomae dictis eorum applicentur. Auctoritates vero quas pro se adducunt, si recte intelligantur nihil pro ipsis faciunt.

S. Tho. contra gent.

S. Aug.

Ad primũ *Prima enim auctoritas* S. Augustini qua dicitur Deo de vita beatam, *Beata vita est gaudere de te propter te.*

Ad 2. Et similiter secunda, *Beatitudo est gaudium de veritate*, sic habet intelligi quod ipsam visionem Dei per essentiam in qua consistit ipsa essentia beatitudinis, concomitatur summum

summum gaudium ex illa visione Dei siue primæ veritatis prouenìens. Et quia in præsēti possumus aliquo modò in ipsam diuinam essentiam ferri per amorem, & de ipsa gaudere ac delectari propter se. Et in visionem diuinæ essentiæ intuitum intellectus nostri ferre non possumus in præsenti. Hinc est quod gaudiū habemus, de Deo propter Deū quod essentiam beatitudinis cōcomitatur, magis est nobis notū quam visio Dei per essentiá, in qua ipsa essentia beatitudinis consistit, propter quod ipsa beatitudo satis congrue in prędictis verbis S. August. describitur nobis per illud gaudium tanquam per quoddam nobis magis notum, sic quando natura rei in essentię nos latet, vel non satis prius describimus ipsam per proprietates ipsam consequentes nobis magis notas, sicut si dicam. Ignis est summe calidus, vel adamas est ferri attractiuus, sic certe describit S. August. naturam beatitudinis minus notam. (*Oculus enim non vidit Deus absque te &c.*) per delectationem ex visione prouenientem nobis notiorem. Sed alibi diffinit eā per id quod ei est essentiale dicens, quod *visio est tota merces*, quod diffinitioni cōsonat ipsius veritatis dicentis. *Ioan.* 17. *hac est vita æterna vt cognoscant &c.* quod attendens illa Beatam aquila Ioan. scilicet Euangelista *in* 1. *can.* [illegible] *ca.* 3. *Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Simile Ioannes

Ex dicto autem philosophi & sui *Commen.* 8. *Ethi.* non plus potest concludi nisi quod delectatio necessario consequitur consecutionē

beatitudinis siue vltimi finis, non quod sit de eius essétia. Sicut habere tres Angulos necessario est consequens esse ipsius trianguli, quãuis non sit de eius essentia, vnde sicut non est possibile quod esset triangulus & non haberet tres angulos, ita non essent bonum finale vel fœlicitas secundum philosophum & Com. ad cuius consecutionem non delectatio sed tristitia sequeretur. Est igitur beatitudo appetibilis absque eo quod delectatio infra suam essentiam includatur, quamuis necesse sit quod delectatio eius assecutionem consequatur, sicut ad esse subiecti necessario sequitur ei⁹ passio, quæ tamen non est de eius essentia, sicut patet in exemplo tacto. Primum igitur quod dicit S. Tho. sc. quod delectatio non est de essentia beatitudinis, quod nituntur improbare. Ex dictis S. Tho. hic & alibi euidentissime declaratur. Nullius enim potentiæ actus est primum ac principale obiectum eius. Cum igitur beatitudo in aliquo actu consistens sit obiectum primum & principale ipsius voluntatis inter omnia creata, impossibile est quod actus ille siue illa beatitudo sit actus voluntatis. Licet enim ponatur quod actus dilectionis in patria qui est actus ipsius voluntatis sit æque bonus vel etiam melior, non tamen potest pertinere ad essentiam beatitudinis, quæ consistit in actu, qui est obiectum ipsius primum vt dictum est.

Ad primũ Aliæ sunt rationes satis efficaces ad idem contra Gen. *libr. 3. cap. 26.* vbi respondetur ad illud quod isti primo obijciunt in proposito sic.

Digitized by Google

sit. Non oportet quod omne illud quo res perficitur quocunque modo sit finis eius. Est enim aliquid perfectio alterius dupliciter. Vno modo vt habẽtis speciem. Alio modo vt ad habendã speciem, sicut perfectio domus secundũ quod iam habet speciẽ, est id ad quod species ordinatur vt est habitatio. Non enim domus fieret nisi propter hoc, vnde & in diffinitione domus oportet hoc poni, si debeat esse diffinitio perfecta, perfectio autem ad speciem domus habendã est tam illud quod ordinatur ad speciem constituẽdam sicut principia substantialia ipsius quam illud quod ordinatur ad speciei conseruationem, quam etiam illa quæ faciunt ad ipsius pulchritudinem. Illud igitur quod est perfectio rei secundum quod iam habet speciem est finis eius, vt habitatio est finis domus, similiter qualibet operatio cuiuslibet rei, quæ est quasi eius vsus est finis eius, quæ autem sunt perfectiones ad speciem rei non sunt finis eius, sed res est finis ipsarum. Materia enim & forma sunt propter speciem, licet enim forma sit finis generationis, non tamen est finis generati & speciem habentis, immo ad hoc quæritur forma vt species sit completa. Similiter conseruantia rem in sua specie, vt sanitas & vis nutritiua, licet perficiant animal, non tamen sunt finis animalis, sed magis econuerso. Ea etiã quibus aptatur res ad proprias operationes speciei perficiendas, & ad debitum finẽ congruenti consequendum non sunt finis rei, sed magis econuerso, sicut pulchritudo hominis & robur corporis & alia eiusmodi de quibus dicitur primo ethi. quod deseruiunt organica fœlicitati. Delectatio autem est perfectio operationis, non ita quod ad ipsam

Dupliciter est aliquid perfectio alterius.

com. 12.

BIBLIOTHEQUE DE LA ... LYON 1893

Digitized by Google

sam ordinetur operatio secundū suam speciem, scilicet ordinatur ad alias fines, sicut comestio secundū suam speciem, ordinatur ad conseruationem indiuidui, sed est similis perfectioni quæ ordinatur ad speciem rei, nam propter delectationem attentius & diutius insistimus operationi in qua delectamur. Com 4. *Vnde n.10.Ethi.philosophus dicit, quod delectatio perficit operationem sicut decor iuuentutem, qui scilicet decor est propter eum cui inest iuuentus, & non econuerso. Bonitas ergo creaturæ rationalis cōsistit in delectatione perfecta tanquam in eo quod ordinatur ad eius operationē nobilißimam visionem, scilicet diuinæ essentiæ quam delectatio ipsa concomitatur.* Et ex hoc non potest concludi quod ista debeat dici finis, sed illa operatio benedicta.

Ad 2. *Si tamen velint dicere* quod bonitas creaturę rationalis consistat in delectatione perfecta; secundū quod prætēdit secūda ratio, tunc ad istā rationem primā & secundam respondeamus eodem modo, videlicet quod quamuis delectatio perfecta pertineat ad bonitatē creaturæ rationalis, prout dicitur in argumēto, & illud etiam sit quod Deus magis expetit à creatura rationali, non tamen potest habere rationem finis vltimi & beatitudinis propter rationem prætactam, nō enim potest esse primum obiectum voluntatis, quod pertinet ad rationem beatitudinis, cum sit actus eius per quē tali obiecto copulatur. Illud tamen quod Deus maxime expetit à creatura rationali, quod scilicet ipsum diligat, habet intelligi in via & sub ratione meriti, per hoc enim quod præcep-

præceptum Dei implemus de dilectione, vt nobis possibile est in via, quod ipse pro merito vitæ æternæ (quæ consistit in Dei visione) à nobis expetit, consequimur visionem Dei in patria. Expetit ergo Deus dilectionem sui à creatura tanquam id per quod ad suum finẽ, diuinam scilicet essentiam attingat, non quod ipsa dilectio rationem finis habeat.

Ad tertium dicendum est, quod secundum S. Augustinum ea re fruẽdum est qua efficimur beati, non tamen sequitur quod beatitudo consistat in fruitione, sed in eo ex quo causatur ista fruitio, & hoc est actus visionis essentiæ diuinæ. *Ad 3.*

Ad quartum dicendum, quod illud verbũ S. August. quod adducunt contra S. Thom. factum pro eo. Ait enim. *Summa fœlicitas est habere quod amas*, habere enim non est amare, amatur enim res antequã habeatur. Ex amore enim est quod non habitum desiderio quęratur, & si amor iam habiti perfectior sit ex hoc quod bonum amatum habetur, aliud igitur est habere bonum quod est finis quam amare, quod scilicet amare ante habere est imperfectum, post habere est perfectum. Habere igitur quod amas in patria est videre Deũ per essentiam quem summe amas ibidem. Illud enim habere cum præcedat istum amorẽ summum sicut patet ex dictis, & sit eius causa, necesse est quod pertineat ad actum illius visionis beatę & non ad actum dilectionis vel amoris. Et quod illi dicunt quod Deus habetur potius per amorem quam per cognitionem, *Ad 4.* *Explicatur S. Augustin.*

nem, hoc pro tanto habet veritatem in statu viæ, quod habere Deū per gratiā inhabitātem in via, super actū gratuiti amoris concomitatur & non super actum cognitionis, quia habetur fidei cognitio quādoq; sine gratia quādo fides est informis. Sed in patria vbi Deū videbimus per essentiā actu cognitionis perfecte habebitur appræhensus, & eo ipso reuera ipsum sic habitum & appræhensum summe amabimus.

Ad minorem dicēdum, quod in statu viæ Deus plus diligitur quā intelligatur. Et huius ratio est, quia in præsenti non intelligitur Deus nisi per speculum & in ænigmate per cognitionē creaturarum per creaturas, quæ quidem cognitio Dei in ratione sua quandā imperfectionē includit, tamen ipsum Deū sic imperfecte cognitū per aliud, possumus per se diligere, & nō per aliud, & per consequens nec propter aliquid aliud, vnde ista dilectio Dei in ratione sua imperfectionem non includit. Quia. n. dilectio non est perfecta in via, accidit aliunde, videlicet quia vel cōcupiiscenta est in mēbris quæ mentem retrahit ne possit Deum toto affectu diligere, quod est toto corde secundum S. Aug. vel potius ideo non est adeo perfecta in via, etiam circumscripta omni cōcupiscētia sicut in patria propter diuinæ cognitionis imperfectionem cui innititur, nihil. n. nisi cognitum diligitur, quando igitur dilectio quæ est de suā ratione perfecta (propter quod secundum Apostolum *charitas nunquam excidit*) innititur perfectæ cognitioni diuinæ

1. Cor. 13.

per-

per essentiam, tunc reuera habebit perfectionem consummatam, quam cognitionem non habemus in via sed solum in patria.

Quod autem dicit Hugo, quod *dilectio supereminet scientiæ & est melior*, sic habet intelligi secundum doctrinam S. Thom. *in responsione quarti argumenti huius articuli*, quod dilectio supereminet cognitioni in mouẽdo, sed cognitio supereminet dilectioni in attingendo, non enim diligitur nisi cognitum, vt dicit S. Aug. 4. *de tri.* & ideo intelligibilem finem primo attingemus per actionem intellectus, ipsum scilicet finem per suam essentiam appræhendentis multo nobilius quam finẽ sensibilem per actionem sensus appræhendentis ipsum solum per suam speciem, vnde consecutio finis intelligibilis intellectu per suam essentiam consumatur perfectissime in actione ipsius intellectus sic intelligentis, propter quod ipsa essentia beatitudinis creatæ in eius actione consistit.

Quia autem tertium dicunt esse falsum, sc. delectationem actum cognitionis vel *visionis* concomitantem esse actũ voluntatis, videtur fundari super mentem. B. August. Docet enim ipse *de tri. lib.* 11. quod in visione tam interiori quam exteriori, ipsa voluntas copulat & tenet aciem vel actum virtutis visiuæ cum specie rei visæ quæ videtur. De visu enim exteriori dicit *sic ibidem c. 7. Volũtas animi rei sensibili sensum admouet, & in eã ipsam visionẽ tenet.*

Et

Et post pauca. *Voluntas enim tantam vim habet copulandi hæc duo, vt & sensum formandum admoneat ei rei quæ cernitur, & in ea formatum teneat.* De visione autem interiori sic ait *infra c.1.9. Ita fit illa Trinitas ex memoria & interna visione, & quæ vtrumque copulat voluntate.* Si igitur illud cum quo fit illa copula fuerit, conueniens oritur delectatio, si discõueniens tristitia & dolor. Delectatio igitur inuenta in actione potentiæ visiuæ seu cognitiuæ cuiuscũque, quoniam ad eadem ratio est, ad volũtatem pertinet, sicut patet ex ista doctrina B. August. Istud etiam patet manifeste per hoc, quod idem est principium motus & quietis ipsum terminantis, sicut patet, quoniã graue vel leue per idẽ principium mouetur ad suũ vbi, & in eodem quiescit. Cum igitur desiderium quo quis videre desiderat aliquid, sit motus cuius principium sit voluntas manifestum est quod ipsa voluntas erit principium delectationis concomitantis actum visionis, cum delectatio sit quædam quietatio, in quã præcedens desiderij motus terminatur. Istud igitur negare erit signum ignorantiæ.

Desideriũ est motus cui⁹ principium est voluntas.

Ad primum cum dicunt, quod quælibet potẽtia delectatur in actu circa obiectum sibi conueniens, prout dicitur. *Dulce lumen & delectabile oculis videre solem.*

Dicendum, quod ista delectatio dicitur ad actum aliarum potentiarum appræhensiuarum pertinere, propter hoc quod oritur & causatur mediante actione potentiarum appræhensiuarum, & vt dictum est, ipsam concomi-

comitatur ex appræhensione obiecti conuenientis, non quod ab ipsis potentijs cognitiuis per se eliciatur, hoc enim non est intelligibile, sicut potentia cognitiua non mouetur motu desiderij suæ perfectionis per se, sed per voluntatem, sicut patet per verba S. Augustini prætacta sic nec tenetur nec quietatur in sua actione vel perfectione quod est delectari, nisi per actum voluntatis, vt patet ex verbis prius habitis.

Ad secundum dicendum, quod delectatio est secundum Auicen. sentire conueniens, non quod ipsa delectatio sit actus per se à sensu elicitus, sed pro tanto delectatio sentire conueniens dicitur, quia ipsum concomitatur & ab ipso causatur, sicut patet ex dictis. Dicit enim Auicen. quod delectatio cuiuscunque virtutis est acquisitio suæ perfectionis ratione causalitatis & concomitantiæ prædictæ perfectio enim potentię cuiuslibet est sua propria operatio, ex cuius acquisitione acquiritur vel oritur delectatio, & ipsam vt dictum est concomitatur.

Ad tertium patet per idem. Quod enim dicit Algaçel. quod delectatio dicitur perceptio rei conuenientis, eo modo habet intelligi quo prius, non quod perceptio ipsa sit delectatio ipsa formaliter, sed vt tactum est causaliter, quia per actum perceptionis ipsius appræhẽsiuæ causatur delectatio quæ est actus ipsius motiuæ. Vnde sine dubio nullo mõ concludi potest ex istis quæ adducunt quod delectatio concomitans visionem Dei sit in intellectu

 tanquam

Digitized by Google

tanquam ab ipso elicitus: immo à voluntate potius. Ex hoc enim quod illa res summe dilecta videbitur sicut est, summa quædam delectatio & vnica perfectissima orietur. Nec debet dici quod vna concomitatur actum cognitionis & actum dilectionis alia, hoc enim ex falso intellectu procedit eorum qui nõ attendunt quod actus potentiæ cognitiuæ & affectiuæ sunt connexi, ita quod actus ipsius affectiuæ siue volũtatis causatur ab actu intellectiuæ vnde delectatio quæ causatur ex Dei visione est ipsius voluntatis.

Quod isti dicunt respondendo ad argumentum, S. Th. quod voluntas attingit vltimum finem per actum dilectionis, quem S. Th. arguendo omittit quasi non esset. Salua pace eorum nõ dicunt verum. Non enim intẽdit S. Th. quod actus dilectionis non sit, vel quod sit omnino indifferens ad desiderio & delectatione. Et ideo probat *contra Gentiles lib. 3. cap.* 25. quod *nec in amare nec in desiderare nec in delectari potest consistere essentia beatitudinis.* De desiderio planũ est, & de delectatione similiter ex his q̃ dicit hic & ibi. De ipso autem actu dilectionis quo voluntas (vt dicũt) vltimũ finẽ attingit, sciendum quod licet ipsa voluntas per actum dilectionis ipsi fini copuletur & coniungatur. Attingitur tamen & habetur finis per actum cognitionis, & per hoc voluntas ipsi fini habito & consecuto copulatur actu amoris summo, vnde in actu cognitionis sicut finem attingente in assequendo consistit essentia beatitudinis. Actus etiam dilectionis qui est actus voluntatis ipsius, non potest esse primum ob-

iectum

iectum eiusdem, & per consequens (vt patet ex dictis) nō potest in eo poni beatitudo quãtum ad suam essentiam.

Quod vero dicũt cõsequẽter, quod delectatio nō est act⁹ volũtatis proprius, planũ est ex dictis ꝙ falsũ dicunt, immo est actus volũtatis proueniens ex hoc quod potentia appræhensiua actu sibi conueniente perficitur, vnde est act⁹ voluntatis, vtpote ab ipsa elicitus. Et dicitur esse aliarum potentiarum; quarum actus (vt dictum est) concomitatur.

Et quod dicũt ad illud quod S. Th. adducit de *Ioan.* 17. Hæc *est vita æterna* &c. quod Domin⁹ attribuit vitã æternã cognitioni, quia in cognitione beatitudo inchoatur vel initiatur; quæ quidem cognitio Dei per essentiã distinguit statũ viæ à statu patriæ si bene pertractetur, non soluit arg. S. Th. sed magis concludit eius propositum. Id. n. potius dicitur de essentia rei ipsã rẽ in speciẽ constituẽs, per quod ab alijs distinguitur, quã illud quod non est huiusmodi, sed tunc habetur beatitudo quando habetur actus visionis diuinæ essentiæ, & non oportet quod habeatur beatitudo quãdo habetur actus dilectionis eiusdem. Fertur. n. dilectionis actus in diuinam essentiam, etiam in via, vt patet ex dictis prius, & isti hoc volunt, & dicunt hoc. Ex hoc manifestum est quod actus dilectionis non est ipsa essentia beatitudinis. Sic enim ipsa habita haberetur vita æterna. Sed actus cognitionis, Dei per essentiam sic beatitudinem initiat, vt in eo finem vltimum intelligibilem perfectissime in

Digitized by Google

patria attingendo & consequendo æterna vita consistat, *hæc est enim vita æterna vt cognoscāt &c.* quam cognitionem ac dilectionem con-
Ioan.17. summatam nobis concedat IESVS CHRISTVS. Amen.

ARTICVLVS II.

S.Th. 1.2. q. 3. art 5. optimā potentiā esse intellectū.

SANCT. Thom. dicit intellectũ esse altiorem potentiam voluntate, nam quæst 3. art. 5 in responsione quæst dicit, quod *intellectus est optima potentia.*

CORRVPTORIVM.

DIcimus quod si intellectus dicatur optima potentia, id est, valde bona dicimus quod verum est, nec obstat quod
1. voluntas est melior vel æque bona. Si autem dicatur quod sit optima, id est, bona super oēs potentias, sic dicimus quod falsum est. Quod patet ex quatuor, ex mutua operatione, ex obiectis, actibus, & habitibus. *Primo modo*, quia nobilior potentia est voluntas tum quia imperat omnibus & libera est, & domina sui actus & aliarum potentiarum, vt dicit Ansel. *de conceptu virginali.* Tum quia ratio deseruit sibi, scilicet voluntati vt comes & pedissequæ vt dicit. *Bern. de gratia & lib. c. 23.*

Secundo modo patet, quia obiectum volun-
2. tatis est bonum sub ratione boni, obiectum autem

Digitized by Google

autem intellectus est verum vel bonum sub ratione veri, nobilius autẽ est bonum sub ratione boni q̃ bonũ sub ratione veri, igitur &c.

Tertium patet, quia nobilior actus est Deum vltimum finem diligere perfecte quam perfecte cognoscere, quia illud secundum est ordinatum ad primum, sed diligere est actus voluntatis. 3.

Quartum patet, quia voluntas perficitur habitu charitatis qui est habitus nobilior, 1. Cor. 13. *maior autem horum est charitas.* 4.

Præterea, intellectus potest cogi nõ autẽ voluntas, & ita altior potentia est voluntas quã intellectus.

Item in eadem responsione subdit, quod vltima & perfecta beatitudo quæ expectatur in vita futura consistit in Dei contemplatione, hoc plane patet esse falsum ex dictis, vbi habetur quod plus consistit in Dei consummata dilectione, vel dicendo sic minus dixit. 5.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

ISta quæstio plane soluta est ex dictis sup. ar. 34. *pri. p.* qualiter. n. intellectus est altior voluntate, & qualiter non: patet ibidem.

Ad 1. igitur nunc breuiter dico, quod voluntas mouet vt efficiens, intellectus vt finis, vnde simpliciter est nobilior. Ad 1.

Ad 2. dicendum, quod bonum sub ratione boni & sub ratione veri eiusdem nobilitatis est. Rationes enim de eadem re formatæ siue conceptę nihil faciunt circa maiorem vel minorem nobilitatem. Ad 2.

Ad 3. *Ad 3. dicendum*, quod licet respectu alicuius obiecti act⁹ volũtatis sit potior, nõ tamẽ simpliciter loquendo. Sed actus intellectus est altior & nobilior & absolutior, sicut declaratur vbi supra 1. *parte q.* 34.

Ad 4. Per idem patet responsio ad 4. Charitas .n. ordinat hominem ad Deum. In respectu vero ad obiectum voluntas est altior.

Ad 5. *Ad 5. dicendum*, quod coactio intellectus potest intelligi dupliciter, vel quantum ad exercitium sui actus, vel quantum ad specificationem sui actus ab obiecto. Primo modo potest cogi intellectus à voluntate, inquantum necesse habet ad imperium voluntatis mouentis suum actum exercere. Ex hoc tamẽ nõ sequitur quod voluntas nobilior sit intellectu simpliciter, sed quoad aliquid, inquantũ sc. mouet. Secundo modo coactionis nõ cogitur intellectus nisi sibi proportionetur obiectum tale quod nullo modo deficere possit à veritate, cuiusmodi necessaria. Et talis coactio vel motus determinatus magis proprie conuenit ipsi voluntati, quando sibi proponitur obiectũ tale quod in nullo deficit à bonitate, cuiusmodi est beatitudo, quam non potest voluntas si circa ipsam actum suum exerceat nõ velle, ergo simile est de intellectu & voluntate quo ad hoc, nec per consequens poterit penes hoc attendi istarum potẽtiarum in nobilitate excessus. Breuiter ista perstringo, quia superi⁹ (vt dictũ est) euidẽtius sunt declarata.

Quod isti dicunt in fine, quod plane falsum est, quod beatitudo (prout dici S. Th.) cõsistat in

in Dei contemplatione quam expectamus in patria, ex dictis in responsione art. proximi patet, quia minus veraciter dicunt, nec rationes eorum vbi liquet hoc concludunt.

Articvlvs III.

SAnct. Th. docet, quod restitudo volũtatis requiritur ad beatitudinem, vel antecedenter & concomitanter, vt patet, q. 4. ar. 4. in responsione principali vbi dicit, *quod beatitudo consistit in visione diuina essentia* sed & rectitudo volũtatis requiritur ad beatitudinem antecedenter & cõcomitanter. *S. Th. 1. 2. q. 4. ar. 4. quod rectitudo volũtatis requiratur ad beatitudinem.*

Corrvptorivm.

QVod autem hoc sit imperfecte dictum ad minus patet ex dictis, quia actus voluntatis est de essentia beatitudinis.

Responsio ad haec secundum S. Thomam.

QVod autem sit perfecte dictũ quod hic S. Th. dicit manifestũ est ex dictis ar. 1. in responsione, loquendo de eo in quo ipsa ratio essentiae beatitudinis consistit, sicut patet ibidem.

Articvlvs IV.

DIcit S. Th quod anima hominis habet esse compositi separata. Item q. 4. art. 5. in responsione secundi argumenti dicit, *quod anima humana remanet esse compositi post corporis destructionem, & hoc ideo, quia idẽ est esse forma & materia & hoc idem dicitur esse compositi.* *S. Th. ar. 5 Anima hominis separata habet esse compositi.*

Digitized by Google

CORRVPTORIVM.

SI hoc verum est, cum quælibet forma substantialis det aliquod esse, nõ erit alia forma in homine quã anima, quod est erroneum propter multa contraria fidei quæ ex hoc sequuntur, vt in primo ostẽsum est, ergo error est dicere, quod animæ humanæ remanet esse compositi.

Præterea, Supposito hoc, sc. quod illud totaliter destruitur quod perdit suum esse quod habet, quia perdere esse suum totaliter, est destrui plene & perfecte, & ecõuerso, ergo si materia vel corpus hominis nullum habet esse aliud quã animæ intellectiuæ materia vel corpus hominis in instanti separationis animæ perdit omne esse, ergo & destruitur totaliter & perfecte, cuius contrarium videmus, & est contra philosophum 1. *physic.* qui dicit, quod *materia est ingenita & incorruptibilis*. Si autem dicas quod manet materia vel corpus quia succedit alia forma dans esse, quia generatio vnius est corruptio alterius, & econuerso.

Cõtra prius saltem naturaliter est separatio formæ quę est anima quã alterius formæ successio vel inductio, ergo materia vel corpus perdit necessario omne esse & destruitur cedens in nihilum, & ita generatio erit ex nõ esse simpliciter in esse, & hoc est creari, igitur generatio est creatio, quod est erroneum, ergo illud ex quo sequitur.

Præterea, videtur ꝙ alia forma de nouo introducatur quãdo anima separatur per actionem

nē intelligentię nō per actionē corporū cœlestiū, nā videtur ꝙ corpora cęlestia requirūt situ determinatum & aspectum super materiā in quam agunt & secundum diuersitatē situs & aspectus videmus manifeste variari omnes actiones illorum corporum. Aliter enim generant & corrumpunt ista inferiora in æstate; aliter in hyeme; Aliter generant, corrumpunt & transmutant ea quæ sunt in aere sub dio aliter ea quæ sunt sub tecto. Sed nos videmus quod corpus eodem modo se habet in æstate & in hyeme & omni tempore sub tecto & diuo & vbique post animæ separationem, ergo forma quam tunc habet non est à corporibus cælestibus.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

Qvia nihil fidei contrarium sequatur ex hoc quod ponitur in homine tantum vna forma substantialis quæ est anima intellectiua supra vt æstimo probabiliter est declaratum.

Quod ergo isti concludunt, pro inconuenienti in primo argumento non est inconueniens, præter hoc etiam posito quod in homine essent plures formæ substantiales oporteret omnes præter vltimam esse materiales, & in potentia respectu vltimæ dantem actum & esse completum, vnde cum vnius entis non sit nisi vnum esse, necesse est dicere, quod idem est esse animæ humanæ & totius compositi. Cum igitur ipsa post separationem habeat *Ad primū*

V 5 esse,

Digitized by Google

esse, manifestum est quod esse totius compositi remanet sibi.

Ad 2. *Ad secundum dicendum*, quod ponendo vnã formam substantialẽ in homine, oportet cõcedere quod anima hominis separata in morte noua forma inducatur in corpore remanẽte, quæ dat nouum esse.

Ad obiectũ vero in contrariũ dicendum, quod in eodẽ instanti ac simul est animæ separatio, & illius nouæ formæ inductio, sicut in eodẽ quo corrũpitur aer gnãtur aqua, & econuerso, vnde nunquã mã est sine morphea. i. sine forma secundũ philosophũ. Et hoc ideo, quia secũdũ modũ istum *generatio vnius est alterius corruptio*.

primo de generatio. 1. com. 28. Quia vero animæ separatio est *prius saltem naturaliter*, si intelligatur *naturaliter* quo ad durationẽ, falsum est simpliciter quod dicũt. Si intelligatur *prius naturaliter*, eo quod prius sit in conceptu nostro, siue secundũ rationẽ, licet simul sit cũ nouæ formæ inductione, secundũ rẽ cõcedi posset vno modo facta consideratione, & negandũ alio modo facta consideratione. Quando. n. consideramus quod dispositiones illæ materiæ ad formã illã corporis mortui, repugnant dispositionibus materiæ existentibus sub forma corporis viui quæ anima est, primo concipimus illarũ dispositionũ materiæ corruptionẽ in animæ separatione quã illius nouæ formæ corporis mortui inductionẽ in morte. Quando vero consideramus quod mã nullo mõ potest esse sine forma, & per consequens non põt formã quã habet perdere nisi aliã acquirendo, siue per hoc

quod

Digitized by Google

quod aliam acquirit necessario, prius cadit secundum hoc in conceptu nostro nouæ formæ inductio, quā animæ quæ ipsā sequitur separatio. Simul ergo sunt secundū durationē animæ separatio, & illius nouę formę inductio, licet vna secundū rationem possit esse prior alia, & econuerso, sicut patet ex dictis, Argumentum ergo illud contra sic solutum est.

Ad tertium dicendum, quod non sola virtus cælestis agit ad inductionē illius formę in corpore mortuo de nouo inductæ immo violentia vel infirmitas dissoluens nobilem dispositionem quæ est corporis viui materia, inducit oppositū quo repugnat naturæ formæ nobilioris, scilicet animæ quę est forma corporis viui, & illa eadē dispositio ignobilis congruit, immo est necessitas respectu formæ vilioris, cuiusmodi est illa forma noua in separatione inducta, quæ vtique est forma illius corporis mortui remanentis, istud declaratū est supra. Quia vero siue quis moriatur in æstate, siue in hyeme, siue sub dido, siue sub tecto, siue quocunque tempore vel loco, semper inuenitur vniformiter aliquid quodcūq; sit illud nobilē dispositionē materię sub forma corporis viui corrūpens, & oppositas dispositiones inducens vniformiter & viriliter, sequitur animæ quæ est forma corporis viui separatio & illius nouę formę inductio in corpore mortuo licet in acceleratione sit differentia propter hoc ꝙ cōplexio loci vel tēporis, plus vel minus iuuat vel impediat actionē illius virtutis, quæ dissoluens harmoniā & nobilem dispositionem corporis viui, inducit dispositionem oppositam Ad 3.

Digitized by Google

in eadem materia cum qua in ipsa materia inducitur necessario forma corporis mortui. Si vero quis plures formas substantiales ponat, adhuc habet necesse ponere quod corpus mortuum non habet idem esse quod corpus viuum, illud enim erat viuere. Nec potest esse in vno ente nisi vnicum esse. Sed planum est quod corpus mortuum non habet esse quod est viuere, ergo manifestum est, quod non habet idem esse quod prius, qualitercunque sit de forma substantiali, nihil est igitur quod adducunt contra S. Thomam in proposito.

ARTICVLVS V.

S. Tho. 12. art. 5. Beatitudo crescit in resurrectione extensiue.

DOCET S. Thomas quod beatitudo non crescit corpore resumpto intensiue, sed extensiue.

Item *q. 4. art. 5. in resp. 5. argumenti dicit, quod corpore resumpto beatitudo crescit non intensiue sed extensiue.*

CORRVPTORIVM.

1. QVOD dicit extensiue bene dicit, quod autem negat intensiue dicit male, & contra S. Bern. *de diligendo, Deo cap. 12.* loquens enim de animabus exutis, ita dicit. *Donec mors absorpta sit in victoria.* Et sequitur,

S. Bern.

non

Digitized by Google

non possunt animæ seipsas expoliare ex toto, & transire in Deum viuum, ligatæ corporibus etiam tunc & nunc retrahente affectu naturali ita vt sint his neque velint neque valeant consummari. Itaque ante restaurationem corporum non erit ille defectus animarum perfectus qui est summus illarum status.

Item est contra S. Augustinum 12. super Gen. ad litteram cap. 70. Minime dubitandum est raptam hominis à carnis sensibus mentem, & post mortem ipsa carne deposita transcensis etiam similitudinibus corporalium non sic posse videre incommutabilem substantiam vt sancti Angeli vident, seu alia latentiore causa, siue ideo, quia inest ei quidam naturalis appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum cælum quamdiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille requiescat. Ex hac auctoritate patet, quod visio beatarum animarum ante resumptionem corporum & post diuersificatur penes intentionem totam, sed hoc facit differre visionem intensiue. S. Aug. 2.

Item Bern. de diligendo Deo. cap. 13. exponens illud Cant. *Bibite & inebriamini. Qui* inquit, *adhuc in carne grauati gemunt, chari habentur pro charitate quam habent, Qui vero iam soluti carnis compede, sunt eo chariores quo promptiores & expeditiores facti ad amandum. Et porro pra vtrisque nominantur, & sunt charissimi, qui recepta secunda stola in corporibus vtique cum gloria resumptis, tanto feruntur in Dei amorem liberiores & alacriores quanto eis de proprio iam nihil residuum est quod* 3. Canti. 5.

eas

eas solicitet aliquatenus vel retardet, quod quidem neuter sibi reliquorum statuum vendicat. Et infra. *Bibi vinum meum cum lacte meo. Vino diuini amoris miscet; & tunc dulcedinem naturalis affectionis per quam resumet corpus sui, ipsumque clarificatum desiderat aestuat, ergo iam tunc sanctæ charitatis potato vino, sed plane nondum vsque ad ebrietatem, quoniam temperat ardorem interim huius lactis permixtio.*

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

Responsio ad 5. argumentum.

CVIVS si primum argumentum primi articuli prædicti ex integro aspiciatur, nihil faciunt contra ipsum istæ auctoritates præallegatæ. declaratur, Ait enim sic, *Desiderium animæ separatæ totaliter quiescit ex parte appetibilis, quia scilicet habet id quod suo appetitui sufficit, sed non totaliter quiescit ex parte appetentis, quia illud bonum non possidet sicut possidere vellet, & ideo resumpto corpore beatitudo crescit nō intensiue sed extensiue.* Hæc sunt verba eius, quæ sic possunt declarari; Anima separata videns Deum per essentiam, non potest limpidius videre Deum quam videt, nec intensius per consequens delectari quam delectatur; quia licet gloria vel lumen gloriæ qua anima separata in illam Dei visionem per essentiam eleuatur, debeat in corpus redundare, non tamē per corporis resumptionem poterit intendi, nec per consequens anima ad limpidiorem visio-

visionē Dei, quam prius poterit eleuari, tamen quia per suam naturam corpori est vnibilis, hinc est quod naturaliter appetit in corpore esse, & bonum principatum corpori pro sua capacitate communicare. Idem igitur bonum quod iam habet in quo quietatur, sic quod illius non desiderat augmentum vel intensionem appetit habere in eodem gradu non intensiore sub modo alio, ita scilicet quod queat in resumptum corpus redundare, & cum iste appetitus corpore resumpto fuerit quietatus, crescet beatitudo, non quidem intensiue sed extensiue, sicut patet ex dictis.

Ad primum ergo dicendum, quod defectus quem dicit S. Bern. non posse perfici nisi corpore resumpto prout ipse insinuat est iste appetitus, siue secundum ipsum affectus naturalis quo retrahitur anima ne totaliter quietetur, donec bonum iam adeptum redundet in corpus resumptum, quod non est habere maius bonum, sed illud idem sub eodem gradu, alio tamen modo. *Ad 1.*

Ad secundum dicendum, quod S. Augustinus dicit animam separatam à corpore isto appetitu retardari ne totaliter pergat in summum cælum vel tota intentione pro tanto quod adhuc appetit bonitatem in Dei contemplatione consistentem, & ex ipsa prouenientem, quam nunc habet haberet alio modo scilicet illam in corpus resumptum refundendo, & pro tanto dicit animam separatā nō sic *Ad 2.*

posse

posse videre, Deum vt sancti Angeli vident, quia Angeli suā beatitudinem in Dei visione consistentem non appetunt alio modo quam habent, vnde eorum appetitus est vndique quietatus, appetitus vero animæ separatę licet sit quietatus quo ad bonum adeptum, non tamen quo ad habendi modum, vt dictum est.

Ad 3. *Ad tertium quod secundum S. Bern. animæ beatæ corporibus cum gloria resumptis tanto feruntur in amorem liberiores & alacriores quanto de proprio iam nihil residuum est, &c.* nullus videlicet appetitus quo appetant illud quod habent/habere alio modo vt dictum est.

Quod vero ait S. Bern. animam separatā æstuare vino sanctæ charitatis, sed nondum vsque ad ebrietatem, pro tanto, quia bonum illud iam adeptum nondum transfunditur nec redundat in corpus, & vires corporis inferiores sicut fiet post resurrectionem, potum hunc sic inebriatiuum in patria nobis tribuat Iesus Christus. Amen.

ARTICVLVS VI.

S. Th. q. 6. art. 3. homo habet dominum suorū actuum.

SANCT. Thomas dicit, quod homo est Dominus sui actus, quia habet deliberationem de suis actibus. Item, *q. 6. art. 3. in responsione tertij argumenti dicit quod homo est Dominus sui actus quia habet deliberationem de suis actibus, ex hoc enim quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas potest in vtrunque.*

COR-

CORRVPTORIVM.

HOc reputamus falsum, ex hoc enim sequitur quod homo non facit libere ea quæ facit sine deliberatione, quod patet esse falsissimum tam in bonis & perfectis hominibus quam in pessimis, manifeste enim videmus quod viri sancti siue perfecti, siue in sæculo siue in religione, cum intelligunt aliquod bonum mox appetunt, & cum appetierint mox frequenter faciunt absque omni deliberatione, verbi gratia dant eleemosynas, respuunt illecebras, similiter viri religiosi statim auditu auris obediunt sine aliqua deliberatione, & tamen constat quod libere faciunt. Et sic videmus in valde malis & pessimis hominibus, quia mox vt malũ aliquod appetierint, verbi gratia detrahere, blasphemare, maledicere, conuitiari sine deliberatione si possunt perficiunt quod desiderant, & constat quod libere. 1.

Præterea, si propter deliberationem est dominus sui actus & libere ageret cum respectu finis eligendi non fit deliberatio, sed respectu eorum quæ sunt ad finem sequeretur quod non libere sed seruiliter appeteret homo finem, libere autem appeteret ea quæ sunt ad finem. 2.

Præterea, manifeste videmus quod quando voluntati proponitur aliquod appetibile, verbi gratia honor vel scientia si appetierit illum honorem vel scientiam, potest homo il- 3.

lum appetitum refrænare vsquequo deliberet an debeat vel liceat vel expediat sic expetere. Constat enim quod anima est domina talis refrænationis, & libere facit eam ante deliberationem, ergo manifestum est quod dominiũ talis refrænationis non est propter deliberationem, Quia autem huiusmodi refrænationẽ faciat libere, patet per auctoritatem Damasc. li.3.c.26. vbi ita dicit. *Irrationalia non sunt libera arbitrio, aguntur enim à natura magis quam agunt, & non contradicunt naturali appetitui sed similiter cum appetierint aliquid impetum faciunt ad actum, homo autem existens rationalis agit magis secundum naturam quam agatur, ideoque si appetens hoc quidem velit potestatem habet refrænandi appetitum suum vel sequi eum. Non quod dicit irrationalia* non sunt libera arbitrio.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

Deliberatio dupliciter sumitur.

AESTIMO quod isti decepti sunt per quãdam æquiuocationem deliberationis exorbitantis, deliberatio enim dicitur cõsultatio vel præmeditatio de aliquo si debeat fieri vel non fieri, amari vel vitari, & sub hoc sensu certe non est homo Dominus sui actus, quia habet deliberationem de agendis, sed potius econuerso, quia ipse est Dominus sui actus, non potest deliberare de agendis. Alio modo potest deliberatio sumi pro facultate libere agendi quod voluerit seu placuerit, ratione cuius anima potest in vtrunque oppositorum, & sic sub hoc sensu habet intelligi quod

Digitized by Google

quod dicit S. Thom. quod non est Dominus sui actus, quia habet deliberationem, id est, liberam agendi facultatem, quia igitur potestas rationalis in homine valet ad opposita secundum philosophum, hinc est quod voluntas libere potest in vtrunque oppositorum. Et hoc est quod dicit S. Thom. quod ex hoc quod ratio deliberationis se habet ad opposita habens scilicet potestatem ad ipsa potest voluntas in vtrunque obiecta igitur prædicta non procedunt contra S. Thomam in sensu in quo loquitur, sicut patet intuenti.

Articvlvs VI.

Sanct. Thom. dicit, quod homo per rationem determinat se ad volendum hoc quod est vere bonum vel apparens bonum, vt patet *in q. 9. art. 1. in responsione tertij argumenti.*

Corrvptorivm.

Si per actum determinandi intelligit quod ratio inquirendo, consulendo, sententiando offert vel præsentat alterum oppositorum voluntati vt illud velit & exequatur non contrarium non videtur reprehensibile sed bene dictũ. Si vero per actũ determinãdi intelligat quod ratio concludẽs vnũ cõtrariorũ esse volendũ alicui & persequendũ, per hoc determinet, id est, necessitet voluntatẽ *S. Th. ar. 1. q. 9.*

ad illud ita quod contrarium voluntas non possit velle nec prosequi, hoc est *contra* S. *Bern. de gratia & li. ar. & contra philosophum* 9. *meta.* & erroneum, & damnatum nuper cum pluribus articulis *cap.* 9. de voluntate, vbi pro errore condemnatum est, quod post conclusionem aliquam voluntas nõ manet libera, *Item* quod voluntas hominis necessitatur per suam cognitionem sicut appetitus bruti. *Item* quod voluntas necessario prosequitur quod firmiter creditum vel decretum est à ratione, & non potest abstinere ab eo quod ratio determinat.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

NON cesso mirari ad quid isti trahunt ista prædicta verba S. Thomæ ad illum sensum suum, cum ipse in toto processu doceat oppositum, vnde huic fictioni, non est respondendum.

ARTICVLVS VIII.

q. 17. ar. 1. actus imperandi est rationis

SANCT. Thom. dicit, quod imperare est actus rationis. Nam in q. 17. *art. primo in responsione principali dicit, quod imperare est actus rationis præsupposito actu voluntatis.* Et subdit *quod imperare est essentialiter actus rationis.* Et in eadem.

q. art. 3.

q. ar. 3. in responsione primi argumenti dicit, quod *ar. 3. & 5.*
voluntas per actum qui vsus est exequitur imperium rationis. Et eadem q. ar. 5. in responsione principali dicit quod imperium nihil aliud est quam actus rationis ordinantis cum quadam motione ad aliquid agendum.

CORRVPTORIVM.

HAEC positio non solum videtur nobis *S. Th.*
falsa, sed omnino erronea, quia vt ibidem dicit eadem. *q. art. 5. in responsione argumenti vltimi, ille actus imperatur qui rationi subditur.* ergo si ratio imperat voluntati, voluntas rationi subditur. Sed qui alij imperat vt subdito, sibi dat libertatem operandi, ergo voluntas non est libera, nec domina suorum actuum, quod est *contra Dam. li. 3. & contra philosophum 9. metaph.*

Item hoc est contra *Ansel. de conceptu virgi-* *Ansel.*
nali. li. 4. vbi in persona membrorum & sensuum, *Deus* inquit *nos fecit, & potestatem nostrã qua in nobis est subiecit voluntati, vt ad eius imperium non possimus non mouere nos.*

Item contra *Bern. de gratia & libero arbi. cap.* *Bern.*
3. *Voluntas* inquit *est motus rationalis sensui & appetitui præsidens*, & sequitur, *Voluntas autem ad quodcunque voluerit habet rationem comitem & quodammodo pedissequam.* Inde sic non est comitis imperare præsidenti & imperanti, & voluntas est præsidens & imperans, vt ex dictis patet. Ratio autem comes & pedissequa voluntatis, ergo non imperat voluntati,

Item videtur falsum ex auctoritate philosophi.
2.com.10. *9.meta.* cuius sententia secundum Commen. est hæc. *Potentia rationales possunt duo contraria facere, vnde necesse est vt verum dicant quod sit aliud, id est, primum principium agendi vnum contrariorum quandoque & alterum, & hoc est appetitus & voluntas.* Ex hac auctoritate philosophi & Commentatoris patet, quod voluntas est principalior in agendo quam aliqua alia potentia rationalis.

Item quando aliquis facit imperium nostrum, dicimus quod faciat voluntatem nostram, non autem dicimus quod scientiam nostram facit aut fidem nostram aut opinionem; quæ tamen tria pertinent ad rationem. secundum S. Augustinum *li. de vtilitate credendi.*

3. *Item,* quando scio vel spero aliquem subditum facturum quod volo perfecte statim impero. Si autem scio eum facturum quod scio, verbi gratia, scio eum fornicaturum vel credo vel spero vel opinor, non iam impero sibi, ergo voluntas est quæ imperat, non ratio.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

ISTA obiecta omnia procedunt ex falsa acceptione dicti S. Thomæ ac si dixisset quod imperare est per se actus rationis actu voluntatis non præsupposito, cuius cōtrarium testibus ipsis dicit, vt patet in verbis ipsius quæ ponit.

Ad primum igitur dicendum, quod cum imperiū quod est actus rationis præsupponat actū volun-

Digitized by Google

voluntatis debet dici quod imperat per volūtatem, cuius actum præsuppositum requirit ad hoc ꝑ imperet de aliquo agēdo. Vnde auctoritates quas adducunt ad ostendendum quod voluntas mouet rationem & alias potentias animæ omnes nihil faciunt contra S. Thomam vt patet intuenti. Et per hoc patet responsio.

Ad secundum principium enim agendi vnū contrariorū quandoq; & alterum, quandoq; est voluntas secundum philosophū & Cōmen. Ad actionem vero volūtatis requiritur actus imperij, qui est actus ipsius rationis secundum quod manet in ipsa virtute aliquid de actu voluntatis, prout virtus actus precedentis manet in virtute in actu sequente prout dicit S. Thomas. Imperans enim ordinat eum cui imperat aliquid ad agendum intimando vel denuntiando non absolute tantum, cuius denūtiatio exprimitur per verbum indicatiui modi, vt cum dicitur est agendū, sed mouendo & excitando, & talis denuntiatio & excitatio est imperium, & exprimitur per verbum imperatiui modi, vt cum dicitur, fac hoc vel illud, Cum ergo primum mouens in viribus anime sit voluntas, & secundum mouens non moueat nisi in virtute primi mouentis, sequitur quod ex hoc ipso quod ratio mouet imperando fit ex virtute voluntatis. Et inde est quod quando aliquis facit imperium nostrum, dicimus quod faciat voluntatem nostram, quoniam actus voluntatis præcedens causa est huius denuntiationis mouentis & excitātis ad

 agendum,

Digitized by Google

agendum, qui vtique conceptus mentis est per vocem modi imperatiui significatus & expressus, & per consequens pertinet ad actum rationis.

Ad tertiū. *Et per hoc patet responsio ad tertium.* Simplex quidem & absoluta denuntiatio de aliquo scito vel credito vel opinato non est imperium, nec exprimitur per imperatiuum modum, vnde licet aliquid sciatur vel credatur vel opinetur, non tamen imperatur nisi sit perfecte volitum. Actus enim voluntatis est causa denuntiationis vel existimationis excitantis vel mouentis, quæ vtique (vt dictum est) actus rationis est.

ARTICVLVS IX.

SANCT. Thomas dicit eadem, *q.* 17. *ar.* eodem in responsione principali, *quod primum mouens ad exercitium actus in viribus animæ est voluntas.*

CORRVPTORIVM.

I. VIDETVR mihi quod hoc bene & male possit intelligi. Si enim intelligat quod primum mouens ad exercitium actus sit voluntas, falsum est secundum philosophos & sanctos qui in hac materia loquuntur primum mouens non motum esse appetibile.

Præterea,

Digitized by Google

Præterea, prius necessario sunt obiectum & vis apprænhensiua obiecti, & eius apprænhensio quam voluntas moueat, ipsa enim non mouet nisi mota ab appetibili apprænhenso, vnde impossibile est quod voluntas sit primũ mouens. Si autem intelligat quod inter vires animæ prima potentia motiua siue prima virtus mouendi est voluntas, sic dico quod verum est, obiectum enim quod est primum mouens non est virtus animæ & virtus apprænhensiua quamuis prius necessaria ad motum, non tamen prius mouet nec dicitur virtus motiua. Sed voluntas mouet prius siue appetitus, hic enim est ordo, primo enim obiectum bonum mouet vim apprænhensiuam motu apprænhensionis, deinde apprænhensum mouet appetitum siue voluntatem, vnde illud quod mouet voluntatem non est ipsa ratio vel apprænhensio, sed bonum apprænhẽsum à ratione, deinde voluntas sic mota ab appetibili apprænhenso mouet alias virtutes & organa siue totum animal ad exercitium actus.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

AD ista non oportet respondere pro S. Thom. Manifestum est, enim omni intelligenti quid S. Tho. intendat in hac parte, vnde mirum est ad quid voluit iste illũ primum intellectum ex verbis S. Thom. fabricare, cum ipsa verba oppositum sonent, & ipsemet S. Thom. vbique docet, quod voluntas mouet mota ab appetibili apprænhẽso. Hęc igitur pertranseo.

Digitized by Google

ARTICVLVS X.

q. 17. ar. 1. ad 2.

SANCT. Th. *eadem q. eodem art. in responsione secundi argumenti* dicit, quod *radix libertatis est voluntas vt subiectum, sed ratio est sicut causa. Ex hoc enim volũtas potest libere in diuersa ferri, quia ratio potest habere diuersas conceptiones boni.* Et ideo *philosophi diffinierunt liberum arbitrium, quod est liberum de ratione iudicium quasi ratio sit causa libertatis.*

CORRVPTORIVM.

ISTud reputamus falsum, quia ex hoc sequitur quod volũtas non facit libere antequã ratio diuersas cõceptiones boni habuerit, & ita viri perfecti qui sequuntur prius primũ appetitum boni, quam huiusmodi conceptiones habeant, & similiter mali & pessimi qui similiter sequuntur primum appetitum mali, néc isti nec illi libere facerent, quod cõstat esse falsum, vnde dicẽdum quod libertas est in voluntate ex sua naturali proprietate, non à ratione, immo etiam quod libertas est in ratione & in alijs viribus, est à voluntate potius. *Secundum Bern lib. de gratia & li. ar. c. 3. Vniuersa* inquit *quæ hominis sunt, propter solam voluntatem libera sunt, & ita sola voluntas est quæ sola ingẽti libertate, nulla vero cogitur necessitate.*

Item *eodem l. c. primo, vbi voluntas ibi libertas. Et cap. 3. Ipse consensus ob voluntatis immensam libertate, & rationis quam secum defert inclinationem*

nem in Deum dicitur liberum arbitrium, quia ipse liber sui propter volũtatem ipse liber sui propter rationem. Et *c. 3.* Cum *voluntas nihil habeat liberum nisi se, merito non iudicatur nisi ex se.* Ex his patet quod volũtas est libera ex sua ingenita & naturali proprietate, nõ ex ratione & eius deliberatione.

Item 1. metaph. liberum est quod est causa sui, ratio *autem non est causa sui,* sed ad ministeriũ voluntatis facta, & eius comes & eius pedissequa vt dicit Bern. *in li. de gratia & li. ar.* 2. Lea. 5.

Item illa potentia est libera & causa libertatis cuius est potestas faciendi & non faciẽdi, & elicere actũ electionis, & hæc potestas nõ est ratio sed voluntas, ergo est causa libertatis, vt dicit Dama. *lib. 3. cap. 26.* 3.

Item in prima parte summæ q. 83. ar. 1. in responsione principali loquitur de ista materia, vbi dicit quod *vis sensitiua non est collatiua diuersorum sicut ratio, sed simpliciter vnum comprahendit, & ideo per illud determinate mouet appetitum sensitiuum, sed ratio est collatiua pluriũ, & ideo ex pluribus moueri potest appetitus intellectiuus, sc. volũtas, & non ex vno de necessitate.* His verbis nititur dare causam, quare appetitus sẽsitiuus nõ sit liber sicut intellectiuus, quia sc. potẽtia sensitiua non est collatiua pluriũ sensatorũ, sicut ratio plurium intellectorum, primum quod dicit de potentia sensitiua veritatem habet de sensibus particularibus, sed de sensu cõmuni falsum dicit. Dicit enim philosophus *versus finem secundi de anima, & aliquantulum post principium, de somno & vigilia, quod opus sensus cõis est* 4. S. Th. 1. p. 83. ar. 2. 2. com. 134

distin-

distinguere dulcia ab albis, & ita eius est conferre sensata sensuum particularium, tamen propter hoc non ponitur aliqua libertas in appetitu sensitiuo.

Item per hoc quod secundo dicit, quod ratio est collatiua plurium intellectorum, ideo voluntas moueri potest à diuersis & non ab vno, ex necessitate insinuare videtur, quod si ratio non proponat voluntati plura appetibilia, sed vnum solum necessario voluntas fertur in illud sicut appetitus sensibilis, hoc mõstratum est esse falsum tam in bonis quam in malis, qui statim ad vnius appetibilis appræhensionem mouentur, & hoc libere, alioquin nec boni mererentur, nec mali demererentur.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

OMnes istæ obiectiones procedũt ex falso intellectu verborum S. Thom. ac si dixisset quod voluntas non posset esse libera nisi ratio actu concipiat diuersa, vel nisi actu formaret diuersas conceptiones de eodem. Ipse enim hoc non intendit, sicut patet ex verbis eius quibus ait. *Ex hoc voluntas potest in diuersa ferri,* quia ratio *potest habere diuersas boni conceptiones,* & illud est optime dictum si intelligatur, nam ex hoc quod ratio concipiens bonum sub ratione aliqua vna potest concipere bonum, illud sub ratione alia, sc. in ordine ad finem, vel præter ordinem ad finẽ & sub diuersis circumstantijs debitis vel in-

debitis

Digitized by Google

debitis appetitus quæ consequenter se habent ad talem potentiam sic appræhensiuam, non habet necesse moueri vel non moueri in bonum sic appræhensum. Quia vero virtus sensitiua non habet nisi vnam existimationé de obiecto conuenienti vel disconuenienti appræhenso, nec habere potest plures. Hinc est quod appetitus ipsam consequens non potest quin moueatur sic vel sic, & est necessario determinatus ad vnum. Intelligitur igitur S. Th. quod pro tãto debet dici quod ratio est causa libertatis, quia scilicet virtutem sic appræhensiuam naturaliter consequitur virtus sic motiua.

Ad primum igitur dicendum, quod licet tam boni quam mali habitu aliquo vel bono vel malo inclinati sequātur primum appetitum, dicuntur tamen hoc facere libere, & hoc quia licet non forment actu aliquam aliam cóceptionem de obiecto appræhenso quam illam ad quam formandam ex tali habitu inclinantur, possent tamen aliam conceptionem formare, & aliam existimationem æstimare de eodem obiecto, & per consequens aliter moueri, vnde ex prima conceptione siue æstimatione non compelluntur sic moueri, licet sic moueantur. Et sic patet causa quare tales actiones sunt liberæ quia ratio posset aliter cócipi, & per consequens voluntas aliter moueri & agere. *Ad primũ*

Auctorit. S. Bern. omnes debẽt concedi, quia nihil aliud ostendũt nisi quõd libertas soli voluntati inest formaliter, quod etiam dicit S. Thom. sicut patet intuenti.

Ad 2.

Ad 2. *Ad 2. dicendum*, quod nec ratio nec voluntas est causa sui, ita quod ad nihil aliud debeat ordinari, vnde licet ratio habeat ordinē ad voluntatem vt ad primum mouens per modum efficientis ratione cuius dicit Bern. quod ratio est comes & pedissequa voluntatis, ex hoc tamen non concluditur quod non sit causa libertatis, sicut licet volūtas ordinetur ad bonum apprǽhensum per rationem, & per consequens ad rationem tāquam ad principium mouens per modum finis, nihilominus tamē est subiectum libertatis.

Libertas inest voluntati formaliter

Ad 3. Tertia ratio probat quod libertas inest voluntati formaliter, & hoc concedimus.

Ad 4. Quod S. Th. dicit in 1. parte de hac materia loquens, prout isti hic recitāt. Similiter veritatem habet si intelligatur. Non enim intēdit S. Tho. dicere, quod virtus sensitiua apprǽhēdat tantum vnum, ita quod nulla virtus sensitiua possit apprǽhendere multa, cuius oppositum patet in sensu communi, qui apprǽhendit diuersa obiecta sensuum particulariū, sicut ipsi obijciunt, sed intendit quod nulla virtus sensitiua facit plures ǽstimationes, vel facere potest de eodem obiecto. Et impossibile est quod virtus appetitiua sensitiua nisi vno & eodem modo circa idem obiectū moueatur. Nec intendit vt isti opponunt, quod si ratio non proponat nisi vnū appetibile sensibile ipsi voluntati, quod voluntas feratur in illud, immo quia de illo eodē appetibili posset ratio formare aliam conceptionem quam format quādo in illud mouetur, & sic per cōsequens

sequens non moueri in illud, ideo certe non cogitur per aliquam æstimationem vnam ad modũ virtutis sensitiuæ sic determinate moueri in illud in quod mouetur.

Obiecta igitur cõtra hęc *ex falso* intellectu procędũt, sicut patet intuẽti verba ipsius S. Tho.

ARTICVLVS XI.

q. 75. art. 2. Ratio est principiũ mali actus

SANCT. Th. dicit vel videtur dicere, *q. 75. art. 2. in responsione principali*, quod *ratio est propriũ principium mali actus*, & vt ibidem dicit, loquitur de ratione diuisa cõtra voluntatem. Isti dicunt se inuestigasse in dictis eius, quod tamen non est verum.

CORRVPTORIVM.

SI sic intelligat proprium principium mali actus, id est, illud quod proprie factũ malum est ratio, sic falsum est quod dicit, & etiam videtur erroneum. Tũ quia ex hoc sequitur quod non sit peccatũ in voluntate, nisi fuerit prius error in ratione, quod reputatur erroneum, vt alias ostensum est, & est cõtra S. Aug. *in l. de natura & gratia, c. 5.* Tum quia aliquid esset peccatum propter defectum rationis non voluntatis, & sic non omne peccatũ esset volũtarium. Tum quia etiam cum ratio cogi possit faciet homo peccatũ etiã inuitus.

Quod autem non ratio sed voluntas sit propriũ principiũ mali actus patet ex S. Aug. *de duab' animabus. Nõ nisi* inquit *volũtate peccatur.*

Item 22. contra Faustũ, c. 44. Nisi iniquitas & iniustitia essent in voluntate non essent in potestate.

Itẽ de vita clericorũ, c. 5. Hæc omnia mala de vna radice pullulant propriæ voluntatis. Item

Item Anselmus *in libro de similitudinibus,ca. 5.dicit. Propria voluntas in homine est exordium omnis mali.* Et idem *in libro de casu diaboli,c.19. Nulla res dicitur mala nisi voluntas & propter voluntatem.* Si autem intelligatur quod propriũ principiũ mali actus,id est, distinctum principium mali actus , & illud per quod est distinctio in malo, sic videtur verum quod dicitur , quod ratio est proprium principium mali actus,quod enim voluntas distincte appetit hoc ab illo,si bonum fuerit siue malum, hoc habet à ratione ministrante & appræhédente, ita quod rationis ostensio dicatur distinctiua causa sine qua non & solum,licet autem hoc quod dicitur , scilicet ratio est proprium principium mali actus, sub hoc sensu possit esse verum, tamen hoc secundum mẽbrũ distinctionis nõ videtur implicari in hoc quod dicit, nec hunc sensum videtur prosequi in sua responsione, vnde nõ videtur multum sufficienter per hoc excusari.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S.Thomam.

NOn potui inuenire quod hic inducitur sub his verbis,qualiter autem ratio est causa vel principium immediatum actus humani docet S.Thom in 1.2.qu.75.art. 2.per quod patet quod ea quę contra eum hic obijciunt non sunt contra ipsum. In responsione enim principio illius art.sic ait. *Immediata causa actus humani est ratio & voluntas, secũdum*

dum quod homo est liber. Causa autem remota est apprehensio sensitiua partis, & etiam appetitus sensitiuus. Sicut enim ex iudicio rationis voluntas mouetur in aliquid secundum rationem, ita etiam ex apprehensione sensus appetitus sensitiuus inclinatur, quæ quidem inclinatio quandoque mouet & trahit rationem & voluntatem. Sic ergo duplex causa peccati interior assignari potest, vna proxima à parte rationis & voluntatis. Alia remota à parte imaginationis & appetitus sensitiui. Sed quia causa peccati est aliquod bonum apparens cum defectu debiti motiui, scilicet regulæ communis vel legis æternæ siue diuinæ ipsum motiuum quod est apparens bonum pertinet ad apprehensionem sensus & appetitum sensitiuum. Ipsa vero absentia regulæ pertinet ad rationem, quæ nata est huius regulam considerare. Sed ipsa perfectio actus voluntarij pertinet ad voluntatem, ita quod ipse actus voluntatis præmissis suppositis iam est quoddam peccatum. Hæc sunt verba S.Th. ex quibus patet, quod non ponit quod ratio exclusa voluntate (prout isti falso imponunt sibi) sit proprium principium vel causa mali actus cum ponat peccatum in voluntate consistere, id est, in ipso actu volũtatis, vnde mirum est quod huius falsa volebant imponere viro sancto & tam Catholico doctori. Nec est facile eos qui nituntur sine aliqua ratione, vt ex dictis patet inexcusabilem eum comprobare, aliqualiter in hoc excusari posse.

Duplex causa interior peccati.

ARTICVLVS XII.

S. Th. qu. 102. ar. 5. Matrimonium legis veteris fuit in officium naturæ.

SANCT. Th. dicit, *in 1.2. qu. 102. art. 5. in responsione 3. arg.* quod *matrimonium fuit in veteri lege prout fuit in officium naturæ, non prout est sacramentum coniunctionis Christi & Ecclesiæ, quæ nondum erat facta. Vnde in veteri lege dabatur libellus repudij, quod est contra rationem sacramenti.*

CORRVPTORIVM.

1 HAEc positio videtur esse contra Apostolum ad *Eph. 5. Propter hoc* inquit *relinquet homo patrẽ & matrem, & adhærebit vxori suæ & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Vbi dicit glo. quod *prædicta auctoritas sumpta est de Gen. ca. 2. Sed quod accipitur de Christo & Ecclesia, iam non duo, sed vna caro sunt* &c. Et infra dicit alia gl. *huius* inquit *spiritualis vnitatis, scilicet Christi & Ecclesiæ sacramentum fuit istud, quod in Genesi de vnione coniugij loquitur ad literam.* patet ergo ex textu Apostoli & ex glo. quod matrimonium fuit in veteri lege sacramentum coniunctionis Christi & Ecclesiæ cuius contrarium dicit.

Item quod addit, pro ratione suæ positionis, scilicet quod coniunctio Christi & Ecclesiæ non dum erat facta, nihil videtur valere, quia immolatio agni Paschalis, & quædam alia sacrificia, fuerunt sacramentum immolationis Paschalis, quæ nondum erat completa.

Item

Item quod addit, de libello repudij, nihil valet, quia repudiare vxorem non fuit de institutione matrimonij, immo contra institutionem, fuit tamen permissum à Moyse vt min⁹ malum, ne peiora fierent, quod fuit *factum ad duritiam cordis eorum, Mat.* 19. Et ideo cũ diuisio per repudationem fuerit illicita, patet quod matrimonium veteris legis fuit indiuisibile, & ideo non repugnante repudio illicito fuit sacramentũ cõiunctionis Christi & Ecclesiæ, cuius cõtrariũ dicit, Hæc sũt verba eorũ, qui nisi sunt capire hominem in sermone, plura contra primam secundæ non habentes.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

QVod isti in hoc art. vel partis huius doctori nostro contradicunt, & ipsum arguunt minus iuste, patet ex doctrina eius *sup. 4. sententiarum dist. 26. q. 2. in solutione q. vbi dicit sic. Matrimonium secundum quod ordinatur ad procreationem prolis qua erat necessaria, etiam peccato non existente institutũ fuit ante peccatum. Secundum autem quod remedium prabet contra vulnus peccati, institutum fuit post peccatũ tempore legis natura. Secundum autem determinationem personarum institutum fuit post peccatũ tempore legis Moysi, sed secundum quod repraesentat mysterium coniunctionis Christi & ecclesia institutionem habuit in noua lege. Et secundum hoc est sacramentum noua legis, vnde quantum ad hoc quod matrimonium est sacramentum noua legis non erat institutũ ante Christũ. Sicut enim ipsa lex noua ante Christum non erat lata nec promulgata, sic nec sacramentũ noua legis ante Christũ erat institutũ.*

Ad primum quod in contrarium isti obijciunt respondet S. Tho. *parte vel q. 61. art. 2. in responsione vltimi argumenti* vbi sic ait. *Matrimonium fuit institutum in statu innocentiæ, sed secundum quod est in officium naturæ ex consequenti tamen aliquid significat futurum ecclesiam, sicut & omnia alia in figura Christi præcesserunt quorū quædā fuerūt sacramenta veteris legis significantia, quæ futura erant circa Christum, à quibus differunt sacra nouæ legis in hoc, quod secundum ea quæ iam facta sunt circa Christum sicut baptismus & eucharistia, quæ significant passionem vel mortem Christi iā factam, vnde matrimoniū non potuit esse sacramētū nouæ legis, donec significatur potuit coniunctionem Christi & ecclesiæ iam facta, quod facere non potuit antequam esset, potuit tamen prius profigurare illam futuram. Sicut immolatio agni Paschalis, præfigurabat passionem Christi futuram, quæ tamē nō erat sacramentū nouæ legis. Eodē modo matrimonium quamdiu significabat istam coniunctionem Christi & Ecclesiæ vt futuram, dici non potuit sacramentum nouæ legis.* Vnde vt dictum est, quod sacramentum nouæ legis non erat ante Christum institutum, *prout tamen habetur in glo. quam 2. allegat, potuit prius illius vnionis ineffabilis dici sacrum, inquantum illud præfigurabat vt dictum est.*

Ex his patet quod nihil valet quod obijciunt secundo. Manifestum est enim quod licet immolatio agni Paschalis & quædā alia sacrificia, passionem Christi futuram præfigurabant, propter hoc tamen sacrificia, nouæ legis dici non potuerūt, sed potius ad legem in qua erat

erat promissio Christi venturi pertinebant.

Qui dicunt 3. nihil valere, salua pace eorum satis pulchre dicitur si intelligatur, minus enim licuit promissio de libello repudij, postquam matrimonium in noua lege est institutum vt sacramentum vnionis Christi & Ecclesiæ iam factæ quam in veteri lege, quando huiusmodi institutionem habere non potuit, vt ex dictis patet, vnde tunc permittebant vxorem dimittere, & plures vxores simul habere, quod non decet nunc permitti, propter quod nec aliqua ratione permittuntur propter prædictam matrimonij institutionē noua lege. Nec intendit S. Thom. dicere, quod matrimonium veteris legis habeat diuisibilitatem, vel quod non esset indiuisibile, nec dicitur repudium fuisse licitum, sed vt dictum est quod permissio de repudio magi repugnat matrimonio in noua lege quam in veteri, vt dictum est.

FINIS PRIMAE SECVNDAE.

CORRECTORIVM CORRVPTORII IN SEcundam secundæ.

ARTICVLVS I.

2.2. q.24. art.5. De additione charitatis.

DE hoc quod S. Th. dicit, *q.24. ar.5. in respõsione principali*, quod *charitas nullo modo potest augeri per additionẽ charitatis ad charitatem, sed secundum quod subiectũ magis participat charitatem, id est, magis reducitur in actum illius, & magis subijcitur illi.*

CORRVPTORIVM.

PRimum quod dicit quod charitas nullo modo potest augeri per additionẽ charitatis ad charitatem, videtur falsum & sonare in præiudicium diuinæ potentiæ. Secundum etiam quod ponit charitatem augeri per hoc quod reducitur subiectũ in actũ illius, & magis subijcitur illi non videtur esse verum.

Primũ videtur, quod per hoc sit falsum, quia nos videmus Christum bis dedisse spiritumsanctum, semel in terra post resurrectionem *Io.* 20. & semel de cœlo *Act* 2. & vtraque vice *diffusa est charitas per spiritumsanctum*, vt dicit Apost. *Rom.* 5. ergo vel in secũda datione ami-

S. Io. Act. Rom.

serant

ferant charitatem quam in prima acceperant, quod non creditur, vel augmentata est charitas per additionem ab extrinseco.

Præterea, quod Deus sanctis quibusdam, vt 2.
B. Virgini & B. Paulo in prima infusione multo maiorem dederit gratiam quã alijs sanctis, vt Lino, sed omne excedẽs diuiditur in illud quod exceditur, & in augmentum, vt dicitur *4. physic.* ergo maior charitas Pauli potest diuidi in tantundem quantum habet Linus, & amplius. Sed omne diuisibile quod dat, Deus simul & semel potest ipse dare per partes successiue, ex quo diuisim partes dari & haberi possunt, ergo illam magnam charitatem quã Deus dedit vna vice potuit Paulo dedisse pluribꝰ vicibꝰ, sed hoc nõ est possibile nisi charitas possit augeri per additionẽ charitatis ergo.

Vlterius modũ augmẽti charitatis quẽ ipse 3.
ponit nõ reputamus verum, sc. per hoc quod subiectũ magis ac magis reducitur in actũ illiꝰ & subditur illi, aut loquitur de actu charitatis qui est vt habitꝰ, aut qui est vt vsus, si loquitur de actu vt habitus, tunc idẽ ac si diceret, quod habitus charitatis augetur per hoc quod anima vel volũtas magis reducitur in habitu charitatis illius, & hoc est petere, quod debet ostendere tanquã si diceret, quantitas pueri augetur per hoc quod magis reducitur in quantitatem, & hoc nihil est dictũ. Si autẽ loquitur de actu vt est vsus, sub hoc sensu habitus charitatis magis ac magis augetur per hoc quod anima vel voluntas magis reducitur in vsum charitatis absque additione extrinse-

Digitized by Google

ca, sic intelligēdo non videtur nobis quod sit verum, quia secundū hoc solum prima generatio charitatis esset per infusionē, & totū augmētum esset per assuefactionem & exercitiū, ita charitas ratione eius quod primo infunditur esset virtus infusa, & ratione totius augmenti esset virtus consuetudinalis. immo in multis plus consuetudinalis quam infusa, quia in multis multo plus est quod accreuit per augmentum quā quod infunditur primo, sicut videtur in naturalibus, quod modicum semen plantę crescit in magnam arborem vel in magnum animal, hoc autem nullus dicit quod charitas secundum aliquid sui vel pro magna parte sui sit virtus consuetudinalis.

4. *Praeterea*, tam virtutes intellectuales quam morales illo modo quo generātur illo modo augmentantur, ergo similiter virtutes infusæ de intellectualibus virtutibus dicit *philosophus* 2. *Eth. Intellectualis* inquit *virtus plurimam ex doctrina habet generationem & augmentum.*

cap. 2. *Item eodem l. c. 3.* infra *de moralibus dicit. Non solum generationes & augmentationes & corruptiones ex eisdem & ab eisdē fiunt, sed operationes in eisdē erūt.* Et infra idē c. 3. *Quod quidē igitur virt⁹ delectationes & tristitias, & quoniam ex quibus fit & augetur & corrumpitur tantum dictum sit.*

5. Rationes quas pro se adducit non cogunt.

t. com. 58. Prima est talis. *Simplex simplici additū nō facit ipsum maius*, vt probatum 6. *physicorum. Sed charitas est simplex*, ergo *non fit maior per additionem.*

Resp. sicut duplex est quantitas, sc. molis & virtutis: secūdū S. Aug. ita duplex est simplex, scili-

scilicet mole & virtute, & similiter maius & etiam simplex mole quantum virtute potest esse, ita in omnibus formis præterquam in mathematicis, vnde charitas est simplex mole & quanta virtute. *Duplex quantitas ita & duplex simplex.*

Secunda ratio quam ponit est ista. *Si charitas augeretur per additionem charitatis, oportet illam quæ fit additio, & illam quæ additur distingui saltem per intellectum. Sed charitas à charitate in eadem anima non potest distingui, quia nec secundum speciem nec secundum numerum. Non secundum speciē, quia talis distinctio habituum sumitur penes obiecta. Sed charitas à charitate penes obiecta non distinguitur, sed respectu eorundem obiectorum sunt. Nec secundum numerum distinguuntur, quia talis distinctio est per subiecta & talis non potest esse in vna anima.*

Responsio, arguit ab insufficienti, quia alius est modus distinctionis secundum numerum quam secundum subiecta, per tempora scilicet & per mutationem temporis, sicut dicit philosophus. 5. *physicorum*, & patet per se, quia est alia sanitas quæ præcedit infirmitatem, & quæ sequitur eam. Consimiliter de charitate quæ infunditur in vno tempore, & quæ infunditur in alio tempore. *t. com. 2.*

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM *S. Thomam.*

ISTAE cauillationes procedūt ex falsa imaginatione sunt argumentum charitatis ad modum augmenti corporalis in quo fit

additio quantitatis ad quantitatem, non intédentes quod aliquo modo augmentantur vel intenduntur qualitates simplices ex suis causis scilicet ex causa agente & recipiente. Agens enim in naturalibus intendit reducere patiés quod est in potentia suæ similitudinis quantũ potest. Sicut autem non calidum est potentia ad calidum, ita minus calidum est in potentia ad magis calidũ, vnde sicut peractioné calidi efficitur de non calido calidũ, quia calor qui est in poté́tia reducitur ad actũ, ita etiã minus calidum efficitur magis calidum per actioné calidi, inquantum educitur calor qui erat in actu imperfectus ad maiorem perfectionem & maiorem assimilationem agentis, & hoc contingit secundũ quod potentia subiecta est actui, quæ quidem quantum in se est ad multa se habens, magis ac magis terminatur sub actu illo quod fit, vel quia augetur virtus agentis, sicut ex coniunctione plurium luminarium, vel quia ex parte materiæ inducitur aliqua dispositio propter quam efficitur susceptibilior istius actus, sicut aer quanto plus attenuatur tanto fit susceptibilior ipsius luminis. Intensio autem charitatis non fit ex hoc quod virtus agentis fortificetur, sed tantum ex hoc quod natura recipiens (quæ quantũ in se est dispositioné quãdã habet secundũ quod est in potentia pura) magis ac magis præparatur ad susceptionem gratiæ & hoc secundum quod ex dicta multitudine & confusione potentialitatis in vnum colligitur per operationes, quibus ad charitatem maiorem susci-
piendam

piendam præparatur. Et ideo Dionysius perfectionem sanctitatis semper designat per hoc quod est ex partita vita in vnitam consurgere. Et sic patet quod augmentum charitatis simile est, non quidem augmento quantitatis, quod fit per additionem quantitatis (vt isti imaginantur & falso) sed augmento qualitatis simplicis quod fit per intensionem, per hoc. sc. quod ab imperfecto ad perfectum reducitur, vt dictum est.

Ad primū

Ad primum in contrarium dicendum, quod licet Christus bis legatur dedisse Spiritum sanctum discipulis, ad quod consequens est quod charitas fuit augmentata in eis, non tamen sequitur ex hoc modus augmentationis per additionē vt ipsi fingunt, sed quod spiritus sanctus secūdo adueniens charitatē quæ prius erat minus perfecta ad vlteriorē deduxerit perfectionem ac maiorē sui similitudinem, sicut calidū intensum agendo in minus calidum calorē prius imperfectum ad gradum deducit perfectiorē. Ratio autē nō plus cogit nisi quod causa agēs in augmento charitatis fuit ab extra. Sed ipsi imaginati sunt quod aliquid charitatis fuit ab extra creatū, & postmodū animæ infusum, & priori charitati adiunctum, quod puerile ac friuolum est. Illud enim charitatis de nouo creatum non potest accipere esse nisi in subiecto cum sit accidens. In eodem autem subiecto non possunt esse duæ charitatis. Impossibile est enim formam eiusdem speciei in vno subiecto numero plurificari, sicut patet ex dictis S. Thomæ hic & in primo sententiarum. *distin*. 17. *q*. 2.

Ad se-

Ad 2. *Ad secundum dicendum*, quod magnitudo charitatis collatæ beatæ virgini vel sancto quantumcunque magno, non habet diuisibilitatem ad intra, cum tam ratione suiipsius quam ratione subiecti sit per se & per accidés indiuisibilis. Illa autem cauillatio procedit ac si haberet partibilitatem ad intra per modum quantitatis, quia tunc posset ei vna pars dari sine alia, vel simul cum alia, nunc autẽ huius-
3. modi partes non habet, dicitur autẽ huiusmodi habitus charitatis vel alius consimilis maior vel minor, secundum quod est intensior vel remissior, quæ quidem magnitudo est magnitudo virtutis non molis, quæ pertinet ad genus quantitatis, vbi contigit partem & partem accipere, & per consequens partem parti copulando augmentum inuenire.

Quod autem vlterius dicit, omne excedens diuidi potest, &c. Si intelligat de diuisione reali & excessu virtuali, falsum dicit & impossibile, manifestũ est n. quod vna forma indiuisibilis & simplex (quam impossibile est per partes diuidi, cum nullas habeat) potest aliam in virtute excedere, potest tamen ibi esse diuisio secundum rationem, ex eo quod intellectus potest illam virtutem partialiter intelligere, accipiendo illud in quo æquatur alteri, & in quo excedit illud idem. Verbigratia. Possum accipere per intellectum in charitate beatæ virginis gradum in quo æquatur charitati Lini, & gradum in quo æquatur charitati Petri, & gradum vlteriorem in quo excedit charitatem vtriusque. Illa autem partibili-

tas

tas non cadit in ipsa re quæ est indiuisibilis, sed in ipsa ratione rem eandem gradatim & partialiter considerante.

Ad tertium dicendum, quod S. Thom. loquitur qui ipso actu charitatis qui est habitus, & verum est quod idem est animam subijci charitati & huic actui, nec tamen sequitur quod istud non faciat ad declarationem suæ positionis. Planum est enim quod istam veritatem ignorabant qui augmentum charitatis non per hoc quod anima ei subijciatur amplius, sed per hoc quod noua charitas priori adijcitur fieri æstimabant. Quantitas vero pueri alio modo quā per intensionem huiusmodi, sed per additionem & extensionem habet fieri. Vnde manifestum est quod pro eis fecit S. Thomas in hac parte. *Ad tertiū.*

Ad quartum dicendum, quod illud quod adducit de philosopho. 3. ethicorum, quod ex eisdem generantur virtutes & corrūpuntur & augmentantur, nihil facit pro eis. Non enim intendit S. Thom. quod actus charitatis secundus qui non est sua essentia inducat augmentum charitatis per modum causæ agentis sed per modum meriti de congruo disponentis. *Ad quartū*

Quod dicunt quinto ad rationem primam, quod charitas habet quantitatem virtutis, quamuis non molis, ratione cuius augeri potest per additionem, friuolum est, quoniam quantitas virtutis nullam ponit diuisibilitatem vel partium pluralitatem in eo cuius est vnde per consequens non potest intelligi ratione huius quantitatis aliquam partem vnam alteri su- 4.

Digitized by Google

peruenire; & sic per additionem augmentationem facere.

Ad 6. *Quod dicunt 6. ad rationem secundam*, quod alius est modus distinctionis secundum numerum quam secundum subiecta per tempora scilicet siue per mutationem temporis, manifestum est qualiter non intelligunt quod dicunt, quod enim aliqua forma in subiecto manens varietur vel distinguatur ex sola variatione temporis absq; sua corruptione media, omnino est impossibile. Sicut patet in exemplo quod ipsi pro se adducunt. Impossibile enim foret sanitatem in eodem subiecto numero distingui vel numerari ex sola temporis varietate, nisi scilicet per infirmitatem mediã corrumperetur. Similiter etiam impossibile est charitatem priorem distingui à charitate sequenti ex sola temporis varietate nisi contingat medio tempore ipsam charitatẽ priorem corrumpi, vnde patet quod prædicta responsio friuola est & vana, quod scilicet charitas quæ infunditur vno tempore distinguatur ab illa alia charitate quæ infunditur alio tempore, manente enim charitate priore, nulla alia infunditur noua, sed illa quæ præfuit ad maiorum perfectionem & similitudinem cum charitate summa Spiritus sancti & agentis reducitur.

ARTICVLVS II.

q. 24. ar. 7 augmento charitatis non præfigitur terminus.

SANCT. Thomas dicit secunda secundæ, quæstione, 24. ar. 7. in responsione principali, *quod augmento charitatis in vita ista nullus terminus præfigi potest.*

COR-

CORRVPTORIVM.

PVTAMVS quod non sit verum istud. Omne enim finitum potest venire ad quãtitatem cuiuslibet finiti sui generis, immo incomparabiliter transcendere. Cum igitur charitas Christi finita fuerit, quia creata, & etiam beatæ virginis, & etiam sit eiusdem generis cum charitate aliorum hominum, posset charitas cuiuslibet viatoris si cresceret in infinitum transcendere charitatem Christi & beatæ virginis, quod est horribile audire pijs auribus. 1.

Præterea, quanto magis augeretur habitus dilectionis, tanto magis intenderetur actus diligendi, ergo si habitus augeri potest in infinitum, & actus. Sed actus non potest, quare nec habitus. 2.

Præterea, hoc est contra S. Augustinum lib. primo retract. c. 6. vbi ponitur retractatio libri de moribus Ecclesiæ, *Hoc quod dixit, Deum quem cognoscere volumus prius plena charitate diligamus, melius diceretur sincera quam plena, nisi forte putetur charitatem Dei non futuram esse maiorem, quando videbimus facie ad faciem. Si vtique accipiatur tanquam plena, dicta sit qua maior esse non posset, quamdiu ambulamus per fidem.* 3.

Item in libro de perfectione iustitiæ ante medium. Charitas vt habeatur tanta quanta haberi potest in corpore mortis huius parum est nostræ voluntatis arbitriũ, nisi adiuuet gratia Dei per Christum Dominum nostrum. 4.

Digitized by Google

Ex his auctoribus patet, quod non est charitas augmentabilis in infinitum in hac vita, alioquin non posset in hac vita tam plena esse quod non posset maior esse, cuius contrarium dicit prima auctoritas.

Præterea, si esset augmentabilis in infinitum, non haberetur tanta quanta haberi potest. Cuius contrarium dicit secunda auctoritas.

5. *Præterea*, ratio quam adducit pro confirmatione positionis prædictæ sumitur *de glosa ad Philip. 3. super illud. Non quod iam acceperim aut iam perfectus sim*, Glo. *Nemo fidelium* (& si multum profecerit) *dicat sufficit mihi. Qui enim hoc dicit exit de via, vel quiescit in via ante finem.*

Responsio, duplex sufficientia charitatis potest intelligi, vna est sufficientia habitus. Alia secundum vsum & numerum meritorum. Glo. ergo non negat tantam sufficientiā charitatis in via posse haberi qua maior non possit: sed negat hoc de vsu & sufficientia meritorum, quæ vere nunquam sunt tot & tanta in via, quin plura & maiora possint esse, & quin adhuc ad maiora debeat conari. Et quod sic intelligendum sit patet ibidem per glosam, quæ ita dicit. *Hoc de se Apostolus ait. Non quod iam acceperim aut iam perfectus sim*, quia homines laborandum sibi intelligere debent vt iustificationum merita ac perfectiones metam adipiscantur.

Alia ratio est talis quam ponit. *Terminus non præfigitur augmento formæ alicuius, nisi vel ratione forma*

forma in se, vel ratione causa agentis, vel ex parte subiecti recipientis, ratione ipsius charitatis in se terminus persigi non potest. Ipsa enim charitas secundum rationem proprie speciei terminum non habet. Est enim participatio infinita charitatis qua est Spiritus sanctus. Nec etiam ratione causa agentis scilicet Dei, quia ipse est infinita virtutis, nec etiam ratione recipientis, quia crescente charitate semper crescit habilitas ad maiorem adhuc charitatem participandum.

Responsio, dicimus quod ad minus duobus modis præfigitur terminus augmentationi charitatis. Primo ratione suiipsius in se, eo quod est forma habens contrariũ. Formæ .n. augmentabiles in infinitũ contrarium non habent, sicut patet in speciebus quantitatis cui nihil est contrariũ, vt dicit philosophus. Cuius ratio est, quia cõtraria secundũ suã diffinitionẽ maxime à se inuicem distant. Aliqua enim duo quorum vtrũque vel alterum augetur in infinitum, distantia ipsorum necessario augeretur in infinitum, & ita nunquam esset maxima. Et ideo illa quorum vtrunque vel alterũ crescit in infinitũ, non possunt esse contraria. Et ideo charitas ipsa quę est forma habens cõtrariũ, necesse est quod non possit augeri in infinitũ. Ratio ista trahitur ex verbis Commen. 4 *cali & mundi* super illam partem, *manifestum est si supra leue esset leuius accipe in infinitum: leue non esset contrarium graui*, quia *contraria maxime distant*. Nec valet quod charitas est quædam diuinæ & infinitæ charitatis participatio, quę est Spiritus sanctus ergo potest crescere in in-

In prædicamentis.

tom. 2.

 finitum

finitum, quia non solum ex hoc posset inferri quod ista posset augeri in infinitum, sed quod ipsa sic sit infinita, quia est quædam participatio illius quod est actu infinitum, & constat quod hoc non sequitur. Similiter dicimus quod augmentum charitatis statum habet ratione subiecti recipientis, & quando dicimus quod subiectum charitatis crescente charitate semper crescit, dicimus quod siue loquatur de remoto, scilicet de essentia animæ dicimus inquam quod falsum est, quia essentia animæ nec est infinita, nec crescit in infinitum, hoc constat. Similiter nec potentiæ animæ sunt infinitæ, *vt dicit Arist. li. de problematibus in particula. 3. potentias non infinitas habemus receptiuas & actiuas, sed finitas, quæ adipiscuntur commensurationem.*

Præterea, potentiæ quia sunt naturales, posito etiam quod augerentur, non augerentur in infinitum, dicit enim *philosophus 2. de anima.*
t.com. 41. *Omnium natura constantium est terminus & ratio magnitudinis & augmenti.*

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

HOc quod isti in proposito putant falsum, tam hic quam *super primo sen. dist.* 17. est ab ipso S. Thoma pulcherrime declaratum, quod videlicet terminus augméti charitatis in via nullatenus præfigi potest cum tamen charitas viæ nullo modo æquari possit charitati propriæ quæ finita est, quod quo modo fieri possit, exemplo tali poterit declarari,

Digitized by Google

declarari. In aere manente aere non contingit præfigi terminum augmenti caloris in eodẽ, semper. n. manẽte aere manet potẽtia ad calorem maiorem, quia forma aeris non compatitur secum calorem summũ qui naturaliter concomitatur & consequitur formam alterius naturæ scilicet formam ignis, sic charitati viæ quæ innititur cognitioni fidei ænigmaticæ non potest præfigi terminus augmenti statu viæ permanente, semper enim manente huius cognitione in statu viæ remanet charitas vel amor sub quadam imperfectione, eo quod innititur illi cognitioni imperfectæ quę non compatitur secum illam charitatis perfectionẽ, quæ in propria ad perfectã Dei cognitionẽ consequetur. In hoc tamen est differẽtia in proposito & exemplo adducto, quod calor in aere per actionẽ aliquã in tantum potest intendi quod necesse erit in fine actionis illius formã aeris corrumpi, & summũ calorem cum forma ignis ad quam consequitur induci. Sed charitas in statu viæ nunquã potest per actionem aliquam viatoris augmentum charitatis promerentis intantum intendi, quod necesse sit cognitionem ænigmaticam euacuari, & charitatem patrię cum visione perfecta quam consequitur induci, cum à beneplacito diuinę voluntatis dependeat, quin potius quanto charitas in via fuerit maior, tanto etiam cognitio fidei ænigmatica est perfectior & certior, aucta enim charitate, & per consequens fide, cum virtutes sint connexæ certius ac firmius mens heret propter viritatis primæ auctoritatẽ his quæ nõ videt hõ. Z 2 Hu-

Huius ratio differētiæ aſſignatæ hæc eſt, quod potentiæ materiales ſunt determinatæ & finitæ ſecundum exigentiam materiæ vnde potentia materiæ aeris ad calorem finita eſt & limitata, vnde quando ab actione calefacientis tranſcenditur potentia illa neceſſe eſt quod ipſa cum aere ſubiecto corrumpatur. Sic & potentia ſenſus eo quod materialis eſt & per materiā limitata, à ſenſibili ſuperexcellenti corrumpitur. Secus eſt de potentijs immaterialibus quæ non limitantur ex materia, ſed magis ſecundum participationem bonitatis diuinæ in eis perceptæ vnde quanto plus eis additur de bonitate, tanto magis ineſt eis potentia & capacitas ad vlteriorē, Ideo intellectus *3. de anima.* confortatur ab excellentibus intelligibilibus, ita quod quanto plus eleuatur ad alta cognoſcenda, tanto magis ampliatur eius capacitas ad altiora capiendum. Iſti autem comparantes capacitatem ſubſtātiæ ſpiritualis capacitati ſubſtantię materialis, putauerūt quod terminus in augmento charitatis eſſet præfigendus ratione potentiæ limitatæ, quia ſic videtur contingere in augmento qualitatis in ſubſtantia materiali ac ſenſibili. Ipſi enim vtpote minus intelligentes ad modum puerorū per omnia in hoc & alijs ſenſui innituntur ſpiritualia & intellectualia per iſta ſenſibilia commenſurantes.

Ad primū *Ad primum dicendum,* quod ad hoc quod finitum finito adęquetur per additionē, neceſſe eſt quod ſint eiuſdem rationis, ſicut patet in linea ſuperficie & corpore, quæ licet ſint finita per

ta per additioné, tamen nunquã possunt adæquari, cũ non sint eiusdem rationis. Sic charitas Christi non est eiusdẽ rationis cum charitate viatoris, tum quia est dispositio ad vnionem cũ verbo, & ex hoc habet quandã infinitaté, tum quia innititur visioni perfectissimæ ipsius verbi, & hoc à primo instanti suæ conceptionis. Charitas vero viatoris innititur (vt dictum est) cognitioni fidei ænigmaticæ, propter quod quantumcunque crescat charitas viatoris, exceditur incomparabiliter à charitate Christi, & similiter à charitate virginis matris eiusdem eadem ratione. Si tamen loquimur de charitate beatę virginis in via, certum est quod charitas eius potuit augeri, vnde in ipsa charitate profecit, & per consequens augmentũ charitatis promeruit, nullus tamen tantam gratiæ plenitudinem recepit vt ipsi in huius profectu possit adæquari istud pię aures non abhorrent nisi forte sint asininæ, & sinę intellectu existant.

Ad secundum dicendum, quod nullum inconueniens est ponere, quod actus charitatis possit intendi aucta charitate. Sicut enim charitas viæ (vt dictũ est) quãtumcunq; aucta semper est finita, immo ét respectu charitatis propriæ imperfecta, sic actus eiusdẽ semper erit finitus & respectu charitatis in propria imperfectus. *Ad 2.*

Ad tertiũ dicendũ, & ad 4. quod S. Augustin. in vtraque auctoritate loquitur de quantitate & plenitudine charitatis in genere, quæ est vt Deus diligatur præ omnibus. Sed cũ peccato carere non valeamus omnia & singula sem- *Ad tertiũ. & quartũ*

per in ipsum ordinantes actu, tamen in hoc ipso quod est Deũ sic in hac vita diligere modo prędicto quo possumus continuum potest esse perfectus, sicut patet per S. Augustinum eodem li.c.7. vbi sic ait. *Ardor quippe charitatis sequendo Deum factus etiam magnus vt vitia cuncta consumat in hac vita nasci & crescere potest, perficere vero propter quod nascitur vt nullum in sit homini vitium, nec consequenter hoc potest, quamuis tanta res eodem ardore charitatis perficiatur, quando perfici & vbi perfici potest, hoc est in patria.* Ecce hic dicit S. Augustinus quod charitas vel amor etiam magis crescere potest, cum nimirum secundum eum non possit esse tanta quin aliqua vitia stent cum ea, quæ quanto magis per actum charitatis reprimuntur tanto magis meretur ipsa charitas augmentari, quod sic patet. Actus enim charitatis maioris, maioris est virtutis in merendo. Sed actus charitatis minoris meretur augmentum charitatis, ergo multo fortius hoc merebitur actus charitatis maioris stante statu merendi. Et huic consonat glo. quam adducunt, *nemo fidelium & si multum perfecerit, &c.*

S. Aug.

Ad. 5. *Et quod dicunt 5. respondendo*, illi gl. & rationi S. Th. quod non negatur ibi sufficientia habitus, sed sufficientia meritorũ, stare nõ potest, quia si nõ negatur sufficientia meritorũ & merita charitatis posterioris quæ est perfectior sit maioris efficaciæ quã merita charitatis prioris & imperfectioris, consequẽs est quod per ipsam contingit, maiorẽ perfectionẽ charitatis promereri, vnde si attẽdamus ad virtutẽ promerendi,

merendi, quæ tanto maior est ad promerendũ augmentũ charitatis quãto à maiore charitate procedit inueniemus quod in positione sua includũt contradictoria, sc. quod charitas in aliquo gradu in statu viæ nõ põt augeri, & tamẽ ꝙ possit augeri patet ex hoc ꝙ merita quę erãt maioris efficaciæ, q̃ priora, ab ipsa possũt elici.

Quod autẽ 6. respondendo ad rationẽ S. Th. quod formæ augmẽtabiles in infinitũ nõ habẽt cõtrarium, cuius oppositũ videmus in charitate, propter quod videtur eis quod nõ possit in infinitũ augeri, quia nunq̃ esset maxima distãtia, nihil valet si prædicta intelligantur. Charitas n. cuius augmenti terminus præfigi nõ potest est charitas viæ inter quam & culpã vel cupiditatẽ nõ est distãtia maxima, quia inter charitatẽ proprie & prædicta est distãtia incõparabiliter maior, vnde ista ratio si recte sup præmissas veras fundetur pro nobis facit, ex quo charitas in statu viæ nunq̃ põt habere quantũcũq; crescat distãtiã sũmã vel maximã ad culpã vel cupiditatẽ quę sũt sibi in rõne cõtrarij, seqtur ꝙ in infinitũ in statu viæ possit augeri. Ad 6.

Quod vero imponunt S. Th. ibidem, quod ipse ponit subiectum charitatis crescere ipsa charitate crescente, non est de intentione S. Thom. & mirum est cum hoc non ponat, quare sibi volebant hoc imponere, nisi forte quia ipsum non intelligebant, & hoc reuera in multis quæ loquuntur ostendunt. Dicit autem S. Thom. non quidem quod crescat essentia animæ vel eius potentiæ (vt isti putabãt & falso) sed quod crescente charitate crescat habilitas

ipsius potentiæ volitiuæ ad maiorem charitatem percipiendam quæ potest crescere in infinitum, licet enim capacitas animæ sit finita actu, tamen plus & plus in infinitum ampliari, secundum quod plus & plus recipit de participatione diuinæ bonitatis, nunquam tamen erit infinita, nec recipiet perfectionem infinitam, sicut patet etiam in additione numeri quæ potest procedere in infinitum, nunquam tamen erit aliquis numerus actu infinitus, quia potentia in additione numerorum nō est vna vt dicit Commentator. 3. *physicorum*, sed semper ex noua additione efficitur alia potentia numero, vnde quælibet potentia potest exire in actum, non tamen potest esse [vt omnes exeant in actum], nam super actu posito additur noua potentia quæ prius non fuit. Simili modo intelligimus de habilitate & capacitate ipsius animæ. Semper enim crescente charitate aduenit noua capacitas vel habilitas respectu amplioris perfectionis percipiendæ.

ARTICVLVS III.

S. Th. 33. ar. 7. Correctio fraterna an præmetenda denunciationi.

SANCT. Thomas dicit, *q. 33. art. 7.* vbi quærit, vtrum correctio fraterna siue secreta debeat præcedere denunciationem: *Et in resp. 5. argum. dicit, prælato non est obediendū cōtra præceptū diuinū, sicut dicitur Act. 5. oportet*

Digitized by Google

oportet magis obedire DEO *quam hominibus, & ideo quando prælatus præcipit vt sibi dicatur quod aliquis sciuerit corrigendum, intelligendum est præceptum sane saluo,* scilicet *ordine correctionis fraternæ, siue præceptum fiat vniuersaliter ad omnes, siue specialiter ad aliquem.* Sed *si prælatus expresse præciperet, contra hunc ordinem à* DOMINO *institutũ, & ipse peccaret præcipiens & ei obediens,* scilicet *quasi contra præceptum diuinum agens, vnde non esset ei obediendum, quia prælatus non est iudex occultorum, sed solus* DEUS, *vnde non habet potestatem præcipiendi aliquid de occultis nisi per aliqua indicia manifestentur, puta per infamiam* vel aliquid tale, *in quibus casibus potest prælatus* præcipere *sicut iudex secularis vel Ecclesiasticus exigere iuramentum de veritate dicenda.*

CORRVPTORIVM.

COnstat istud esse nimis contrarium regulari obseruantiæ, secũdum hoc enim nunquam esset facienda secreta inquisitio nisi præmissa admonitione de præcepto de correctione fraterna prius facienda secundum ordinem à Deo constitutum, quod minime fieri consueuit. 1.

Et istud etiam reputamus falsum, quia certum est quod in omnibus obediendũ est præcepto superioris, vbi præceptum inferioris impleri potest cum præcepto superioris, sed hoc est possibile in casu proposito, ergo &c. Maior patet per se, minor declaratur sic. Secreta denuntiatio facta prælato non tollit or- 2.

 dinem

Digitized by Google

dinem correctionis institutū à Domino, immo post denūtiationem complete, integre & perfecte fieri potest non .n. hoc prohibet vel aliquo modo impedit prælatum ratione denuntiationis sibi factę, ergo in hoc tantum obediendum est prælato.

3. *Item* videtur quod si nō præcipiat prælatus denuntiandum tamen sit ei, constat .n. quod correctio fraterna & ordo correctionis ad lucrifactionem & correctionē fratris ordinatur ergo & illa via & omnes viæ tenēdę sunt, quæ magis & directius & probabilius proficiunt ad eius correctionem. Sed denuntiatio facta prælato etiam cū correctione secreta magis proficit ad fratris correctionem, sc. peccantis, quā correctio sola, ergo videtur potius secūdum rationem rectam, quod vtraque potius facienda sit quam altera tantum.

4. *Præterea*, esto quod vtraq; via simul seruari non posset, quod tamē falsum videtur, adhuc videtur quod magis eligenda est faciēda peccātis denūtiatio prælato existēte bono & pio & discreto quā priuata correctio. Ex quo .n. per hęc duo nihil aliud intenditur quā peccātis emendatio, illa via est magis eligenda per quam speratur & creditur magis posse corrigi & melius. Sed vt frequentius hæc est via denuntiationis. Correctio enim peccantis in duobus consistit, scilicet in cautela de futuro, & in pœnitentia de præterito primum est cautela, quia sine hac non potest esse pœnitentia de præterito fructuose, vnde hoc ordine præcipitur *Eccl. 21. Semel peccasti, ne adijcias iterum, sed etiam de pristinis deprecare*

Digitized by Google

vt dimittantur tibi. Sed constat quod ad cautelam futurorum semper vel vt frequentius, vbi peccatum iterari potest, plus potest prælatus quã subditus simplex. Tertio via denũtiationis ad hãc cautelã correctionis fortior est ac potentior, ergo magis eligenda. Similiter ad aliam partẽ correctionis quæ est pœnitentia de præterito, plus videtur posse prælatus quã subditus. Duo enim sunt per quæ maxime inducitur peccator ad pœnitentiam, sc. promissio & comminatio, ad quorũ vtrumq; violentior & sufficientior debet esse prælatus quam subditus, siue fuerit comminatio siue promissio de temporalibus siue de æternis, ergo via denuntiationis est efficacior ad fraternam correctionem, ergo magis eligenda.

Rationes quas insinuat pro confirmatione positionis non valent.

Prima est, quod *est contra præceptum diuinum denuntiare prælato peccatum fratris occultum, nisi prius facta correctione secundum ordinem à Domino constitutum. Et prælato præcipienti aliquid contra præceptum diuinum non est obediendum, iuxta illud Acto 5. obedire* magis &c.

Ad hoc dicimus quod saluator quãdo præcipit correctionem fraternam & ordinem ei⁹, non prohibet fieri denuntiationem secretam prælato. Quando enim dicitur; *dic ecclesiæ* hoc dicitur de accusatione sub testibus qui in 2. correctione adhibiti sunt. Vnde constat quod saluator explicite non prohibet eam fieri nec implicite, & ex consequenti quia denuntiatio & correctio ambæ possunt fieri, & neutra per alteram impediri vnde

quod prælatus exigens huius denuntiationem per præceptum, nihil præcipit contra præceptum diuinum, ſicut ipſe ſupponit.

6. *Secunda ratio*, quam ponit eſt talis, *prælatus non eſt iudex occultorum, ſed ſolus Deus, vnde non habet poteſtatem præcipiendi de occultis & ſi præcipiat non eſt obediendum.*

Ad hoc dicimus quod prẹlatus exigens denuntiationem de occultis, non intendit circa denuntiationes procedere per viam iudicij, prout iudex, ſcilicet puniendo & condemnando, quia propter vocem vnius nullus poteſt iudicialiter condemnari. *Deut.* 17. & 19. ſed intendit procedere vt pater & paſtor & medicus curando vt poteſt, & prẹſeruando ſicut valet ſine famæ læſione, & ſiniſtræ opinionis occaſione. Famæ enim læſio & ſiniſtræ opinionis occaſio vergunt in pẹnam publicã, & non debent infligi pro occultis.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

Ad 1. *Ad* 2. *Ad* 3. *Ad* 4. QVi dicta S. Th. in ſolutione huius quæſtionis, & in reſponſione ad arg. inſpicit & diligenter conſiderauerit, quando ſcilicet facienda eſt denuntiatio & correctio præhabita & quando non, & in quo caſu, & in quo non, quod nihil contra ipſum faciũt omnia quæ iſti garriendo adducunt intelliget euidenter, vnde ne ſemper ſingulis verbis per ſingula reſpondeatur, applicatio reſponſionis ad præſens per ſingula prætereatur.

Tamen

Digitized by Google

Tamen quod ad huiusmodi declarationem dicit idem S. Thomas *super 4. senten. distin. 19. q. 3.* vbi agitur de correctione fraterna attendatur, vbi sic dicit. *In peccatis denūtiandis considerandum est, vtrum peccatum sit omnino occultum, aut ad notitiam aliorum deuenerit aut in promptu sit vt eueniat. Si enim peccatum iam ad aliorum notitiam deuenit, tunc debet denuntiari illi qui habet potestatem corripiendi, vt qui scandalizati sunt de culpa adficentur de pœna. Si autē nondum in publicum deuenerit, sed est in via deueniendi, tunc aut denuntiandum est vt scandalo futuro occurratur. Si autem omnino sit occultum, tūc considerandum est vtrum emendatio peccantis expectari possit probabiliter aut non, quod quidem facile aduerti poterit si consideretur, vtrum aliquis ex electione aut passione peccauerit, siue ex malitia vel infirmitate quod idem est, quod perpendi potest ex conditione peccantis & ex iteratione, quia si aliquis frequēter & quasi incorrigibiliter & sine frano in peccatum est lapsus, signu est quod ex malitia vel electione peccat, & non facile emendatur. Si autem semel occasione peccandi ablata in peccatum ruit, & postea verecundiam & tristitiam de peccato ostendit, signum est quod sit peccatum ex passione vel infirmitate. Si ergo emendatio speretur, debet admonitio pracedere, & denuntiatio differri quousque videatur quantum emendetur peccator, nisi forte immineret occasio similis ruendi in peccatum, quam declinare non vellet admonitus, tunc enim deberet pralato denuntiari ne in pracipitium iret. Si autem non speretur emendatio, tunc considerandum est an idem peccatum sit infectiuū aliorum,*

aliorum, sicut hæresis vel fornicatio, vel aliud huiusmodi, vel etiam cedat in aliquod damnum alterius, sicut furtum, homicidium & huiusmodi. Si enim non cadit in damnum alterius, nec sit infectiuum alterius, tunc potest denuntiatio differri quousque videatur admonitionis effectus præcipue si emendationem promittit. Si autem sit infectiuum aliorum, debet denuntiari prælato vt gregi suo caueat. Vnde rationes istorum non plus probãt nec probare possunt, nisi quod in aliquibus casibus denuntiatio potest fieri prælato, non præhabita correctione secreta, quod concedit S. Th. vt patet ex dictis.

Quod autem dicunt ad primam rationem S. Th. quod saluator non prohibet facere denuntiationem secretam prælato, verum est ordine debito. Iste autem ordo vt in casu prout dictum est primo corripiatur, deinde si se non correxerit prælato, non inquam in iudicio præsidenti, quia hoc est dicere ecclesiæ, sed secretius extra iudicium existenti, & sic dicere prælato non est nisi dicere quasi personæ priuatæ quæ potest prodesse & non obesse, quia nullus potest magis prodesse quam prælatus, qui tamen si *admonitus neglexerit corrigi aliis per quos conuincendus est si negauerit debet ostendi*. Iste ordo declaratur in regula Beati Augustini, vbi primo docet admonitionem fieri quam peccatum prælato ostendi, etiam vbi prælatus non intendit procedere per viam iudicij, puniendo publice & condemnando, sed tanquam pastor & medicus pro cura adhibenda secretius admonendo, vnde ipse ait.

Prius

Prius prælato debet ostendi vtique post admonitionem, *vt secretius correctus non innotescat cæteris.*

Ex quo patet, quod hoc quod dicunt ad secundam rationem nihil valet, quia secundum præceptum saluatoris satagere debemus peccatum fratris in casu curare sola secreta admonitione si est possibile, & hoc præceptum de correctione fraterna videtur processisse ex nimia Christi dulcedine, qui *cum dilexisset suos in finem dilexit eos*, quorum consciētiā curare vult sine omni famæ læsione in casu, & quando hoc fuerit possibile. *Ad 6.* *Ioan. 13.*

ARTICVLVS IV.

SANCT. Thomas. *q. 104. artic. 5. disputat.* vtrum subditi teneātur in omnibus obedire prælatis & superioribus suis. Et in responsione principali dicit. *Ita mens est sui iuris, & ideo secundum ea quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed soli Deo, tenetur autem homo homini in his quæ per corpora exterius sunt agenda.* *q. 104. artic 4. in interioribus homo Deo obedit.*

CORRVPTORIVM.

ISTud videtur nobis falsum. Constat enim quod eadem ratione & intentione qua tenetur quis ad aliquem actum, tenetur ad omnia 1.

Digitized by Google

omnia antecedentia sine quibus actus impleri non potest, vt si teneor interesse matutinis in choro, teneor surgere de lecto & ire ad Ecclesiam, ergo cum actus corporales in quibus tenentur subditi obedire prælatis, perfici non possunt sine imperio voluntatis, restat quod vna & eadem intentione tenentur subditi ad vtrunque. *Ex hoc arguitur vlterius.* Si subditi
2. tenentur obedire prælatis in actu corporali exterius, & in motu voluntatis quando coniuncti sunt, multo fortius tenentur obedire in solo motu voluntatis si singulariter præcipiatur, *eodem modo arguitur de motu cognitionis,*
3. si prælatus præciperet subditis deliberare super aliquo negocio quid foret agendum, vel de aliquo dubio casu quid esset respondendú æstimo quod nullus diceret subditos non teneri deliberare, vt post secum caute procederent & sane responderent. Si ergo subditi tenétur prælato in actu deliberationis vbi subsequitur operatio & responsio, probabile est quod similiter tenerentur, si sola deliberatio eis præciperetur. Et ideo religiosius & verius videntur nobiscum sentire, qui dicunt quod per hoc intelligitur in omnibus actibus, vt patet in exemplo, si etiam prælatus impossibile preciperet, saltem voluntate & desiderio,
Exemplũ. tenetur obedire subditus, sicut in *secundo libro dialogorum scribit S. Gregorius,* de quodam coruo, cui Beatus Benedictus præcepit vt panem veneno intinctum portaret in loco vbi à nemine reperiretur, *Coru⁹* inquit *aperto ore ex pãsis alis circa panem cœpit discurrere atque crocitare.*

Digitized by Google

citare, ac si aperte diceret, & se obedire velle, & iussa implere non posse.

Item hoc videtur consonum doctrinæ Apostolicæ. Dicit enim Apostolus ad Ephes. 6. *Serui obedite dominis carnalibus cũ timore & tremore in simplicitate cordis vestri.* Glo. *vt sicut ostenditis extra, sic sit in voluntate vestra.* Vnde ibidem subdit Apostolus. *Non ad oculum seruientes; sed sicut serui Christi cum bona voluntate seruientes, Domino non sicut hominibus.* Hoc verò quod obijcit quod ratio sui iuris est, non cogit. Sicut enim ipsa est iuris proprij, ita in homine libero corpus totaliter pertinet ad iudicium rationis, & sicut ratio per votum obedientiæ potest dare ius alteri quod habet in corpus; ita etiam Ius quod habet ratione suiipsius.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

SI dicta S. Thomæ in hac parte intellexissent, ipsimet ista verba inania reputassent. Vbi enim dicit quod *mens est sui iuris,* intendit quod & si in corpore homo homini iure polytico ac ciuili dominetur, ipsa tamen mens huiusmodi seruituti non substernitur, quod declarat per verbum. *Seneca lib. 3. de beneficijs. Errat si quis existimet seruitutem in toto homine descendere, pars eius melior excepta est, corpora obnoxia sunt & astricta Dominis.* Ecce manifestum est quod loquitur ibi de seruitute & subiectione ciuili qua serui Dominis c. 20. in principio.

subijciuntur, vt filij parentibus, quibus non tenentur obedire nisi quantum ad ea quæ per corpus sunt exterius agenda, quæ scilicet per vires corporales exequuntur, licet à motu voluntatis interioris imperentur, vnde tam ipsa opera quam motus volũtatis interiores ordinati ad ipsa ad corpus pertinent & ad ea quæ per corpus sunt agenda; Sicut enim ambulare & fodere pertinent ad ea quæ per corpus sunt agẽda, similiter & velle ambulare & fodere ad idem pertinere dicuntur, non quia actus exteriores à volũtate eliciãtur, sed quia ab ipsa imperantur, vnde qui tenetur ad huiusmodi act⁹ exteriores obedire, verbi gratia fodere vel ambulare, tenetur hoc idem velle, & ideo serui quando nolunt facere præceptũ Domini sui, puniuntur ciuiliter ab eisdem. *Ex his patet ad obiecta responsio.*

Ad 1. *Ad primũ enim dicendum* (vt dictũ est) quod qui tenetur ad actum exteriorem, tenetur ad actum voluntatis interiorem & illum actum à viribus inferioribus elici præcipientem, sed ex hoc non sequitur quod teneatur ad actus interiores simpliciter, prout nituntur cõcludere ex hoc *in arg.* 2. Non enim sequitur, quod

Ad 2. si tenetur aliquis fodere vel velle fodere, ꝓpter hoc teneatur simpliciter velle quicquid ille vult cui in hoc tenetur, verbi gratia. Si Dominus præciperet seruo qui sibi tenetur in fossura bene sequitur quod tenetur sibi velle fodere, si tamen præcipiat sibi quod velit ipsum regem esse in Hispania, nunquid in hoc tenetur ei obedire, friuolum est.

Ad 3.

Digitized by Google

Ad 3. dicendum, quod actus cognitionis per quos regulatur homo quantum ad actus exteriores, in quibus tenetur homo alicui ſuperiori ſunt eiuſdem rationis cum actibus voluntatis à quibus eædem operationes imperātur, vnde ſicut tenetur ad actum voluntatis huius opera prçcipientem, ita tenetur ad actum cognitionis eadem dirigentem, vnde ſicut tenentur velle operari, ita tenentur deliberare de opere, ſiue opus ꝑtineat ad factionē, cuiuſmodi ſunt fodere & ędificare, vel ad actionē, cuiuſmodi ſunt cōſulere & reſpōdere. Ad 3.

Ex his tamen non ſequitur, quod ſimpliciter teneantur aliqui ſuis ſuperioribus in actibus cognitionis obedire. Si enim rex præciperet cōſiliario ſuo ſibi ſubdito nūquid quia tenetur cogitare de reſponſionibus vel conſilio ſibi dando, tenetur cogitare ſimpliciter quicquid ipſe vult, verbi gratia, nunquid per hoc ad ei⁹ imperium habet cogitare de muſicis vel geometricis, vel eſſe huius vel illius opinionis, conſtat quod hæc friuola ſunt.

Quod autem dicunt de religioſis, quod debent ſimpliciter in omnibus obedire ſaltem voluntate ſi facultas implendi deſit. Sciendum quod hoc ſic habet intelligi, quod quātū ad ea ſolum tenentur obedire religioſi quæ pertinent ad regularem obſeruantiam, ad quam ſe voto profeſſionis obligauerunt. Si autem & in alijs obedire voluerint, hoc pertinet ad cumulum perfectionis, dum tamen illa non ſint contra Deū vel profeſſionē ſuā. Nec tamē tenētur ad motus ſiſtētes interi⁹ in mēte,

 ſim-

simpliciter loquendo obedire, verbigratia, si prælatus præcipiat mihi quod sentiam sic vel sic in tali opinione, vel quod diligam plus vel minus in tali loco vel tali, vel talem hominē vel talem, diligere plus vel minus prout ipse facit, nec quo ad huiusmodi actus cognitionis vel voluntatis tenetur homo aliquid superiori obtemperare.

ARTICVLVS V.

S.Th.110. q.art.4. ad 5. An omne mendaciū sit peccatū.

SANCT. Th. dicit, *q.* 110. *art.* 4. vbi quærit, vtrum omne mendacium sit mortale peccatum, in responsione 5. argumenti, quod *quidam dicunt quod omne mendacium sit mortale peccatum in viris perfectis. Sed hoc non est rationabiliter dictum, nulla enim circumstantia aggrauat peccatum in infinitum nisi qua transfert in aliam speciem, cir[illegible]antia autem persona non transfert in aliam [illegible]em, nisi forte ratione alicuius annexi, puta si sit contra votum ipsius, quod non potest dici de mendacio officioso vel iocoso, & ideo mendacium officiosum vel iocosum non peccatum mortale in viris perfectis, nisi forte ratione scandali.*

(.·.)

COR-

Digitized by Google

CORRVPTORIVM.

IStud quod dicit de mendacio officioso vel iocoso in viris perfectis „ videtur falsum 1.
& contra S. Aug. *in libro de mendacio cap.* 10. *Aut* inquit *non est credendum bonis, aut est credendum illis quos credimus aliquando mentiri, aut non est credendum bonos aliquando mentiri. Horum trium primum est pernitiosum, secundum stultum. Restat ergo vt nunquam mentiantur boni.* Hæc est ratio vel illatio S. Augustini. Ex cõclusione autem S. Augustin. arguit sic. Boni existentes boni nunquam mentiuntur, ergo mendaciũ perimit bonitatẽ, sed non perimit bonitatem nisi quia est peccatũ mortale. Nec feratur instantia in mendacijs iocosis, quia dicit S. Aug. *li.* 1. *sententiarum. Ioci nunquam sunt pura mẽdacia, habent enim euidentissimam expronuntiatione atque loquentis affectu figurationem animam nequam fallentis.*

Præterea, si non est peccatũ mortale mẽtiri 2.
officiose, ergo non est peccatum mortale mẽtiri pro salute animarum, quia hoc est summe officiosũ. Ex quo sequitur quod non est mortale mentiri in prædicatione fidei & morum, quia ibi est maxime salus animarum. Ex quo sequitur quod stultum est credere, etiam prędicatoribus mentientibus, & si hoc stultũ est semper credere, est licitum & non credere, quia fides non est vt plurimum nisi per auditum prædicationis, ergo à primo si non est

peccatum mortale viris perfectis mentiri officiose, non est peccatum mortale non credere, immo est stultissimum credere, hoc falsissimum est, ergo & primum.

3\. Argumenta quibus innititur facile possunt solui. *Primum* ponitur pro obiectione in contrarium, & est tale. *Sicut dicit glo. super illud Ps. 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Duo sunt genera mendaciorum, quæ non *sunt sine culpa, sed non cum magna, cum aut iocando aut consulendo proximo mentimur*, sed *omne peccatum mortale habet grauem aut magnam culpam, ergo mendacium iocosum & officiosum non sunt peccata mortalia.*

Psal. 5. Duo genera sunt mendaciorum.

Dicendum quod omne peccatum mortale absolute loquendo est culpa grauis & grandis, & hoc modo scilicet absolute loquendo est culpa grauis mendacium officiosum ad minus viris perfectis, loquendo tamen per comparationem ad grauiorem culpam, tam in canone quam in scripturis sanctorum, peccatum mortale minus graue dicitur non grandis culpa, sicut *Prouer. 6.* dicitur de furto per comparationem ad adulterium. *Non est grandis culpa cum quis furatus fuerit.* Glo. interlinearis. *Non est grandis culpa per comparationem adulterij.* Et glo. magistralis. *Furtum non ex se*: sed *ex comparatione maioris peccati, id est, adulterij non grandis culpa est.* Sicut de Hierusalem grauius peccante per prophetam dicitur. *Ezech. 16. Iustificata est Sodoma ex te*, hæc sunt verba glo. Et hoc modo

dici-

Digitized by Google

dicitur in prædicta glo. S. Augustini super Psalm. quod non est magna culpa proximo consulendo mentiri. Et quod ita intelligat patet per eundem *in libro de mendacio* obstetricum. *Pro mendacio suo* inquit *dicunt eas approbatas & remuneratas à Deo.* Qui enim causa nocendi consueuit mentiri, multum profecit si iam consulendi causa mentiatur, nam in scripturis ipsis iustificata Sodoma dicitur in comparatione scelerati populi Israel.]

Secunda ratio quam insinuat est talis, & *ponit in principali responsione, proprie peccatum mortale repugnat charitati, vnde si finis intentus in mendacio non sit contrarius charitati, nec mendacium secundum hanc rationem erit peccatum mortale, sicut apparet in mendacio iocoso & officioso, in quorum primo intenditur leuis delectatio, & in alio proximi vtilitas.* Responsio in mendacio officioso bene potest attendi vtilitas alicuius singularis personæ vel aliquarum. Inde tamen sequitur subuersio & impedimentum fidei & auctoritatis doctrinæ catholicæ & hoc in multo pluribus, maxime si viri perfecti mentiuntur: vt ostensum est. Quod autem impedit vel subuertit fidem, impedit vel subuertit charitatem.

Tertia ratio quam insinuat, est talis. ***Nulla circumstantia aggrauat peccatum in infinitum nisi qua transfert in aliam speciem. Circumstantia autem persona non transfert in aliam speciem, igitur &c.***

Ad hoc dicendum est primo interimendo maiorem. Circumstantia enim personæ aggrauat in infinitum peccatum, id est quod est veniale secundum genus facit mortale. Constat enim quod infirmitas, imperitia, malitia sunt conditiones personæ & tamē aliquid genus peccati quod est veniale ratione infirmitatis vel impertię fit mortale propter malitiā, sicut dicit S. Aug. lib. 83. *quæstionum q.* 25. *Quisquis* inquit *nouit quid sit virtus & sapientia Dei*, potest *æstimare quæ sint venialia peccata*. Et *quisquis nouit quæ sit bonitas Dei*, potest *æstimare quibus peccatis* pœna *debeatur* æterna *& hic & in futuro sæculo*.

6. Item videmus quod carnalis copula solutis est mortale peccatum, coniugatis autē vel non est peccatum, vel est peccatum veniale, ergo idem actus vel aggrauatur vel alleuiatur in infinitum propter coniugium vel absolutionem à coniugio, quæ tamen sunt nisi circumstantiæ personæ.

Item si quis habeat conscientiam erroneā de peccato veniali quod sit mortale, & tamen cum tali conscientia illud committit, peccat mortaliter, & tamen conscientia erronea siue error conscientiæ est conditio siue circumstantia personæ.

Resp. ad argumentum.

Ad argumentum vero dicimus, quod omnibus modis vna præmissarum est falsa. Aliqui enim dicunt quod veniale & mortale sint differentiæ essentiales peccati diuidentes peccatum secundum genus & secundum speciem, & secundū istos est maior vera, scilicet quod

nihil

nihil aggrauat in infinitum nisi quod transfert in aliam speciem,& minor est falsa, quod circumstantiæ personæ non aggrauant in infinitum. Alij dicunt quod veniale & mortale sunt differentiæ accidentales actuum & peccatorum, sicut album & nigrum corporis, & secundum illos maior est falsa & minor vera.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

SI mendacium aliquod non habet rationem peccati mortalis, eo quod non est contra dilectionem Dei, cuiusmodi est illud quod fit in doctrina religionis, Nec etiam contra dilectionem proximi, sicut illud quod in detrimentum iustitiæ vergit vel in peruersionem iudicij ordinarij, sicut cum quis in loco iudicij mendacium dicit, vel alias in nocumentum proximi. Manifestum est quod nec viris perfectis poterit huiusmodi mendacium fieri mortale, nisi fuerit contra eorum votum. Per accidens vero potest eis mortale fieri sicut & alijs scilicet ratione scandali, vel si credant huiusmodi mendacium mortale peccatum esse, stante enim ista opinione non poterunt mentiri sine peccato mortali, vnde qui sunt huius opinionis, necesse habent huiusmodi mendacium tanquam peccatum mortale vitare.

Ad primum in contrarium dicendum, quod S. Augustinus facit illam deductionem inuesti- Ad 1.

gando, nec intendit illam conclusionem asserere, scilicet vt nunquã mentiãtur boni, quod patet ex littera immediate sequenti. Consequenter enim ait sic. *Ista quæstio est ex vtraque parte considerata & tractata non facile ferenda sententia est.* Ecce isti adducentes S. Augustinũ pro se manifeste faciunt contra eum, asserentes pro certo quod ipse relinquit sub dubio, Conclusio tamen illa quod boni nunquam mentiantur, sic potest intelligi, scilicet quod boni nunquam mentiuntur inquantum boni, quia quodcunque mendacium etiã officiosum vel iocosum, cum habeat rationem peccati, licet venialis defectus quidam est bonitatis, vel quia boni manentes boni nunquam mentiuntur peccato pernitioso.

Ad 2. *Ad secundum dicendum*, quod consequentia nulla est, si peccatum mortale non est mentiri officiose, ergo non est peccatum mortale mentiri officiose pro salute animarum in prædicatione fidei & morum, huiusmodi enim mendacium in prædicatione fidei & morum est mendacium pernitiosum, nec vllo modo dici poterit peccatum officiosum, cum sit cõtra charitatem Dei, fidem & bonos mores eneruans, vnde & habet rationem peccati mortalis, & per consequens pernitiosum foret, etiam si fieret pro salute animarum infinitarum. Præter hoc ipsi supponunt falsum, quod videlicet huiusmodi mendacium possit facere ad salutem animarum, sicut mendacium officiosum facit ad conseruationem rerum temporalium, quod falsum est, quia per mendaciũ offi-

Digitized by Google

officiosum potest quandoq; homo liberari à morte & ab alijs malis huiusmodi, sed per mẽdacium in doctrina non potest homo liberari à morte æterna, sed magis præcipitari in illam, vnde huiusmodi mendacium pro salute animarum fieri non potest. Si enim quo ad aliquid posset huiusmodi mẽdacium fingi quod prodesset, incomparabiliter tamen plus obesset, vnde semper simpliciter pernitiosum foret, vnde manifestum est ꝙ ista ratio nulla est.

Quod dicunt tertio ad primam rationem, S. Thomæ quod absolute loquendo omne peccatum mortale est culpa grandis, & hoc modo mendacium officiosum est culpa grauis viris perfectis, hoc patet non esse verum. Et quod adducunt de hoc, quod vnum peccatum mortale dicitur minus graue quam aliud concedendum est. Quod autem inferunt, quod peccatũ officiosum obstetrictũ hoc modo dicitur minus graue peccatũ secundũ S. Augustinũ, salua pace eorum non est verum, veruntamen S. Augustinus intendit ibi probare, quod ex hoc quod illud mendacium non fuit repræhensum, sicut nec quædam alia mendacia in lege veteri, concludi non potest quod huiusmodi mendacia essent laudabilia, & rationem boni haberent. Quod probat per huiusmodi modũ loquendi in scriptura. *Iustificata est Sodoma, &c.* Vnde subditur parũ infra. *Si vitã moresq; sanctorum, & facta & dicta consideres, nihil tale proferri põt quod ad delimitationem prouocet mentiendi.* Ex hac littera patet, quod ipse intendit ostendere, quod mendacium nõ habeat

Ad 3.

S. Aug.

rationem

rationem boni, in quo debeamus sanctos imitari, ex hoc tamen non sequitur quod sit tantum malum quod faciat peccatum mortale, sicut patet intuenti.

Ad 4. *Quod dicunt quarto ad secundam rationem*, S. Thomæ quod in mendacio officioso, licet sit aliqua vtilitas temporalis alicuius personæ singularis. tamen inde sequitur subuersio & impedimentum fidei, manifestum est quod non dicunt verum. Mendacium enim ad quod hæc sequuntur non est officiosum, sed perniciosum, vnde si viri perfecti mentiantur pro aliquo commodo temporali aliquo mendacio, quod ratione sui vel scandali supradicta consequatur, manifestum est quod mortaliter peccant, sed hæc non consequuntur ad mendacium viri perfecti ratione ipsius mendacij, nisi fuerit in doctrina, nec ratione scandali vbi nullum contingit, quod fieri potest quando occulte committitur, & sic quod ad aliorum notitiam nullo modo vel de non facili poterit deuenire, vel in aliquo casu consimili vbi ratio scandali locum non habeat.

Ad 5. *Quod dicunt quinto ad tertiam rationem* S. Thomæ conclusionem primo fore interimendam, manifestum est quod dicunt contra artem & ordinem respondendi. Primo enim esset illatio impedienda, vel aliqua præmissarum interimenda. Ipsam etiam conclusionem non interimunt secundum quod infertur ex præmissis, quod patet, quia nulla conditio personæ auget peccatum in infinitum, nisi fuerit talis quę possit transferre vel transferat

ferat actum in aliam speciem, cuiusmodi non est circunstantia personæ de qua intendit in propositione minore, quoniam status viri perfecti de quo intendit, non transfert actum illum qui de se est peccatum veniale in aliam speciem, vt scilicet sit mortale nisi fuerit contra suum votum, vt dictum est.

Quod ergo dicit primo, quod malitia, imperitia vel infirmitas sunt conditiones personæ quod verum est, sed manifestum est quod faciunt in aliam speciem transire, vnde non solum quando fit ex imperitia vel infirmitate, est peccatum veniale, sed etiam illud quod de se est indifferens si ex malitia fiat in aliam speciem transfert, & est mortale, sicut frangere festucam ex malitia vel ex contemptu Dei. Auctoritas vero quam adducunt, nihil facit pro eis, nec est ad propositum, quia enim viri à Deo illustrati possunt discernere inter peccata venialia & mortalia prædicta, nulli dubium prout dicit auctoritas, sed quid ad S. Thomam.

Quod vero dicunt sexto, quod status coniugati & soluti pertineant ad conditionem personæ verum est, sed non est minus manifestum quin sint conditiones facientes actum transire, de vna specie in aliam, & ideo instantia illa sicuti præcedens nulla est. *Ad 6.*

Eodem modo dicendum est de instantia tertia. *Ad 7.* Conscientia enim erronea est circumstantia faciens actum transire in aliam speciem, vnde nec ista instantia aliquid valet,

Quarta

Digitized by Google

Quarta vero instantia de statu innocentiæ & naturæ lapsæ quæ dicuntur circumstantiæ vel conditiones personæ non est multum ad propositum. Siue enim in statu naturæ conditæ in innocentia possent fuisse peccata venialia siue non, nullo modo potuit ibi poni peccatum mortale nisi auerteret à fine, vnde si aliquis actus hic non auertat à fine, qui tamẽ ibi auertisset, manifestum est quod ratione huiusmodi circumstantiæ scilicet status innocentiæ huiusmodi actus in aliam speciem transisset, vnde patet quod nec instantia ista aliquid valet.

Quod tandem dicunt respondendo ad argumentum, quod debuerunt prius soluisse quam conclusionem falso, vt iam patet interemisse omnibus modis vnam præmissarum esse falsam. Si placeat eis ad præsens audire, ipsi dicunt falsum. Maior enim propositio, scilicet quod *circumstantia non aggrauat in infinitum nisi qua, &c.* manifestissime vera est. Similiter minor propositio, scilicet quod *huiusmodi circumstantia personæ*, scilicet status *perfectionis non facit actum qui non est contra votum professionis transire in aliam speciem esse*, æque vera. Qui vero ponunt peccatum mortale & veniale differre essentialiter, & prædictam maiorem veram simpliciter, in vtroque verum dicunt. Sed in tertio scilicet propositionem minorem interimendo mentiuntur, sicut patet ex dictis.

Qui

Digitized by Google

Qui vero dicunt, peccatum mortale & veniale differre accidentaliter solum propositionem maiorem interimentes in vtroque mentiuntur. Et sic tam quod isti pro se dicunt quam quod ab alijs pro se adducunt mendacio vel falsitate ad minus vtpote doctrina falsa inuenitur admixta.

ARTICVLVS VI.

SANCT. Thomas in quæstione, 173. art. 4. quando disputat, vtrum Prophetæ semper cognoscant ea quæ Prophetant in responsione principali tangens plures modos, quibus mens Prophetæ tangitur à Spiritu sancto. *Quia spiritus sanctus mouet mentem alicuius quandoque quidem vt intelligat quid significet hoc, sicut patet de Hieremia, qui abscondit in eufrate lumbare suum, vt habetur Hiere. 13. Quandoque vero non intelligit, sicut milites diuidentes vestimenta Christi, non intelligebant quid significaret.*

S. Th. 173. art. 4. *Propheta quomodo cognoscāt.*

matt. 27. Ioan. 9.

CORRVPTORIVM.

ISTVD non videtur nobis verum, scilicet quod Spiritus sanctus moueret mentes militum ad hoc faciendum, sed cupiditas si pauperes fuerunt, vel secundum alios ludus & derisio si diuites fuerunt & non indigentes talibus vestimentis, quia qua ratione possunt

sunt dici moti à Spiritu sancto ad faciendum illam diuisionem: quia significatiua erat diuisionis Ecclesiæ per hæreticos, vel alicuius consimilis mysterij, pari ratione dici posset, quod moti à Spiritu sancto crucifixissent Christum. Quia vt dicit S. Augustinus *in enchi. cap. 80. Illa crucifixio figuratiua fuit spiritualis crucifixionis*. De qua dicit Apostolus ad *Galath. 5. Qui autem Christi sunt carnem suam crucifixerunt.* Pari etiã ratione dici posset quod Cain motus à Spiritu sancto occidit fratrem suum, quia illa occisio significatiua fuit occisionis Christi à fratribus suis, scilicet iudæis. Sed nullus hoc diceret. Nec oportet si ordinatio diuisionis vestimentorum ad significandum aliquid in Ecclesia fuerit à Spiritu sancto, quod propter hoc ipsum fuerit à Spiritu sancto. Sicut enim homo lapidem vel lignum vel quamcunque materiam quam ipse non fecit potest ponere in signum, ita Spiritus sanctus, immo multa fortius.

Gen. 4.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

NVLLVM inconueniens est ponere, sed satis consonat veritati quod milites à Spiritu sancto mouebantur, quod Christi vestimenta diuidentes, præsagio futurorum, præcipue cum actus iste diuisionis in se consideratus non sit peccatum, sed actus indifferens comprobetur, vnde argumenta quæ adducunt nullius ponderis sunt. Crucifixio

fixio enim Christi maximum peccatum fuit ipsis crucifixoribus, vnde impossibile est dicere quod ad hoc ipsi à Spiritu sancto mouerentur, non sic autem actus diuisionis vestimentorum, præcipue si in se consideretur, scilicet circumscripto odio & contumelia Christo illata, & præter hoc crucifixio Christi sub ea ratione qua à iudæis illata, sub qua ratione peccatum erat, non significabat crucifixionem spiritualem in fidelibus sub ea ratione quà à Christo suscepta, cuius exemplo qui sunt Christi, carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifixerunt. Et constat quod Christus ad illam crucifixioné suscipiendam à Spiritu sancto mouebatur. Similiter occisio Abel sub ea ratione qua fuit à Cain illata & peccatum, non fiebat instinctu Spiritus sancti, eatenus tamen quod fuit ab Abel suscepta patienter, quod sine instinctu spiritus sancti fieri non potuit, occisionem Christi à iudæis congrue Spiritus sancto ordinante potuit significare. Ex his deliquet ꝙ ista reprahensio facta est sine causa.

Quod vero dicunt, quod sicut homo potuit aliquid ordinare, & pro signo statuere ré quá ipse non fecit. Ex quo concludunt quod multo fortius hoc potest Spiritus sanctus, pueris liquet quod non concludunt. Nihil est enim in rerum natura quod possit substerni habitudini vel relationi signi, siue sit substantia siue accidens siue actio quęcunque inquantum ens est, quod non causetur aliquo modo à Spiritu sancto, vnde peccatum quantum ad id

quod carentiæ & deformitatis in ipso est, sub qua ratione nihil dici potest, non est ordinabile ad significandum aliquid à Spiritu sancto, vnde in summa nihil est quod dicunt contra S. Thomam in proposito.

ARTICVLVS. VII.

q.173. ar.3 quomodo fuerit in Prophetis alienatione à sensibus.

DICIT S. Thomas, *q.173. art.3.* vbi quærit, vtrum visio Prophetica semper sit cum abstractione à sensibus corporis. In responsione principali dicit, *quod alienatio à sensibus in prophetis non fit cum aliqua inordinatione naturæ sicut in arreptitijs vel furiosis, sed habet aliquam causam ordinatam, sicut per somnium vel per vim animalem, sicut per vehementiam contemplationis, sicut de Petro legitur Act.10. Cum oraret in cenaculo factus in excessu mentis, vel virtute diuina rapiente, secundum illud Ezech.1. Facta est super me manus Domini.*

CORRVPTORIVM.

SI intelligimus secundum membrum sine exclusione diuinæ virtutis, sic vt vis animalis vel vehementia contemplationis dispositio sunt ad raptum & excessum qui fit, siue complet in contemplatione per diuinam virtutem, sic videtur habere veritatem, quoniam Petrus in oratione erat quando cecidit super eum excessus mentis secundum textum.

Si ve-

Digitized by Google

Si vero intelligatur ſecundum membrum cũ præciſione & excluſione, ſicut diuiſio prima facere prætendere videtur, quia diuiſio eſt diſparatorum & ſeparatorum.

Tertium membrum eſt, quod quandoque fit ex virtute diuina. Si autem fiat ſolum propter vim animalem propriam ex vehementia cõtemplationis omnino eſt falſum & inconueniens, quia textus videtur contrarius, Si enim propria virtute fuiſſet raptus, non dixiſſet, *cecidit ſuper eum*, ſed factus eſt in exceſſu, vel alienatus eſt, vel aliquid tale.

Item præmittitur, quod Cornelius in viſione vidit Angelum Domini intrantem ad ſe, & dixit ei quod Petrum accerſiret, hic tibi dicet quid te oporteat facere. Et nuntijs venientibus dictum eſt, quod mactaret & manducaret, in quo accepit reuelationem de conuerſione gentium, ergo viſio Petri ordinabatur ad viſionem Cornelij, Sicut ergo illa fuit diuinitus miſſa, ita & exceſſus Petri.

Vlterius eſt contra S. Auguſtinum 13. *ſuper Gen. ad literam*, vbi dicit, *quod nulla viſio eſt ſignificatiua, niſi aſſumpto Spiritu humano & à Spiritu creato bono vel malo, vel à Spiritu diuino.* Si ergo viſio Petri eſt ſignificatiua & Prophetica, ergo fuit Spiritus eius aſſumptus à ſuperiori virtute, non à ſpiritu malo, quia tunc fuiſſet arreptitius vel Propheta falſus, quod eſt inconueniens de tanto Apoſtolo. Dicere ergo à ſpiritu Angelico bono iuſſu diuino vel immediate à Spiritu ſancto.

Et reddit rationem S. Augustinus *quia vim non habet anima humana diuinationis vt quidam dixerunt*, ergo ille excessus. Petri non fuit tantum per vim animalem vt dicit: sed cecidit super eum, vt textus dicit. Et ipsemet S. Thomas, *q.157.art.3. in responsione primi argumenti* contrarium dicit, quod mens Petri fuit rapta diuinitus, quoniam cum oraret, *cecidit super eum excessus mentis.*

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S.Thomam.

SANCT. Thom. intendit dicere quod prophetia vera semper sit per diuinam virtutem principaliter, illam tamen alienationem in sensibus Prophetis factam, quandoque dicit fieri mediante somnio, quandoque per vim animalem ex vehementia cōtemplationis, quandoque sine his repente fit mediante virtute diuina. Nec intendit dicere quod ipsa prophetia fiat per solam vim animalem, prout ipsi sibi imponunt & falso.

Qui enim dicunt quod diuisio sua hoc prætendit, quia diuisio disperatorum esse debet, falsum dicunt, quia ipse non facit illam diuisionem ex qua hoc concludi posset ratione dicta. Non enim dicit quod prophetia quandoque fit per somnium, quandoque per vim animalem, quandoque per diuinam virtutem, immo quod ad ipsam alienationem quandoque facit somnus, quandoque vis animalis, quandoque fit virtute diuina sine his vt dictum est, ita quod semper ipsa prophetia fit Sancti spiritus illustratione, vnde non dicit

contra

Digitized by Google

contra S. Augustinum nec contra textum, nec contra seipsum vt ipsi verba eius vt videtur non intelligentes, & suam sententiam propriam proferentes salua pace sua minus beniuole protestantur.

ARTICVLVS VIII.

SANCT. Thomas in q. 180. ar. 8. quærens de diuturnitate in contemplatione, quod possibile est *diutius magis consistere in opere contemplatiuo quam actiuo etiam in statu huius vitæ. Cuius ratio est quoniam competit nobis secundum actionem incorruptibilis partis animæ scilicet intellectus, cuius signum est quod durat post hanc vitam. Alia ratio est, quia in huiusmodi operibus non laboramus.*

q. 180. ar. 8. vtrum vita contemplatiuo sit diuturnu.

CORRVPTORIVM.

SED hoc esse falsum docet experientia. Si enim operatio contemplatiuæ est meditatio, lectio oratio & similia, experimur quod in huiusmodi parum possumus morari, vix enim ad momentum intentio potest figi & teneri in vno statu, immo distrahitur, & incipit euagari. Cuius ratio potest esse triplex. *Vna est* propter curam corporis animalis, & sarcinam carnis corruptibilis. Nam *Sap. 9.* dicitur. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena cogitatio deprimit sensum multa cogitantem*, vnde dormiente corpore terreno & indigentia corporis terreni sollicitante,

Triplex ratio euagationis.

Spiritum vix ad momentum permittitur animus ad ſuperiora intendere.

Alia ratio eſt, propter improbitatem ſenſuũ, quorum phantaſmata intrant ad animam, & perturbant eius quietem, adeo vt per momẽtum vix poſſit quieſcere, vnde improbo incurſu phantaſmatum turbatur cordis ſabbatum. Operationes vero contemplatiuę indigent ſotio & quiete. Et propter hoc S. *Auguſtinus in 4. de Trin. in prologo. Ego ſentio inquit quãta figmenta percurrit cor humanum.*

Tertia ratio eſt propter difficultatem & ſubtilitatem rerum, quæ ſunt obiectum contemplatiuæ ad quas vix mens humana pertingit. Obiectum enim contemplatiuæ ſunt res æternæ ſecundum Apoſtolum, *contemplantibus nobis quæ non videntur*. Et S. Auguſtinus. 13. *de Trin.* dicit, quod pars ſuperior cuius eſt contemplatiua aſpicit ad æterna, quamdiu autem corruptioni ſubditi ſumus, vix ad momentum ad res æternas intendere poſſumus, ad illas enim oculus eſt excecatus, ſecundum Hugonem.

Ad rationes ſuas dico. Ad primam, quod quãuis contemplatio ſit operatio incorruptibilis partis, ac per hoc remaneat poſt hanc vitam, tamen quamdiu hic viuimus, tum propter diſtractionem & ſollicitudinem quibus anima circa corpus intendit, tamen propter turbationem phantaſmatum in his parum permittitur anima immorari, quamdiu enim eſt in ſtatu viæ eſt aptior ad opera actiue. Opera enim

Digitized by Google

enim contemplatiuæ quodammodo viæ statum transcendunt.

Ad secundum dicendum, quod in huiusmodi non laboramus prout labor dicit motum corporis, aut prout ex motu corporis causatur, sed tamen quanto altius eleuatur, & ad opera spiritualia intendit vehementius, tanto minus curam corporis gerit, & inde est quod aliquando ex eius vehementia homo à corporis sensibus alienatur, eo quod anima corpus destituit, & in talibus magis lassatur & eneruatur quam in alijs, & tanta posset esse vehementia quod anima à corpore separaretur.

Praeterea, quantumcunque laboret corpus in operibus actiuis, ille labor quandoque habet recreationem & solatium annexum, nec requirit tantam intentionem sicut opera contemplatiuæ.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDUM S. Thomam.

IN primis imponunt ei falsum, non enim dicit contemplatiuam magis diuturnam quam actiuam in statu viæ, sed solum ipsam esse diuturnam verum est, pro huiusmodi rationem assignat, quia *contemplatiua in vita remanet futura.* Cui tamen homo diutius possit insistere, contemplatiuæ videlicet vel actiuæ non dicit. Sed solum declarat qualiter contemplatiua in statu viæ potest esse diuturna, maxime quantum ad actum citra sui summum prout dicit in responsione, ad secundum argumentum.

Digitized by Google

Rationes vero & auctoritates quas ponit satis probant quod homo non potest diu immorari in actu contemplationis summo, in quo ipsa beatitudo, æterna prælibatur secundum S. Augustinum. In alijs tamen actibus ad contemplatiuam pertinentibus, cuiusmodi sunt inuestigare, legere, & orare, potest homo in statu viæ quo ad maiorem eius partem pro tempore dico vigiliæ prout docet experientia immorari. His visis obiecta soluuntur.

Quod vero dicunt ad argumentum, primum S. Thomæ quod turbatio & distractio phantasmatum impediunt moram contemplationis in statu viæ verum dicunt quo ad actum eius summum, in quo *gustamus, quoniam suauis est Dominus*, non tamen impediunt actus eius inferiores prædictos, vt patet in multis, quorum vita totaliter huiusmodi actibus dedita est.

Quod vero dicunt ad secundum, quod quanto mens altius eleuatur ad spiritualia, &c. verum dicunt quo ad hoc veruntamen alias posset ex alia parte labor magis intendi, nec iste labor excessiuus est supra vires naturæ in contemplatione nisi quando exercetur contemplationis actus iste summus, vel quia alijs actibus citra summum insistitur supra modum.

ARTI-

Digitized by Google

Articvlvs IX.

SAnct. Thomas q. 184. art. 3. vbi quærit, vtrum perfectio vitæ contemplatiuæ consistat principaliter in præceptis vel consilijs. Et in responsione principali dicit, quod *perfectio vitæ Christianæ per se & etiam essentialiter consistit in charitate Dei & proximi, quæ charitas est finis de quo dantur principalia præcepta* diuinæ legis, *vnde patet quod perfectio principaliter in præceptis consistit, secundario autem & instrumentaliter consistit perfectio in consilijs, quæ omnia sicut præcepta ordinãtur ad charitatem*, sed *aliter & aliter. Nam præcepta ordinantur ad remouendum* ea *quæ sunt contraria charitati, cum quibus charitas esse non potest. Consilia autem ordinantur ad remouendum impedimenta actus charitatis, qui tamen charitati non contrariantur*, sicut *matrimonium & occupatio negociorum sæcularium.* *q. 184. ar. 3. in quib' consistat perfectio vitæ.*

CORRVPTORIVM.

HAEc est abbreuiatio conclusionis suæ hæc ratio ad hoc deducit sermonem, quod humana perfectio consistit essentialiter in duobus præceptis charitatis. In alijs autem consilijs & præceptis quæ ordinantur ad charitatem consistit instrumentaliter, & quod ille sit intellectus eius patet ex con-

finis.sed per illa perueniitur ad finem. Intelligendum est enim quod illa non tantum sunt perfectio,id est, perfectio vltima quæ est charitas & mentis puritas , sed ita sunt perfectiones quod sunt instrumenta perueniendi ad vltimam perfectionem in via, sic ergo habetur quod perfectio hominis in via consistit in præceptis moralibus & consilijs essentialiter, sed aliter & aliter. Duplex enim perfectio solet distingui à magistris. Vna est perfectio sufficientiæ & necessitatis. Alia est abundantiæ & superrogationis.Prima consistit principaliter in obseruantia præceptorum, quia in illis potest esse absque consilijs & in consilijs non potest esse absque illis præceptis. Sed alia perfectio abundantiæ & supererogationis cõsistit non solum in præceptis nec in consilijs solum, sed in ambobus simul. Sed in quibus principaliter dicimus vt nobis videtur, quia principaliter in consilijs signum est quod ad hoc quod ingredientes religionem,& vouentes & inducentes eos ad hoc vel omnes vel pro maiori parte, dirigunt intentionem suã, hi vouendo, illi inducendo ad obseruantiam consiliorum,& non ad obseruantiam præceptorum , neque simpliciter neque perfectius quam in sæculo.Frustra autem ad hoc dirigerent intentionem,nisi in hoc consisteret principaliter perfectio quam intendunt.

Duplex perfectio scilicet sufficiẽtiæ & necessitatis alia abũdãtiæ.

Præterea, ipsa obseruatio consiliorum est essentialiter perfectio,& non perfectio necessitatis,hoc constat , est ergo perfectio abundantiæ essentialiter & supererogationis, non

tamen

Digitized by Google

tamen ipsa essentialis perfectio. Certum est autem quod per illud habet homo perfici principalius quocunque genere perfectionis, quod est ipsa perfectio essentialiter, quoniam per id quod non est ipsa perfectio essentialiter, principalius enim perficitur homo perfectione abundantiæ & supererogationis per consilia quam per præcepta. Sic ergo patet (vt videtur) quod perfectio hominis in via consistit non solum instrumentaliter, sed essentialiter in consilijs & in omnibus præceptis moralibus. Patet ergo quod perfectio abundantiæ siue supererogationis principalius consistit in consilijs quam in præceptis alijs à charitate, siue à præceptis charitatis.

Vlterius dicimus, quod si aliqua perfectio, principalius consistit in præceptis alijs à charitate quã in cõsilijs, maioris meriti est obseruatio consiliorũ & perfectio illa, quã obseruãtia præceptorũ & perfectio illa. Hoc manifeste patet loquendo de obseruantia præceptorum per se, sicut communiter obseruantur à sæcularibus, & de obseruantia consiliorum à religiosis. Religio enim obseruando consilia obseruat & præcepta necessitatis perfectiori modo quam sęculares, dico pro maiori parte, & nullus dubitat quin perfectius sit & maioris meriti obseruare vtrumque simul quam præcepta solum. Et hoc in viris religiosis, qui ambo simul obseruant perfectius, & maioris meriti esse videtur quod obseruant consilia quam obseruãt præcepta alia à præceptis charitatis.

Et

S. Ambrosius lib. de officijs c. 10. Exo. 20. Mat. 19.

Et ad hoc facit auctoritas S. Ambrosij, *libro de offi. cap.* 10. *Officium* inquit *omne aut medium est aut perfectum ; quod scripturarum sacrarum auctoritate probare possumus. Non homicidium facies, non adulterabis, nec falsum testimonium dices, honora patrem tuum & matrem tuam, diliges proximum tuum sicut teipsum. Hæc sunt media officia quibus aliquid deest & parum* infra. *Si vis perfectus esse, vade & ven. omnia quæ ha. & se. me.* Et *quod orandum dicit pro calumniantibus & persequentibus, & benedicere maledicentibus, hoc ostendit Christus nos debere facere, si volumus esse perfecti sicut Pater noster qui est in cœlis, hoc ergo perfectum est officium.* Ex his ergo verbis Ambrosij patet propositum vt videtur.

4. Preterea vnum opus est magis meritorium reliquo, vel propter maiorem arduitatem operis, sicut ieiunium in pane & aqua quam in pane & vino & piscibus, vel propter maiorem voluntatem operantis. Verbi gratia. Si duo opera per omnia fuerint paria, hoc excepto quod vnum fit libentius quam reliquum. Constat quod magis meritorium est quod libentius fit. Sed hæc duo concurrere videntur in obseruatione consiliorum respectu obseruationis præceptorum. Opera enim consiliorum magis ardua sunt quam opera præceptorum. Maius enim est abstinere ab omni concupiscentia carnali quã continere tantum ab illicita. Etiam maius est contemnere omne dominium & possessionem quam solum illicitam.

Item

Digitized by Google

Item opera consiliorum obseruantur quia consulta sunt,& opera præceptorũ quia præcepta sunt, dico per se loquendo. Certum est autem quod ille libentius operatur qui operatur solo intuitu id quod consultum est quam qui operatur solo intuitu hoc quod præceptũ est,ergo vtroq; modo maioris meriti est obseruatio consiliorum quam præceptorũ, ergo obseruatio cõsiliorum est maioris perfectionis in eodem quam obseruatio præceptorum.

Præterea à philosopho habetur 8. *Topic.* quod maiori bono maius malum opponitur,nisi vnum inferat alterum. Tunc enim minori bono opponitur maius malum:sicut patet in viuere & fœliciter viuere. Maius enim bonum est fœliciter viuere quam viuere, & tamen magis malum est non viuere quam non fœliciter viuere, quia infœliciter viuere infert viuere.Cum ergo ad obseruantiam consiliorum sequatur obseruantia præceptorum & nõ econuerso, & maius malum sit transgressio præceptorum quam consiliorum, sequitur necessario quod obseruantia præceptorum sit minus bonum quam obseruantia consiliorũ. 5.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S.Thomam.

SCiendum quod duo falsa dicunt quibus innituntur ad dicta S. Thomæ improbanda.Primum est, præcepta tantum ordinãtur ad perfectionem necessitatis volentes, vt patet ex dictis eorum, quod virtus vel actus virtutis non cadit sub præcepto

pto nisi in gradu infimo, quo non posito necesse est perfectionem vitæ christianæ non haberi.

Secundum est, quod consilia & quædam precepta moralia ordinantur ad virtutes & ad actus virtutum in gradu vlteriore in quo consistit perfectio maior, quam dicunt perfectionem abundantiæ, & vtriusq; falsitas patet ex doctrina S. Thomæ in illa. *q.* 184. *artic.* 3. *in illa responsione principali sic dicētu.* Dilectio Dei *& proximi non cadit sub præcepto secundum aliquam mensuram, ita quod illud quod est plus sub consilio remaneat, vt patet ex ipsa forma præcepti quę perfectionem demonstrat, vt cum dicitur, diliges Dominum Deum tuum ex to.* &c. *Totum enim & perfectum* idem sunt secundum philosophum.

3 *physic. in cœli.* Et *similiter cum dicitur. Dilige proximum tuum sicut teipsum. Vnusquisque autem seipsum maxime diligit, vnde patet quod actus dilectionis minime gratificantis non cadit sub præcepto:* ita quod *præceptum obliget in tali mensura ad charitatem, quæ mensura pertinet ad necessitatem perfectionis, & hoc ideo, quia finis præcepti est charitas, vt dicit Apostolus* 1. *Thi.* 1. *In fine autem non adhibetur alia*

1. *Thim.* 1. 1. *polytic.* *mensura, sed solum in his quæ sunt ad finem, vt habetur à philosopho primo polyticorum, sicut medicus non adhibet mensuram quantum sanet, sed quanta medicina vel Dieta vtatur ad sanandum, sicut autē præceptum charitatis ordinatur ad charitatem, non sub aliqua mensura, sed simpliciter cum gradu quocunque, etiam perfectissimo, sicut patet per S. Augustinum in libro de perfectione iustitię.* Similiter præcepta moralia quæ ordinantur ad alias

virtutes

Digitized by Google

virtutes morales, sine quibus non habetur charitas, cum virtutes sint connexæ non ordinantur ad ipsas sub aliqua certa mensura, quæ requiratur ad necessitatem perfectionis, ita quod cõsilia ordinentur ad vlteriores gradus eorundem qui pertinent ad perfectionem supererogationis, sed ordinantur ad ipsas sub quocunque gradu quantumcunque perfecto. *Consilia vero ordinantur ad remouendum impedimenta*, quæ præbent occasionem impedimenti respectu actuum huiusmodi perfectorum, vt S. Thom. declarat. Quod ergo dicunt quod virtus pertineat ad essentiam perfectionis: pro S. Thoma facit, quia præcepta legis diuinæ ordinantur ad omnes virtutes, cum ordinentur ad charitatem, quoniam sine alijs virtutibus impossibile est charitatem inesse. *Ad 1.*

Secundum falsum quod dicunt est, quod duplex est perfectio, vna sufficientiæ & necessitatis, ad quam omnes obligãtur. Alia supererogationis, quę consistit in obseruatione consiliorum quam principaliter intẽdunt ingredientes religionẽ, & non obseruantiã mandatorum. Omnis. n. perfectio consistit in virtutibus charitate informatis, ad quas (vt dictũ est) præcepta legis diuinæ ordinantur. Nec vllo modo potest haberi perfectio illa supererogationis quæ amplior est & maior, nisi ex hoc ipso quod virtutes charitate informatæ intenduntur seu augmentantur. Ad ipsas autem sub quocunque gradu (vt dictũ est) præcepta diuina ordinãtur. Falsũm est ergo quod dicũt præcepta diuina ordinari ad perfectionem *Ad 2.*

 nem

nem minorem,quam vocant perfectioné necessitatis, & consilia ad maiorem, quã vocant supererogationis, cum ipsa præcepta ad perfectionem ordinentur vt dictum est. Et iterum illud patet esse falsum, quod ingredientes religionem non intendant principaliter obseruantiam mandatorum, hoc est enim dicere, quod non intendunt intrare religionem propter amorem Dei, ad quem in gradu summo ordinantur præcepta diuina.

Ad 3. Verba autem S. Ambrosij quæ adducunt pro ipsis non faciunt si intelligantur. Dicit enim præcepta, *non occides* &c. ad media officia pertinere, quibus aliquid deest, pro tãto ꝙ qui solum implet præcepta & non consilia, nondum remouet quædam impedimenta retardantia ab exercitio virtutum perfectarum, quod si faceret maiorem perfectionem vtique haberet vel ad minus ad maioris charitatis perfectionem se disponeret, ad quam tamen totam vt dictum est charitatis præceptum ordinatur.

Ad 4. *Quod tandem dicunt*, illud opus est magis meritoriũ quod cõsistit in obseruatione cõsiliorum, quam opus quod consistit in obseruatione præceptorum, absurde dictum videtur, quia nullum opus est meritorium nisi ratione charitatis, ad quam obseruandã in quocunque gradu ipsa præcepta vt supra patuit principaliter ordinantur.

Quod vero in fine affirmare nituntur, quod obseruatio præceptorum est minus bonum quã obseruatio consiliorum, si intelligant obser-

uantiam

Digitized by Google

uantiam consiliorum, præscindendo obseruantiam præceptorum, falsum dicunt. Obseruare enim consilia siue continentiæ siue paupertatis, & transgredi præcepta nullius est bonitatis seu meriti. Si autem intelligant quod obseruatio consiliorum inclusa obseruatione præceptorum est melius quã obseruatio sola mandatorum, verum dicunt, & hoc concludit argumentum eorum. Verumtamen ista Bonitas maior pertinet ad virtutes charitate informatas ad quas præcepta ordinantur. Ad ipsa vero consilia pertinet instrumentaliter, inquãtum per eorum obseruantiam impedimenta quæ non possent cum illis virtutibus stare remouentur, prout docet S. Tho.

Articvlvs X.

Dicit S. Th. *q.* 184. *art.* 7. vbi quærit vtrum sit perfectior status prælatorum quam religiosorum *in responsione principali*, quod *status prælatorum est perfectior simpliciter quam status religiosorum, quia ipsi sunt perfectiores simpliciter secundũ Dionysium 6. c. eccle. hierar.* *qu. 184. art. 4. de fectione status.*

Item *q.* 185. *art.* 8. quærit, vtrum religiosi qui promouentur in Episcopos teneantur ad obseruantias regulares. Et *in solutione principali dicit*, quod *status religiosorum est quasi quadam via tendendi ad perfectionem. Status autẽ Episcoporũ siue Episcopalis pertinet ad perfectionem tanquam quoddam perfectionis magisterium.*

Digitized by Google

Et confirmat dictum suum per *c.16.q.prima li-cet persona vbi dicitur* quod *sacra ordinatio de monacho facit Episcopum, sed nulli licet de statu superiori ad inferiorem transire.*

CORRVPTORIVM.

S. *Aug. li. 1. de Bap. paruulorũ*

NOn negamus quin status prælatorum sit multo perfectior quã status religiosorum. Ad reprimendum tamen cauillationem aliorum, exponendum videtur quo modo sit perfectior & quo modo non. Dicit S. Aug. li. 1. *de bap. paruulorum*, ante mediũ. *Cũ dicitur status cuiuscunque perfectior, quo iure dicatur videndum est. Nam ex Apost. habemus vbi se fatetur in acceptione iustitiæ quam desiderabat nondum esse perfectum. Et tamen continuo dicit, quotquot perfecti sumus hoc sapiamus ad Philip.3. qui vtrumque non diceret, aut in aliqua re esset perfectus, & in alia re non esset perfectus, quia potest fieri quod aliquis sit perfectus sapientiæ auditor qui non sit perfectus doctor.* Hæc S. Aug. Dicimus ergo quod status in prælatorũ auctoritate, dignitate & officio perfectior sit quam status religiosorum. Sed an merito, hoc non videtur, tamẽ dico sine præiudicio quod etiam merito, dummodo sit bonus prælatus secundum exigẽtiam status sui, nihil omittẽs de essentialibus concernentibus officium suũ. Comparationes autem statuum & aliarum rerum cuiuscunque generis faciendæ sunt secundum essentialia & secundum bona in illo genere & non secundum mala. Vnde si prælatus

latus salutem animarum procuret, prout debet docendo publice & priuate, orando & offerendo dona & sacrificia pro peccatis proprijs & alienis conuersando sine quærela, & religiosus à parte sua perficiat essentialia status sui viuendo in obedientia sine proprio, in castitate videtur sicut dictum est maius esse meritum prælati quam religiosi. Et ad hoc facit auctoritas S. Augustin. *in epistola 26. ad Valerium*, vbi dicit. *Nihil est in hac vita* (maxime hoc tempore) *difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi præsbyteri, diaconi officio. Sed nihil beatius, si eo modo militetur quo Imperator noster Christus iubet.*

Item Dionysius, 3. *cap. ang. hierar.* Omnium diuinissimum Dei cooperatorem fieri constat, quia nobilissimum opus est salus animarum. Cooperatores Dei in hac operatione sunt proprijssime prælati quantum est de essentia status, ergo status eorum est diuinissimus, ergo perfectissimus. *Dionys. 3. cæli Hie.*

Item *S. Grego. homel. 12. super Ezechi. 8. Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium sicut zelus animarum*, sed hoc maxime pertinet ad statum prælatorũ. Prælatus enim solus est sponsus Ecclesiæ: sicut testatur à multis, ergo sacrificium quod maxime pertinet ad statum eorum est Deo gratissimum. *S. Greg.*

Item status prælatorum maiorem requirit perfectionem in professoribus suis quam religio in suis, sicut dicit *glo: super illud Iacobi. Qui non offendit in verbo &c. Eum* inquit *qui cupit praesse alijs oportet perfectiorem esse alijs.* *Iacob. 3.*

Digitized by Google

Ex hoc sic arguitur. Status qui de congruo requirit meliores & perfectiores personas de cõgruo requirit meliora & perfectiora opera. Sed vbi sunt meliora & perfectiora opera, sunt perfectiora & meliora merita, ergo in prælatione per se loquendo sunt perfectiora & meliora merita quã in religione, dicoquãtum est de exigentia essentialiũ vtriq; statui.

Salua tamen pace & gratia prælatorum, videtur quod status religionis quodammodo potest dici perfectior quam status prælatorũ, propter maiorem & districtiorem disciplinã cui subduntur religiosi, & maiorem elongationem à mundo, & ab occupationibus & occasionibus peccatorum. Et huius signũ est, ꝙ illi qui de religione assumuntur ad prælaturã si in prælatione laudabiliter se habeant statum religionis statui prælationis præferũt, & statum in quo sunt plangunt in operatione illius quem dimiserunt. Hoc legitur fecisse S. Gregorius. Vnde ipse scribit de seipso *in li. dialogorum. Maror Petre quem patior quotidie & semper mihi per vsum vetus est, & semper per augmentum nouus. Infælix quippe animus meus occupationis suæ pulsatus vulnere; meminit qualiter aliquando in monasterio fuit, quando labentia cuncta suberant, quando rebus cunctis quæ inuoluuntur eminebat, cum nulla nisi cœlestia consueuerat cogitare, qui retentos corpore ipso iam carnis claustra contemplatione transcendebat, qui mortem quoque (quæ in cunctis pene pœna est) vt ingressum vitæ & laboris præmium amabat.* Et *nunc ex occasione pastoralis curæ sæcularium hominum*

S. Greg.

num negocia patitur, & post tam pulchram quietis suæ speciem terreni actus puluere fœdatur, dumque se pro defensione multorum ad exteriora sparserit, & cum interiora appetit, ad hac proculdubio minor redit. Hæc Gregorius.

Adhuc illi pauci qui de statu prælationis transeunt ad statum religionis, & in religione sicut debent profecerint, statum religionis statui prælationis præponunt. Denique in morte vbi consideratio & conscientia meritorum animam consolatur nulli vel paucissimi inueniuntur tam de religiosis quam de prælatis, quibus si daretur optio, non mallent vt tota vita sua in religione vixissent, & hoc satis multum est ad commendationem religionis. Ait enim philosophus *primo rhetorica cap. primo de magis conferente, quod in maiori necessitate sunt opportuna maiora*, puta vt quæ in senectute & in ægritudinibus. Arist. 1. Rheto. 11.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

CОntra quem non est in aliquo hoc quod dicunt, sicut patet intuenti.

Quod enim dicunt in fine, quod in religione maior est districtio disciplinæ & maior esse potest quies contemplationis quam in prælatis, non concludit quin prælati, præcipue Episcopi, prout declarat S. Thom. sint simpliciter in statu perfectiore.

Quod autem dicunt quosdam prælatos statum religionis statui prælationis prætulisse, non ascribendum est ipsius status imperfectioni, sed illarum personarum humilitati vel imbecillitati, eo quod non potuerunt vel se posse non reputauerunt perfectioni illius status conformare. Et ex hoc prouenit timor quem tangunt in hora mortis.

ARTICVLVS XI.

q. 185. art. 6 an liceat Episc. aliquid possidere.

SANCT. Th. dicit. *q. 185. art. 6.* vbi quærit, vtrum liceat Episc. aliquid possidere. In *responsione principali*, quod *perfectio vitæ christianæ non consistit essentialiter in voluntaria paupertate. Sed voluntaria paupertas operatur instrumentaliter ad perfectionem, immo potest esse summa perfectio cum magna opulentia. Nam Abraham cui dictum est Gen. 27. Ambula coram me & esto perfectus, legitur fuisse diues.*

CORRVPTORIVM.

QVod dicit perfectionem vitæ in volũtaria paupertate nõ cõsistere, vno modo habet veritatem, alio modo non, perfectio enim vitæ Christianæ) sicut communiter distinguunt magistri, vt supra habitum est) est duplex. Est enim vna perfectio sufficientiæ siue necessitatis. Alia

Alia abundantiæ & super erogationis. Voluntaria paupertas non est essentialiter perfectio necessitatis sicut aliquid de essentia eius, quia sine illa sufficienter haberi potest per obseruantiam præceptorum. Sed voluntaria paupertas est essentialiter vna perfectionum supererogationis, temporis essentialis illius perfectionis totalis quæ consistit in consilijs. Sicut liberalitas est essentialiter quædam prima perfectio necessitatis & operatio eius quæ cõsistit in licito vsu diuitiarum corporalium, est quædam secunda perfectio necessitatis. Ita voluntaria paupertas secundum habitum dicta, est quodammodo perfectio prima supererogationis, & eius vsus perfectio secunda, & pars essentialis illius totalis perfectionis quæ consistit in consilijs. Valde enim absurdum esse videtur quod liberalitas quæ libere vtitur diuitijs temporalibus sit virtus, & per cõsequens perfectio prima, & eius vsus sit perfectio secunda. Et voluntaria paupertas non sit perfectio nec de essentia perfectionis, cum dicat glo. Lucæ 14. Distat inter renuntiare omnibus & relinquere omnia, quia renuntiare conuenit omnibus qui ita licite vtuntur omnibus quæ possident, vt tamen mente tendant ad æterna. Relinquere vero omnia perfectorum tantum est qui omnia terrena postponunt, & solum æternis inhiant. Vnde dicimus quod perfectio vitæ Christianæ nec totaliter consistit nec maxime in voluntaria paupertate. Totalis enim perfectio vitæ Christianę consistit in aggregatione omnium

Perfectio vitæ Christianæ nec maxime nec totaliter consistit in voluntaria paupertate.

S. Aug.

virtutũ & in operibus earum pro loco & tẽpore. Maxime vero consistit in charitate, ad quam omnes virtutes & virtutum opera, siue quæ sunt in præcepto, siue quæ sunt in consilio ordinãtur & perficiuntur, nihilominus dicimus quod maxima perfectio vitæ Christianæ quantum ad aliquid scilicet quantũ ad vsũ diuitiarũ temporaliũ in voluntaria paupertate consistit, homo enim dicitur vti illis rebus à quibus abstinet secundum temperantiam & abstinentiam secundum S. Augustinum *li.* 83. *q.q.* 20. Et quantum ad hoc dicimus quod vbi est maior paupertas voluntaria ibi est maior perfectio. Huic attestatur S. Aug. *de bono coniugali*, ita dico *Bonũ erat quod faciebant, qui de substantia sua Christo ac discipulis sua ministrabãt necessaria. Sed melius qui substantiam diuiserunt, vt expeditiores Dominum sequerentur.*

Item de Ecclesiasticis dogmatibus c. 38. *Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare melius est intentione sequendi Dominum omnia simul donare, & absolutum sollicitudine egere cum Christo*, vnde de Abraham & de quocunque alio (qui legitur fuisse perfectus & diues) cõsiderandũ est secundũ quid dicatur esse perfectus, sicut docet S. Aug. *li.* 1. *de baptismo paruulorũ*, ante medium cum dicitur quilibet status perfectior, qua in re dicatur videndũ est. Nihil enim prohibet quin voluntaria paupertas possit operari instrumentaliter ad vlteriorem perfectionem, quamuis essentialiter sit perfectior vel pars perfectionis, vt supra ostensum est. *q.* 184. *ar.* 2.

RESPON-

Digitized by Google

Responsio ad haec secundum S. Thomam.

SCiendum in primis quod duo falsa supponunt. Vnum est quod perfectio supererogationis & abundantiæ attendi debet vel principaliter consistat in voluntaria paupertate. Aliud est quod paupertas est virtus quædam siue perfectio animæ prima. Cuius vsus vel actus est perfectio animę secunda. Falsitas prima patet sic. Sicut perfectio sufficientiæ vel necessitatis consistit in virtutibus charitate informatis & earum actibus in gradu primo & infimo, sic perfectio maior in quocunque consistit, in eisdem virtutibus & earũ actibus in gradu vlteriore & perfectiore. Quãtumcunque enim remoueantur ea quæ pertinẽt ad remouendũ impedimenta perfectionis, nunquã est anima perfecta quousq; habeantur virtutes charitate informatæ in quibus consistit ipsa perfectio essentialiter, nec per consequens per ipsa eadem poterit esse essentialiter perfectior, nisi eædem virtutes intendantur vel augmententur, propter quod augmentatio perfectionis, & per consequens perfectio supererogationis quam vocant perfectionem essentialiter consistit in augmentatione virtutum charitate informatarum ad quam paupertas voluntaria & huiusmodi faciunt instrumentaliter inquantum faciunt ad remouendum impedimentum huiusmodi augmentationis. Falsitas secũdi sic patet, paupertas. n. voluntaria non est virtus vt supponunt,

nunt, sed quædam pænalitas voluntaria assumpta, sicut nuditas vigiliæ, & huiusmodi, quod patet per hoc ꝙ inter huiusmodi in collationibus patrum enumeratur. Si enim paupertas esset per se loquendo virtus, non diceretur laudabilis solum per additionem inquantum voluntaria, sed per se. Omnes enim virtutes per se sunt laudabiles, nec etiam diceretur voluntarie assumpta, sed magis ipsius voluntatis ad sic operandum inclinatiua. Est enim virtus habitus inclinans per modum naturæ, *vt dicit philosophus 2. eth.*

Quod ergo dicunt, quod absurdum esse videtur, quod liberalitas quæ libere vtitur diuitijs temporalibus sit virtus, & per consequens perfectio prima & eius vsus sit perfectio secunda & voluntaria paupertas non sit perfectio nec de esse perfectionis, patet quod nulli recte intelligenti absurdum esse videbitur. Licet enim vt dicit glo. illa relinquere omnia perfectorum tantum sit vtique quo ad hoc quod instrumentaliter facit ad perfectionem, non tamen sequitur quod ipsa paupertas vel temporalium rerum nuditas & carentia, consequens sit virtus animam perficiens, sicut non sequitur. Si mori pro Christo tantum modo sit perfectorum quantum ad potissimum signum perfectionis, quod propter hoc ipsa mors voluntarie assumpta sit aliqua animæ perfectio prima, immo tam hæc quam illa in carentia quadam seu priuatione ad pænalitatem pertinente consistunt. Vnde inter alias pænalitates pro Christo assumptas, cuiusmodi

iusmodi sunt vigiliæ ieiunia,&c. huiusmodi paupertas& priuatio omnium facultatum ponitur. Et verum quidem est, vbi amor maior est paupertas & purior aut discretior, ibi maior perfectio quantum ad illud quod instrumentaliter facit ad perfectionem. Et hoc concludunt auctoritates quæ sequuntur, & non aliud.

Quod vero dicunt quod paupertas ita est instrumentum perfectionis quod est quædam pars eius essentialis, ex prædictis patet esse falsum.

ARTICVLVS XII.

DOCET S. Thomas *in eodem ar. in responsione primi argumenti*, quod illa verba Domini Mat. 10. *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris.* Vno modo exponi *possunt sicut exposuit ea S. Augustinus de consensu Euangelistarum, vt intelligatur hoc dictum non præcipiendo sed permittendo. Permisit enim vt absque argento & auro irent ad prædicandum, sumpturi sumptus ab his quibus prædicarent.*

Quomodo intelligatur in Euangelij Nolite possidere aurum.

CORRVPTORIVM.

QVOD dicit Dominum non præcipiendo sed permittendo dixisse. *Nolite possidere aurum.*

aurum, &c. dicimus quod falsum est & contra Euangelia, & contra testimonia sanctorum. Nam Mat. 10. hos duodecim misit Iesus, præcipiens & dixit. *In viam gentium ne abieritis.* Et paucis interpositis subditur. *Nolite possidere aurum neque argentum, &c.*

Et Mar. 7. expressius etiam præcipit, ne *quid tollerent in via nisi virgam tantum, non peram, nõ panem, neque in zonis æs sed essent calciati sandalijs, & ne induerentur duabus tunicis, expresse dicit quod præcepit eis.*

Et S. Ambrosius *super Lucam 6. super* illud. *Nolite portare neque peram neque saccum* Lucę 4. *Scripsit* inquit *Mat. quoniam dixit ad discipulos Dominus. Nolite possidere aurum neque argentum. Si prohibemur aurum possidere, quid rapere quid auferre: Si quod habes donare præciperis: quid auges quod non habes*: Et infra tangens illud Act. 2. *Aurum & argentum non est mihi, &c.* Glo. ita dicit. *Non tam gloriatur Petrus quod Argẽtum non habet quam quod seruet Domini præceptum vel mandatum quod præcipit. Nolite possidere aurum neque argentum, hoc est dictum. Vides me Christi discipulum & à me requiris aurum.*

Item super illud *Act. 2. Aurum & argentum non est mihi.* Glo. *memores præcepti illius. Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam. Quæ ad pedes Apostolorum reponebantur, non sibi sed ad vsus pauperum recondebantur.*

Ex his patet quod illud. *Nolite possidere aurum, &c.* prohibitum fuit Apostolis, non permissum. Sumere vero sumptus & alimenta ex

Digitized by Google

ex ipsa prædicatione, concessum fuit, non autem præceptum. Et hoc dicit S. Gregorius *homel. 17. super Ioannem. Qui panem* inquit *& sacculum portare prohibuit : sumptus & alimenta ex ipsa prædicatione concessit.* Nam sequitur. *In eadem domo manere, edentes & bibentes quæ apud eos sunt.* Ex his verbis S. Grego. patet quod pars auctoritatis scilicet *Nolite possidere aurum vel argentum, non peram, non saccum prohibitum fuit.* Sumptio vero necessariorum quæ intelligitur in fine auctoritatis. *Dignus est operarius mercede sua siue cibo illo.* Quod expressius dicit in Luca, *edentes & bibentes quæ apud illos sunt.* Hoc inquam concessio fuit & non præceptum. De ista concessione dicitur in glo. 1. *ad Corin. 12. Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi:* Glo. *permisit Dominus, sed non iussit Apostolis accipere necessaria à subditis, vt quisquis vellet eo vteretur quod sibi liceret ex Domini concessione. Si quis nollet eo vti non contra iussum faceret, sed de suo iure cederet.*

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

DIctum Beati August. quod S. Thomas adducit repræhendunt & destruere conantur, in quo eos amplius peccare cui dubium est: Et supra modum admirandum, quod prædictũ testimoniũ beati Aug. in expositione prædictorum verborum dicunt esse contra

contra Euangelia & testimonia sanctorum. Argumenta vero quibus non S. Thomam, sed sententiam beati Augustini destruere nituntur in hac parte per æquiuocationem siue per diuersam acceptionem huius nominis præcepti, vtpote sophistica soluuntur. Nam omnes auctoritates in quibus dicitur Dominum illud præcepisse. *Nolite poßidere aurum, &c.* de præcepto large accepto, siue pro permissione, secundum dictam expositionem beati Augustini *de consensu Euangelistarum*, siue pro consilio intelliguntur, vt reducatur ad illud. *Si vis perfectus esse, &c.* debent intelligi. Si vero pro pręcepto proprie dicto, debet intelligi non nisi ad tempus, quantum ad illam missionem qua mittebantur ad prędicandum iudæis, præcipiebatur vt per hoc excitarentur ad confidendum de virtute ipsius, quia eis absque sumptibus prouideret secundum expositionem Chrysostomi. In sensu etiam mystico habuit rationem præcepti proprie dicti, sc. quod prædicatores non innitantur principaliter sapientiæ & eloquentiæ quæ auro & argento designantur, secundum expositionem S. Hieronymi.

Auctoritates igitur quas isti adducunt, nec contra sanctos istos: nec contra S. Thom. (illis innitentem) aliquid faciunt si recte intelligantur, scilicet nomine præceptionis vel prohibitionis modis prædictis vtentes.

(.·.)

ARTI-

Digitized by Google

Articvlvs XIII.

De hoc quod S. Tho. dicit, *q.186. art.2.* vbi quærit, vtrum quilibet religiosus teneatur ad omnia *consilia, in responsione prin. Ad perfectionem aliquid tripliciter pertinet. Vno modo essentialiter, & sic ad perfectionem pertinet perfecta obseruantia charitatis. Alio modo consequenter sicut illa quæ consequuntur ex perfectione charitatis: vtpote maledicenti benedicere, præcipue extra casum necessitatis. Tertio modo instrumentaliter & dispositiue, sicut paupertas, abstinentia & continentia & huiusmodi & sic paupertas, continentia & abstinētia nō pertinent essentialiter ad perfectionem, nec consequenter, sed dispositiue & instrumentaliter.* *An religiosus tenere ad consilia.*

Corrvptorivm.

Nobis autem non videtur quod hoc sit verum, immo quod sint perfectiones, & per consequens pertineant essentialiter ad perfectionem. Et quod magis & frequentius pertineant ad charitatem consequenter quam instrumentaliter. Nihilominus bene nobis videtur, quod ad perfectionem charitatis pertineant instrumentaliter & dispositiue.

Digitized by Google

1. Quia autem voluntaria paupertas sit perfectio, videtur per auctoritatem S. Hieronymi *ad Demetriadem*. Dicit enim sic. *Apostolici fastigij est perfecteque virtutis, vendere omnia & distribuere pauperibus & sic leuem & expeditum ad cælestia volare.* Ergo paupertas secundum Hieronymum est perfecta virtus, ergo perfectio.

2. *Præterea*, quælibet earum est virtus vel gradus virtutis, si virtus, ergo perfectio. Dicit enim philosophus 7. *physicorum*. *Virtus perfectio est*, & vnumquodque tunc est perfectum, maxime cum attingit virtuti proprie.

3. Idem 2. *ethicorum c. 5. Omnis virtus cuiuscumque fuerit virtus, habentem perficit, & opus eius bonum reddit.* Si autem sunt gradus virtutum, constat quod eminentissimi gradus sunt. Verbi gratia, voluntaria paupertas (quæ simul & semel dat omnia pauperibus) altissimus gradus liberalitatis vel corporalis misericordiæ est viduitas & virginitas quæ excellentior est, excellentissimus gradus continentiæ abstinentia excellentissimus gradus temperantiæ cum gradus inferiores prædictarum virtutum (quibus gradibus potest fieri additio) sint perfectiones, sicut liberalitas, secūdum quam homo libere vtitur bonis temporalibus. Et misericordia secundum quam particulariter siue successiue dispensat indigentibus, multo magis prædicti gradus quibus fieri additio non potest, perfectiones dici possunt.

Item

Item *Algazel. in principio logicæ suæ dicit. Sit perfectio inquit animæ in duobus consistit, in munditia & ornatu. Munditia eius est vt expietur à sordidis moribus & sequestretur à phantasijs turpibus. Ornatus eius est, vt depingatur in ea certitudo virtutis.* Et infra. *Felicitas æterna non potest haberi nisi per perfectionem animæ quæ non est nisi munditia & ornatus.* Ex hoc arguitur sic. Munditia à sordidis moribus, & phantasijs turpibus maxime sunt paupertas voluntaria, continentia & abstinentia & obedientia, quia voluntaria paupertas est munditia à concupiscentia oculorum. Continentia est munditia à concupiscentia carnis. Obedientia est munditia à superbia vitæ ergo hæc tria sunt vera perfectio vel veræ perfectiones. Algazel. in principio Logicæ.

4. *Quia autem ista* quandoque pertineant ad perfectionem charitatis, consequenter manifeste patet in Christo. Charitas enim Christi à primo instanti suæ conceptionis ita perfecta fuit, quod nunquam deinceps augeri potuit. Paupertas igitur & continentia & abstinentia ad perfectionem charitatis eius non pertinebant instrumentaliter & dispositiue, quia nec disponebant ad eius inductionem, nec ad eius augmentationem, & pertinebant ad eam consequenter. Et de paupertate Christi dicit Apostolus. 2. *Cor.* 8. *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, id est, charitatem, quoniam propter nos egenus factus est cum esset diues.*

5. *Præterea videtur*, quod ista magis pertineat ad charitatem siue ad perfectionem quæ cha-

Digitized by Google

ritas est consequenter, quam instrumentaliter & dispositiue, & quod magis fieri debeant ex charitate habita quam ad charitatem habendam. Dicit enim S. Augustinus. 6. *musica Amor* inquit *temporalium non expurgatur nisi suauitate æternorum.* Constat quod suauitas rerum æternarum vel est idipsum quod amor earum, vel effectus amoris ipsarum.

Item *glo. Canti.* 8. super illud. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione.* Glo. *Vbi abundat amor æternorum, vilescit mox possessio labentium.*

Item S. Gregorius, *homel.* 11. *super Ioannem. Sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerum temporalium charitas occidit.*

6. *Præterea*, manifeste videmus homines habentes perfectam charitatem vberius elemosynas facere, & districtius abstinere, & sollicitius continere, & humilius obedire, quam non habentes charitatem, vel habentes imperfectam. Igitur ista magis habent sequi ex perfecta charitate quam instrumentaliter dispositiue ad illam habendam vel augendam.

7. *Vlterius* videtur per Apostolum, quod aliæ virtutes possunt dici perfectionis vel perfectio, & charitas instrumentum. Dicit enim *ad Col.* 3. de pluribus virtutibus loquens. *Super omnia autem charitatem habentes quæ est vinculum perfectionis.* Glo. *Cætera perfectionem faciunt, charitas omnia ligat ne abeant*, ergo cætera sunt perfectiones, & charitas instrumentum quod est vinculum hoc videtur nobis verum tam de charitate quam de alijs virtutibus, quod

quod secundum diuersas rationes possunt dici instrumenta & perfectiones.

Responsio ad haec secundum S. Thomam.

Nituntur probare primo, quod paupertas, abstinentia & huiusmodi, sint perfectiones essentialiter ita scilicet quod ad ipsam essentiam perfectionis humanæ pertineant, cuius oppositum supra est declaratum.

Ad illud, ergo quod primo obijciunt de S. Hieronymo, quod perfectæ virtutis est vendere omnia, verum est quod ad perfectam virtutem tanquam instrumentum veniendi ad perfectam virtutem, non tanquam ipsa sit virtus perfecta, sicut patuit in Abraham. Potest etiam hoc dici perfectæ virtutis, quia nonnunquam est perfecte virtutis effectus, vt quando perfecta virtute inflammatus omnia relinquit quæ impedimentum præstare poterunt. *Ad 1.*

Ad secundum, cum dicit, *qualibet earum est virtus, &c.* Respondendũ est per interemptionem, quoniam nec sunt virtutes vt dictum est in gradu primo, nec in gradu vlteriore & perfectiore. Possunt enim virtutes quæ connexæ sunt & haberi & ad gradum perfectum augmentari sine his, licet faciant instrumentaliter ad huiusmodi (prout dictum est) perfectionem, vnde tota illa ratio cum suo processu innititur falsitati. *Ad 2.*

Digitized by Google

Ad 3. *Ad tertium dicendum*, quod verum eſt quod prædicta faciunt ad mentis munditiam inſtrumentaliter, ſed gratia & virtutes faciunt mentis munditiam eſſentialiter.

Ad 4. *Secundo*, conſequenter nituntur probare, quod iſta pertineant quandoque ad perfectionẽ charitatis cõſequenter, & hoc concedimus.

Ad 5. *Tertio nituntur* probare quod magis pertineant ad perfectionem quæ eſt charitatis cõſequenter quam inſtrumentaliter, quod non videtur rationabiliter dictum, quoniam ad charitatem habitam in ſumma plenitudine nõ ſequuntur iſta, quoniam tunc eſſent in patria. Sed dicuntur potius ad perfectam charitatem diſpoſitiue ſeu inſtrumentaliter ſe habere, quia vniuerſaliter aſſumuntur, vel vt perfectus charitatis gradus acquiratur, vel ne ipſe gradus charitatis perfectus, prout in via poſſibile eſt, iam adeptus alicuius impedimẽti occaſione aliquatenus retardetur. Quod licet in paupertate Chriſti dici non poſſit quantum ad charitatem in eo exiſtentem. Dici tamen poteſt, quod & ipſa inſtrumẽtaliter & diſpoſitiue egit ad perfectã charitatẽ in alijs fidelib⁹.

Ad primum ergo in oppoſitum dicendum, quod illa auctoritas S. Aug. *ſimiliter illa gl. Cant.* 8. ſimiliter auctoritas S. Greg. nihil faciunt pro eis. In omnibus enim habetur, quod propter amorem ſuauitatem vel dilectionem æternorum, inflammatur homo ad conceptum terrenorum, quod vbique verum eſt, quia ipſa terrena relinquere facit inſtrumentaliter ad perfectum gradum amoris peruenire.

Per

Digitized by Google

Per idem soluitur, ratio quam ponunt consequenter, habentes enim maiorem charitatem & perfectionem, vberius ac promptius faciũt prædicta, per quæ ad vlteriorem perfectionem (vt sæpe dictum est) instrumentaliter promouentur. *Ad 6.*

Quarto nituntur ostendere, quod ipsa etiam charitas debeat dici instrumentum perfectionis, pro eo quod ab Apostolo dicitur vinculũ perfectionis, quod salua pace eorum improprie (ne dicam falso) dicitur. Non enim finis potest poni in ratione instrumenti quo ad finem deuenitur, nunc autem finis præcepti est charitas, secundum Apostolum, quam dicit vinculum perfectionis, pro eo quod in ipsa perfectio consummatur. *Ad 7.*

Quod vero dicit glo. Cætera perfectionem faciũt, charitas autem omnia ligat, &c. metaphorice dictum est, locutio autem figuratiua non est extendenda. Non enim debet intelligi quod charitas adueniat virtutibus perfectis quasi quoddam vinculum superueniens secundum perfectionem quam habent virtutes habent à charitate quę est earum forma, qua recedente remanent imperfectę, vt illud intendit glo. Per hoc ergo quod charitas dicitur vinculum aliarum virtutum, non intelligitur quod sit instrumentum earum, sed potius perfectio ac finis & forma.

Quod de aijs virtutibus dicunt in fine, quod possunt secundum diuersas rationes dici instrumenta & perfectiones, concedi potest, nec est contra nos.

ARTICVLVS XIV.

Ibid. ar. 9. quomodo religiosus peccet trãsgrediendo regulam.

DE hoc quod S. Thom. dicit, *q. eadem art. 9, vbi quærit*, vtrum religiosus peccet mortaliter transgrediendo ea quæ sunt in regula, quod profitens regulam non vouet seruare omnia quæ continentur in regula.

Et arguit quod sic tali ratione, *Facere contra votum est peccatum mortale. Sed religiosi voto possessionis astringuntur ad regulam, ergo peccant mortaliter transgrediendo ea quæ in regula continentur.* Et respondendo dicit, quod *ille qui profitetur regulam, non vouet omnia quæ sunt in regula, sed vouet regularem vitam, quæ consistit in tribus, scilicet in paupertate, continentia & obedientia. Vnde in quibusdam religionibus aliqui cautius profitentur non quidem seruare regulam, sed viuere secundum regulam, id est, intendere ad hoc quod informent mores suos secundum regulam sicut iuxta quoddam exemplar ita quod professioni non contrarietur nisi quod est contra præceptum regulæ. Transgressio vero aliorum vel omissio non obligat nisi ad peccatum veniale.* Ex verbis istius solutionis tollitur argumentum quod soluere intendit. Expresse enim intelligitur secundum ipsum, quod religiosi profitentes aliquam regulam, non vouent seruare omnia quæ in regula continentur, alioquin transgrediendo aliquod istorum peccarent mortaliter.

Et quod

Digitized by Google

Et quod ista fuerit sua opinio, manifeste videtur *in quæstionibus determinatis quodlibeto primo q.*20. quæ est, vtrũ monachus peccet mortaliter comedendo carnes. Ibi enim *in responsione principali* dicit ita. *Si religiosus profitendo vouet et se regulam seruaturum, videtur se obligare ad singula quæ in regulis continentur*, vt contra *quodlibet eorum faciendo peccet mortaliter.*

CORRVPTORIVM.

ISTVD videtur nobis falsum. Nam *Exod.*24. legitur, quod postquã Moyses narrauerat populo omnia verba Domini atque iudicia, respondit omnis populus vna voce. *Omnia quæ locutus est nobis Dominus faciemus, & erimus obedientes.* Et hac promissione facta Moyses sanguinem fœderis respersit in populum dicens. *Hic est sanguis fœderis quod Dominus pepigit nobiscum.* **Exod.**

Item Iosuæ vlt. fœdus hoc habetur innouatum, dicente populo ad Iosuæ *Domino Deo nostro seruiemus, & erimus obedientes præceptis eius. Percussit igitur in illo die Iosua fœdus cum populo, & imposuit populo præcepta atque iudicia.* Et Apostolus ad *Galath.* ita dicit. *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis vt faciat ea*, quod sumptum est de *Deut.*27. *Ios. vlt.* *Galat.* 3.

Et iterum *ad Galat.*5. dicit Apostolus *Testificor rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Ex quibus manifestum est, quod iudæi firma pro- 2. *Deutero* *Galat.*

missione sub maledictionis susceptione obligati erant omnia contenta in lege seruare, & tamen constat quod plurima fuerunt in lege, quorum transgressio vel omissio non erat mortale, vt est illud *Exod.23.* *Si occurreris oui vel boui vicini tui, reduc ad eum.* Et illud *Leui.19.* *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* A simili qui promittit seruare regulam, & ea quæ sunt in regula, non oportet quod peccet mortaliter transgrediendo vel omittendo quodlibet eorum.

Exod. *Leuit.*

3. *Præterea*, in regula sancti Benedicti præcipitur disciplina suscipiendorum fratrum, quod *primo post duos menses legatur regula nouitio, & iterum secundo post sex menses. Et adhuc tertio post quatuor menses. Et si nouitius habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire & cuncta sibi imperata seruare, tunc suscipiatur in congregatione, sciens se ex lege regulæ constrictum, quod ex illo die non liceat ei de monasterio exire, nec collum excutere de sub iugo regulæ.* Ecce quod nouitij secundum regulam beati Benedicti promittunt se omnia custodire quæ in regula continentur, & tamen insania esset quod peccarent mortaliter quodlibet eorum transgrediendo.

Regula B. Benedicti.

Item in principio, regulæ Beati Francisci (quam approbauit Innocentius Papa tertius, & confirmauit Honorius Papa tertius, successor eiusdem) ita dicit. *Regula & vita fratrum minorum hæc est, scilicet Euangelium Domini nostri Iesu Christi seruare*

Digitized by Google

re. Et in fine eiusdem sic dicitur. *Paupertatem & humilitatem & Euangelium Domini nostri Iesu Christi (quod firmiter promisimus) obseruemus.* Et tamen S. Gregorius 9. qui regulam exposuit, ita dicit. *Fratres* inquit *qui scire desiderant an ad alia Euangelij consilia teneantur, an tantum ad illa quæ in regula præceptorie vel inhibitorie sunt expressa, præsertim cum ad alia obligare non intenderunt, & vix aut nunquam possunt omnia ad litteram obseruare. Nos autem breuiter dicimus vos ad illa Euangelij consilia non teneri per regulam: nisi ad ea ad quæ obligastis vos in ipsa, ad cætera vero non tenemini nisi sicut cæteri Christiani, & eo magis ex æquo & bono quæ vos obtulistis in holocaustum medullatum per contemptum omnium mundanorum.* Hæc Papa Gregorius. Igitur per expositionem Papæ liquet, quod quamuis fratres minores promiserunt obseruare Euangelium, non tamen tenentur ad omnia Euangelij consilia, nisi ad ea quæ in ipsa regula præceptorie vel inhibitorie sunt expressa. S. Greg.

Præterea, quicunque regulam aliquam vel contenta in ea promittit vel vouet, nihil aliud intendit vel intendere debet quam conformare voluntatem suam & conuersationẽ partibus regulæ secundum intentionem illius qui regulam condidit. Sed constat quod conditor cuiuscunque regulæ, non intendit quod professores sui vel illius regulæ, æqualiter obligentur, & ad omnia æqualiter teneantur, nisi tale sit

quod

Digitized by Google

quod transgrediendo peccent mortaliter, hoc enim esset stultissimum & laqueum illis immittere, quorum deberet salutem quærere, & maxime vbi regula distinguit inter monita & præcepta, sicut in regula beati Francisci, ergo nullus vouens aliquam regulam sic obligatur profitendo, vt si transgrediatur quæcũque contentorum in regula peccet mortaliter.

Secundum quod dicit, etiam quod cautius profitentur qui non profitentur regulam, sed qui tantum profitentur secundum regulam obedientiam. In his verbis insinuat, quod ingredientes religionem, non debent profiteri regulam, alioquin minus caute faciunt, & hoc reputamus falsum, quia *extra de regularibus & transeuntibus ad religionẽ, c. ex parte tua,* fuit propositum, ita dicitur. *Mandamus quod quoscunque tibi lege diocesana subiectos, qui prædicto modo terram duabus vijs ingredi non verentur, vt postquam per annum gestauerint habitum monachalem regulam profiteantur & seruent, ecclesiastica censura compellas.* In quibus verbis hoc notandum est, quod ingredientes ordinem illius ordinis regulam debent profiteri, quia dicit, *regulam secundum formam profiteantur.*

Adhuc in verbis prædictis quibus dicitur, *postquam per annum gestauerint habitum monachalem.* Notandum videtur quod forma profitendi in ordine monachorum: est profiteri regulam beati Benedicti, & promittere conuersationem morum secundum illam. Sed hanc formam profitendi tanquam homo qui vo-

voluit monachis suis immittere laqueum B. Benedictus instituit sicut frater S. Tho. dicit in *quaestionibus determinatis, quodlib.* 1. q. 20. quae est: vtrum *monachus mortaliter peccet in comedendo carnes*: & in responsione quam prae manibus habemus, insinuat idipsum, excepto quod nomen Benedicti non explicat. *Quodlib. 1. q. 20.*

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

Dvo nituntur ostēdere sicut patet ex eorum processu. *Quorum primum* est, quod licet religiosi obligent se voto professionis ad singula quae sunt in regula, non tamen peccarent mortaliter singula eorū transgrediendo. *Secundum* est quod S. Thom. euacuat decretalem in hoc quod dicit cautius quosdam profiteri obedientiam secundū regulam. Primum patet esse falsissimum, quoniam si quis voto vel iuramento obligaret se directe & ex intentione, quod non moueret vel frangeret festucam, sic obligatus mortaliter peccaret hoc faciendo nulli dubium est. Eodem modo si religiosus intendit se voto obligare ad singula quae in regula continentur, peccaret mortaliter transgrediendo quecunque eorum vel quare non. Et hoc intendit S. Thom. cum dicit. *Si religiosus profitendo voueret &c. in quaestionibus determinatis quodlibeto* 1. q. 20.

Ad primum igitur in oppositum dicendum, quod populus *Ad primū*

populus Iudaicus non fuit obligatus ad omnia quæ erant in lege, ita quod ipsa transgrediendo peccaret mortaliter, nisi tantum ad ea quæ cadebant sub præcepto proprie accepto. Ad illa enim sola intendebat legislator & eius successor obligare eos.

Gal. 3. *Quod autem dicitur. Maledictus omnis qui non permanserit* &c. habet intelligi de his quæ imposita erant sub præcepto, vel quod omnes homines ante Christum qui legem implere non poterant, sub maledictione erant, pro quibus ab illa maledictione liberandis Christus dignat' est dici maledictus, secundũ illud.

Deut. 21. *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, sicut dicit Apostolus. Vnde quod ibi dicit. *Testificor omni homini* &c. quod ipsi pro se adducunt. Secũdo sic habet intelligi, quod circumcidens se, & per consequens fidem Christi negãs, in prędictam incidit maledictiónẽ, à qua per Christum liberantur electi, velut ad litteram legis obseruatores. Et licet etiã talis dicatur debitor vniuersæ legis faciendæ non tamen sequitur quod transgrediendo ea quæ in lege scribuntur, nec tamen præcipiuntur, mortaliter peccaret, licet enim monachus debitor sit alicuius obseruantiæ regularis quæ non cadit sub præcepto, vtpote quod sileat in claustro, non tamen sequitur quod transgrediendo silentium peccaret mortaliter.

Ad 2.

Ad 3. *Quod opponunt tertio*, de regula beati Benedicti, quod ibi præcipitur *regulam debere legi* &c. oportet intelligi quod vtitur præcepto large pro admonitione vel consilio, vel certe

si stri-

Digitized by Google

si stricte cadat sub præcepto proprie professor regulæ illius nouitius intendens præcepto illi obtemperare aut mortaliter peccare, sine distinctione tenetur. Nouitij vero promittentes se omnia seruare quæ in regula sũt, non intendunt nec intendere debent singulis in ea contentis se voto astringere.

Aliquid enim (vt dicit S. Tho.) continetur in regula dupliciter. Vno modo sicut finis regulæ, puta ea quæ pertinent ad actus virtutum. Et horum trãsgressio est *quantum ad ea quæ cadunt sub præcepto ad ea quæ necesse est* quod se *extendat eorum promissio. Alio modo continetur aliquid in regula ad exercitium exterius* pertineus, *sicut sunt exteriores obseruantiæ inter quas quædam sunt ad quas obligatur religiosus ex voto professionis. Votum autem religionis principaliter respicit tria, paupertatem,* continentiam, *obediẽtiam, quæ se etiam promittunt illi nouitij seruaturos.* Alia vero omnia quæ ordinantur ad hæc, promittunt se seruaturos inquantum proponunt talia pro posse se seruare, non tamen ita quod per transgressionem eorum quæ non sunt de substantia religionis nec cadunt sub præcepto, cuiusmodi est silere in claustro, obligentur ad mortale.

In corpore quæ cit.

Votum religionis tria respicit.

Quod vero opponunt quarto, de regula beati Francisci approbata & confirmata, in cuius fine subditur. *Euãgelium Domini nostri Iesu Christi quod firmiter promisimus obseruemus*, quod (prout dicunt à Gregorio 9. exponitur) pro S. Tho. facit. Ex quo enim qui promiserunt obseruare Euangelium Domini nostri

Ad 4.

Iesu

Iesu Christi, non tenentur ex voto suæ professionis nisi ad illa consilia quæ in ipsa regula præceptorie vel inhibitorie sunt præcepta. Manifestũ est quod qui promittit vel profitetur se seruare aliquam regulam, non vouet se seruare singula quæ sunt in regula, ita scil. quod obliget se voto ad singula, sicut nec isti (vt dicunt) intendebant se obligare ad singula consilia, sed vouet regularem vitam, quæ essentialiter consistit in prædictis tribus, nec obligantur suo voto nisi ad ea quæ præceptorie vel inhibitorie in ipsa regula sunt expressa, ita scilicet quod alia transgrediendo nõ peccent mortaliter.

Ad 5. *Quinta ratio per omnia facit* pro S. Thoma, planum est enim quod neque regulam contradicens per eam intendit ad omnia obligare, nec profitens æque in omnia obligari. Vnde miror ad quid hanc rationem posuerint, cum magis ad oppositum quam ad eorum faciat propositum quo ad hoc.

Secundum quod improbant, quod cautius profitentur qui profitẽtur obedientiam secundũ regulam per hoc quod videtur eis quod illud insinuet ingredientes religionem non debere regulam profiteri. Et dicimus quod salua pace eorum non videtur eis verum. Cõcedimus enim (prout volunt iura) quod ingredientes religionem tenentur post annum regulam profiteri, regulam autem profiteri prout dicit S. Thom. est profiteri vitam regularem vel obedientiam secundum regulam, quod caute quidam exprimunt in sua professione regulã quidem

quidem profitentes, sed tamen quid sit regulã profiteri secundum iura, eo cautius quo euidentius exprimentes.

ARTICVLVS XV.

DE hoc quod S. Tho. dicit, *q.188. art.7.* vbi quærit. Vtrum habere aliquid in communi diminuat de perfectione religionis. In *responsione principali*, *quod si res exteriores non quærantur nec habeantur nisi in modica quantitate, quantum sufficit ad simplicem victum talis sollicitudo non multum impedit hominem, vnde nec perfectioni humanæ nec christianæ vitæ repugnat*. Et aliquantulum infra subiũgit. Differt circa hoc, *vtrum diuitiæ in proprio vel in communi habeantur, nam sollicitudo quæ habetur circa res proprias pertinet ad amorem priuatum. Sed sollicitudo quæ habetur, circa res communes pertinet ad amorem charitatis, quæ non quærit quæ sua sunt.* Et *quoniam religio est ad perfectionem charitatis quam perficit amor Dei vsque ad contẽptum sui habere aliquid proprium repugnat perfectioni religionis. Sed sollicitudo quæ est circa bona communia ad charitatem pertinere potest, licet per hoc impediri possit aliquis altior actus charitatis, vt contemplationis Dei & instructionis proximi.* Ex *quo patet, quod habere superabundantes diuitias in communi est impedimẽtum perfectionis, siue in rebus mobilibus siue immobilibus. Habere autem de rebus exterioribus in communi siue*

q.188. ar.7. an in communi ãliquid habere diminuat perfectioni

1. Cor. 13.

immobilibus quantum sufficit ad simplicem victum perfectionem religionis non impedit, si consideretur paupertas in comparatione ad communem finem religionis, qui est vacare diuinis obsequijs. Si autem consideretur paupertas ad speciales fines religionum, sic tanto erit religio perfectior secundum paupertatem quanto habet paupertatem magis suo fini proportionatam. Et infra. *Illis vero religionibus quæ ordinantur ad contemplandum, & contemplata alijs tradendum per doctrinam, competit habere paupertatem, maxime ab exteriobus sollicitudinibus expeditam, quod fit dum modica quæ sunt necessaria vitæ congruo tempore procurata seruantur. Hoc Dominus paupertatis institutor docuit.* Legitur *enim Ioannis* 10. quod *Iudas habebat loculos, in quibus ea quæ mittebantur portabat. Et Ioannis 4. legitur, quod cum Dominus loqueretur cum Samaritana, discipuli ierant in ciuitatem vt cibos emerent. Legitur etiam Ioannis* 13. *quod cum Dominus dixisset Iudæ. Quod facis fac citius, putauerunt quia Iudas habebat loculos,* quod *Dominus diceret ei quod emeret necessaria ad diem festum, aut vt egenis aliquid daret, ergo exemplo licet pecuniā vel quācunque aliam rem in communi seruare ad vsus alicuius congregationis, ita quod non repugnat, immo est conforme perfectioni Christi, quam Christus docuit suo exemplo. Sed & discipuli (à quibus omnis religio sumpsit exordium) precia prædiorum conseruabant, & distribuebant prout vnicuique opus erat.*

Ioan. 10.

Ioan 4.

Ad idem adducit auctoritatē Prosperi de vita contemplatiua, & habetur 11. q. 1. *Satis inquit ostendit & propria debere propter professionem*

nem

nem contemni, & sine impedimento perfectionis posse facultates Ecclesiæ quæ sunt perfectè communia possideri. Ad hoc in *responsione argumenti dicit. Nolite solliciti esse in crastinum, non intelligitur quod nihil seruetur in futurum, hoc enim beatus Antonius asserit periculosum in collationibus patrum, ita dicens. Priuationem omnium facultatum ita sectantes, vt ex ipsis nec vnius quidem diei victum sibimetipsis nec vnum denarium superesse paterentur, & alia huiusmodi facientes. Ita repente vidimus eos esse deceptos, vt inceptum opus non poterant exitu congruo terminare.*

CORRVPTORIVM.

IN prædictis solutionibus tam ex verbis quæ dicit, quam ex quæstione quam soluere intendit, ad minus tria reprachendenda esse videntur. Vnum est quod habere aliquid in communi, scilicet moderatas diuitias vsui humano necessarias tempore congruo procuratas; nec repugnat nec detrahit aliquid de perfectione. Secundum est, quod tanto est vnaquæque religio perfectior secundum paupertatem, quanto habet paupertatem fini suo magis proportionatã. Tertium est quod periculum est, ita omnes facultates relinquere; vt nec vnus denarius conseruetur ad victum in posterum.

Digitized by Google

Quantum ad primum. Religiones quæ habẽt aliquid in communi nullatenus vituperamus de imperfectione, ſed tamen cum confidentia & pace omnium,& ſine dubitatione omni credimus & aſſerimus, quod maioris perfectionis eſt penitus nihil habere, nec in communi nec in proprio.Si enim de paupertate agitur, conſtat quod maior eſt & perfectior paupertas illorum qui nihil penitus habent, nec in proprio,nec in communi,quam eorum qui ſufficienter habent in communi.In religione enim non eſt conſiderare niſi perſonas, vel ſingulariter,vel perſonas communiter, id eſt communitatem. Cõſtat ergo quod maior eſt paupertas ſingularis perſonæ nihil penitus habendo quam habendo aliquid.Cõſtat ergo pari ratione, quod maior eſt paupertas communitatis nihil habentis penitus quam poſſidentis ſufficienter communiter.Cum ergo in his duobus totalitas religionis conſiſtat, ſc.in perſonarum ſingularitate,& perſonarum cõmunitate,ſequitur quod maior eſt paupertas religionis & perfectior, vbi nec communitas aliquid habet.Et ſi quis hoc negare præſumpſerit,pari ratione negare poterit maiorem cõtinentiam eſſe eorum qui nullatenus vxores habent, quam illorum qui vxores haberẽt in cõmuni.Si vero de pœnitentia agatur, cõſtat quod perfectior eſt pœnitentia vbi omnia relinquuntur & in proprio & in communi,quã vbi habent neceſſaria in communi ſufficiẽter, hoc conſtat teſtimonio omnium qui pœnitẽtias recipiunt & faciunt. Huic concordat

S.Gre-

S. Greg. homel. 33. super Ezech. Quicunque inquit *poterit hoc sæculum contemnere, & derelinquens omnia Domino semetipsum in holocaustum dare, ipse iam perfecte nouit & peccata operis plangere, & peccata cogitationis, vel quæ male fecit, vel quod facere debuit bonum quod non fecit. Qui enim totum dimisit, iam culpas suas liberius in fletibus cõspicit.* Hæc s. Greg. si ergo paupertas & pœnitentia perfectiones quædam sunt, sequitur ꝙ habere diuitias in communi quantum diminuit de paupertate tantum diminuit de perfectione. si vero dicatur quod paupertas & pœnitentia non sunt perfectiones sed instrumẽta & viæ ad perfectionem ducentes, quæ quidem perfectio est charitas, constat quod hæc instrumenta optima & conuenientissima proportione ad finem prædictum inducendũ instituta sunt & ordinata, quia per Christũ, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientię reconditi. Adhuc relinquitur idẽ quod prius, sc. ꝙ quicquid diminuit de paupertate & pœnitentia, diminuit & de perfectione quæ per illa inducitur. *S. Greg.*

Adhuc si de prædicatione & doctrina agitur, constat quod tãto credibilior & receptibilior & magis persuasiua & minus suspecta est prędicatio, quanto quod prędicatur magis resultat in prædicãtis & doctoris vita. Vnde super illud Matth. quinto. *Sic luceat lux* &c. Glo. *opera require, vt videantur, & sic doctrina confirmetur.* Et super illud *Mat. 10. Nolite possidere* &c. Glo. *Si hoc haberetur, non videretur gratia salutis prædicare, sed lucri.* si ergo perfectior mundi- *Matth.*

Digitized by Google

contemptus, & pœnitentia perfectior apparet in vita illorum qui penitus nihil habent nec habere volunt, quam illorum qui habent sufficienter communia, cõstat quod credibilior & receptibilior & persuasiua magis sit talium prædicatio & doctrina quam aliorum. Huic concordat S. Greg. *homel.* 18. *super Ezech.* *Quanto* inquit *sanctior est vita doctoris, tanto fit humilior sensus audientis, & seipsum despicit, dum prædicatoris sui vitam in magna altitudine perpendit.* Constat autem quod generare filios Dei per semen verbi diuini magnæ perfectionis est & magis perfectorum, sicut & generatio naturalis non nisi perfectis conuenit.

S. *Aug.* *Ad hoc si de charitate agitur*, occurrit illud S. Aug. *de doctrina Christiana, li.* 3. *c.* 31. *Quanto magis regnum cupiditatis destruitur, tanto magis regnum charitatis augetur*, & illud 83. *q.* 36. *q.* *Nutrimentũ charitatis est diminutio cupiditatis.* Vbi ergo magis minuitur & annihilatur cupiditas, ibi magis augetur & nutritur charitas & perficitur. Sed constat quod hoc fit magis in religione vbi est omnimoda explicatio, quã vbi saltem communitas non expoliatur, ergo quantum est de conditione statuum, perfectior erit charitas vbi religio pauperior.

Quod autem dicit postea, quod tanto erit vnaquæque perfectior secundum paupertatem, quanto habet paupertatem suo fini magis proportionatam. Dicimus quod si intelligatur de fine propinquo (sicut ipse intelligit, sicut patet ex prædictis) tunc non est verum simpliciter. Potest n. esse quod finis propinquus vnius religionis valde

valde per omnem modum excedit finem alterius. Verbi gratia, prædicatio & doctrina hospitalitatem. Cum hoc etiam possibile est, quod illa religio cuius finis proprius est hospitalitas, habeat paupertatem aliquantulum magis proportionatam suo fini, quam cuius finis proprius est prædicatio & doctrina. Núquid propter hoc dicendum est quod paupertas ordinata ad hospitalitatem perfectior sit quam paupertas quæ ordinatur ad prædicationem & doctrinam, propter hoc solũ quod illa est magis proportionata ad hospitalitatem quã ista ad prædicationem & doctrinam: absit. Tale enim est ac si diceretur quod musica proportionata ad confortandum infirmitatem corporalẽ, est melior quã musica minus proportionata, sed ordinata ad excitandum deuotionem, sicut fuit in Eliseo. 4. *Regum* 3. quod constat vtique esse falsum. Si vero intelligatur de communi & vltimo fine religionis, scilicet de profectu & perfectione charitatis, sic habet veritatem. In omni enim arte & in omni negocio hoc videmus, quod instrumenta & operationes quanto magis proportionatæ sunt ad consequendum illum finem, tanto perfectiores sunt & ars est perfectior secundum illas. Quæ sit autem ista paupertas quę est magis proportionata perfectioni charitatis, satis patet ex auctoritatibus præallegatis *de doctrina Christiana lib. 3. cap. 36. & de 83. quæst. 36. quæst.* Patet ergo quod solum de fine communi & vltimo in via, scilicet de profectu & perfectione 4. Reg. 3.

charitatis verum est, quod tanto vnaquæque religio perfectior est secundum paupertatē, quāto habet paupertatem magis suo fini proportionatam. Patet etiam quod hęc est religio quæ nihil habet in communi nec in proprio, quia ibi maxime destruitur & annihilatur cupiditas. sed ille qui hoc dixit non intellexit verbum suum prædictum de communi fine religionum, & ideo falsum est quod dixit in eadem *quæstione, eodem artic. in responsione primi articuli.* *Non oportet* inquit quod *religio tanto sit perfectior quanto maiorem habet paupertatem, sed quanto eius paupertas est magis proportionata communi fini & speciali.* Et de communi fine dicit verum. Ex hoc enim quod paupertas est maior, est fini communi proportionabilior. Et de hoc solo fine habet veritatem, sicut ostensum est, non autem de speciali fine, & tamen certum est quod de speciali fine principaliter intendit cum hoc dicit sicut consideranti verba eius in principali solutione potest patere, quæ sunt hæc, *si consideretur paupertas per comparationem ad speciales fines religionū, sic supposito tali fine paupertas maior vel minor est religioni accommoda, & tanto erit vnaquaque religio perfectior secundum paupertatem, quanto habet paupertatem magis proportionatam suo fini.* Dicit ergo ad confirmationem suæ solutionis, quod aliquid habere in communi est conforme paupertati Christi, Christus enim suo exemplo hoc docuit, qui etiam fuit paupertatis institutor.

Habuit

Digitized by Google

Habuit enim loculos in quibus Iudas ea quæ mittebantur portabat. *Ioan.* 13. Item *Ioan.* 4. *legitur* quod discipuli ierant in ciuitatem vt cibos emerent. Nos autem dicimus, quod quicquid legitur de loculis si diligenter pensetur, sicut glo. & sancti exponunt, magis probat quod habere aliquid in communi imperfectionis quam perfectionis. Tribus enim de causis legimus Saluatorem loculos habuisse & necessaria emisse scilicet ad sustentationem vitæ ad subuentionem pauperum, & ad vsus proprios, & suorum propter imminentem necessitatem, & condescensionem & dispensationem propter infirmos qui talia erant factu- *Tribus de causis habuit Christus loculos.* ri in Ecclesia de loculis propter subuentionem pauperũ. Dicit S. Chrys. super Ioannem. *homel.* 73. super illud, *aut vt egenis aliquid daret Ioan.* 13. *Non peram* inquit *neque virgam, neque as portare aut deferre iubens, marsupium ferebat ad inopum ministerium. Ex hoc existimauerunt discipuli vt inopibus aliquid daret.*

Item super illud Matth. 17. *Aperiens os eius inuenies staterem*, dicit glo. Hieronymi. *Dominus tanta fuit paupertatis, vt vnde daret tributa non haberet. Iudas* inquit *in loculis communia habebat, sed res pauperum in suos vsus conuertere nephas duxit, seipsum dans exemplum nobis.* Hæc S. Hieronymus. S. *Hie.*

Secundo (sicut dictum est) legitur habuisse loculos vt emeret necessaria ad vsus suorum. Tali enim de causa habuit vt emeret necessaria quando transibat per Samariam, sicut legitur Ioan. 4. quod discipuli erant in ciuitatem *Ioan.*

Digitized by Google

vt emerent necessaria. Samaritani enim erant inhospitales Iudæis. Vnde alibi legitur, quod cum iret in *Hierusalem* : *Samaritani noluerunt*
Lucas. *eum recipere*. Lucæ 9. Hac eadem causa ingruente passione & persectione discipulorum ipse loculos habuit, & discipulos habere permisit. Vnde *Lucæ* 22. legitur, *Quando misi vos sine baculo & pera, & sine calciamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt. Nihil.* Dixit *ergo eis. Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram*, vbi glosa marginalis dicit , & est
Beda. Bedæ, *Non eadem viuendi regula perfectionis tempore discipulos informat qua pacis tempore. Missis quippe discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in via præceptor ordinauit scilicet vt qui Euangelium nuntiat de Euangelio & viuat. Instante vero mortis articulo & tota illa gente pastorem & gregem persequente congruam ipsis regulam docuit, permittens vt tollant necessaria victui, donec sopita persecutorum insania tempus Euangelizandi redeat*. Hæc glo.

Item alia glossa, *In hoc quoque datur nobis exemplum , vt nonnunquam causa instante de nostri rigore propositi quadam sine culpa intermittere possimus*. Hæc glo.

Psal. 148. *Tertio legitur* habuisse loculos condescensiue & propter infirmos , sicut dicit glo. super illud Psalmi. *Producens fœnum iumentis. Dominus habuit loculos in vsus eorum qui cum eo erant. Religiosæ enim mulieres quæ erant in eius comitatu ministrabant ei de substantia sua* , & infirmorum *personam magis suscipiens , præuidit multos futuros infirmos , & illa magis quæsituros,*

quibus

Digitized by Google

quibus præbuit exemplum necessaria sumendi à subditis. Hæc glo.

Item S. Augustinus de opere Monachorum aliquantulum post principium. *Deus more misericordia sua infirmitatibus compatiens, cui cum Angeli ministrarent, loculos tamen habebat in quibus mitteretur pecunia, quæ conferebatur vtique bonis fidelibus victui eorum necessaria, quos loculos Iudæ commendauit*. Hæc S. Augustinus. S. Aug.

Item S. Augustinus *homel.* 88. *super Ioannem. Fur erat & loculos habens, quare habuit loculos cui Angeli ministrabant: nisi quia illius Ecclesia loculos habitura erat*. Hæc ibi. Ex nullo igitur omnium modorum haberi potest, quod habere aliquid in communi sit perfectionis in viris religiosis, nam habere aliquid vel aliqua primo modo scilicet ad dispensationem pauperum, non est habere aliquid in communi sicut habent religiosi, sed sicut habent prælati, qui sunt procuratores & dispensatores bonorum Ecclesiæ non Domini. Vnde ex isto modo habendi non ostenditur perfectio religionis quæ aliquid habet in communi, sed potius ostenditur perfectio prælationis. Similiter nec secundus modus habendi scilicet propter necessitatem. Illud enim quod quandoque fit solum propter necessitatem, illud simpliciter magis est imperfectionis quam perfectionis. Verbi gratia. Dauid & pueri eius necessitate compulsi, comederunt panes propositionis, quos non licebat comederũt nisi solis Sacer-
Ioan. 2.

dotibus

1. Reg. 21. dotibus 1. *Regum* 21. Simpliciter. n. huiusmodi panes comedere illicitum erat laicis non perfectionis. Machabæi etiam necessitate compulsi pugnabant in diebus Sabbathorum. 1.
1. ma. 3. Macha. 3. Et Iosue. 4. Et ideo dicit simpliciter S. Grego. *homel. 9. super Ezech.* *Quia* inquit *necessitate loci vnis sæcularibus iungor, nonnunquam mihi disciplinæ linguam relaxo,* Hæc S. Gregor. Nunquid propter hoc dicendum est, quod relaxare disciplinæ linguam sit simpliciter perfectionis absit. Similiter Christus necessitate loci & temporis habuit loculos, & habere permisit, ergo habere loculos & aliquid in communi est perfectionis simpliciter: absit, immo potius sequitur oppositum. *Idem dicimus* de tertio modo habendi de condescensione propter infirmos vt plurimum & secundum se est magis imperfectionis quam perfectionis.
S. Gregor Verbi gratia s. Gregorius qui dicit de seipso *homel. 11. super Ezech.* vbi prius. *Si in assiduo consuetudinis meæ rigore me teneo, scio quod ab infirmis fugior, eosque ad id quod appeto nunquam traho, vnde fit sæpe, vt eorum ociosas actiones patienter audiam. Sed quia ipse cum quelibet infirmissimum in ociosis sermonibus paulatim tractus libenter ea audio quæ audire cœperã inuitus.* Hæc Gregorius. Nunquid ideo dicendum est quod patienter audire ociosa sit perfectionis: nullo modo. Similiter cum prælatus dispensat cum infirmo aliquo totaliter vel specialiter in aliquo quod est contra obseruantias communes in religione intus vel extra. Verbi gratia, Comedere carnes in die ieiunij, certe propter hoc non est existi-

Digitized by Google

existimandum quod sic comedere carnes vel dispensare secundum se & simpliciter sit perfectionis, immo magis imperfectionis. Quare videtur reuera necessitate ingruente habere necessaria in Christo fuit maxime perfectionis. Ista tamen habere simpliciter imperfectionis est. Verbi gratia. Maxime perfectionis in magistro est dispensare doctrinam secundum capacitatem audientium subtilibus & perfectis subtiliora tradendo, rudibus vero & grossis hystorialia & grossa, & tamen ipsa hystorialis doctrina & grossa non est doctrina perfecta & perfectis conueniens. Si quis vero contendat Dominum habuisse loculos, nó solum propter causas prædictas, sed vt necessaria procuraret simpliciter & propter se, nouerit perfecto contra sanctorum testimonia se dicere & docere. Dicit enim S. Hieronymus, sicut allegatum est super illud. Matth. *Aperto ore eius inuenies staterem.* Ibi glo. dicit. *Tanta paupertatis Dominus fuit, quod vnde daret tributum non habuit.* *Mat. 7.*

Item super illud Matth. 11. Circumspectis omnibus cum iam vespere esset. Glo. *Si quis eum susciperet hospitio. Tanta enim paupertatis fuit vt nulli adulatus in tanta necessitate nullum hospitium inueniret.*

Item *S. Chrys. super illud Lucæ 9. Filius autem hominis non habet vbi, &c. Aspice* inquit *qualiter paupertatē quam docuit per omnia demonstrauit. Non erat mensa, nec candelabrum, nec domus, nec quicquam aliquod talium.* Hanc auctoritatem ponit frater S. Thomas *in glo. sua continua in eodem loco super Lucam.* S. Chrys.

Item

Item *S.Chryſ.ſuper Matth.8.Filius hominis non habet, &c. & eſt homel.17. Non dixit quoniam quem habeo contemno, ſed qua non habeo.*

S. Aug. Item S.Auguſtinus *in Epiſtola de Sacramentis Eccleſiæ Chriſtus ita pauper fuit, vt veniens in mundum, non in ſua ſed aliena domo naſceretur, & natus propter inopiam loci in præſepium animalium poneretur, & viuens in mundo non haberet vbi caput ſuum reclinaret, nec moriens vnde nuditatem ſuam tegeret, nec mortuus vnde inuolueretur nec ſepulchrum vbi corpus mortuum poneretur.*

Denique ſi quis pertinaciter aſſerit perfectionis eſſe Chriſtum imitari in loculis, pari ratione dicere debet & poteſt, quod perfectionis eſt Chriſtum imitari in gladio & debet (vt ſit perfectus Chriſti imitator) portare vel ſaltem habere in communi; quod ſtultum eſt facere & docere. Illud vero quod allegat de precijs agrorum quæ ponebantur ad pedes Apoſtolorum, ac reſeruabantur non facit pro eo, quia illa pecunia non fuit Apoſtolorum, nec in eorum vſus conuertebatur, ſed tantum per eos prout vnicuique opus erat diſtribuebatur. Vnde *ſuper illud* Act. 3. *Actuum. Argentum & aurum non eſt mihi, &c.* Glo. *memor illius præcepti. Nolite poßidere aurum, &c.* pecuniam quæ ad pedes Apoſtolorum reponebatur, non ſibi recondebant, ſed ad vſus pauperum, qui ſua patrimonia reliquerant, ſicut dicit Ambroſius S. Amb. *ſuper Lucam. Nolite portare ſacculum, &c.* tractans prædictum verbum. *Argentum & aurum, &c.* dicit ſic. *Non ea gloriatur Petrus*

trus quia argentum & aurum non habet quã quod seruat Domini mandatũ. Nolite poßidere aurũ, &c. hoc est dicere. Vides me Christi discipulũ, & aurũ à me requiris? Sed nobis auro multo preciosius donauit, vt in nomine eius faciamus virtutes. Itaque non habeo quod non dedit, sed dedit quod habeo, *surge & ambula.* Hæc Ambr. Aliter dici potest, ꝙ forte Apostoli de illa pecunia quæ ponebatur ad pedes eorum sumebant vitæ necessaria ratione laboris in prædicando, sicut ab illis quibus prædicabant. Ex ordinatione autẽ Domini sumebant necessaria vitæ id est, sumere poterant ratione laboris in prædicando, nec tamen cũ istis aliquid habebant in cõmuni sicut neque cum illis. Illud vero Prosperi quod ille allegati. *q.* 1. quod nõ facit pro eo. Illud enim capitulum est proprie de prælatis. Dicit n. sic *Quisquis omnibus dimißis vel venditis rei suæ contemptor vel præpositus factus fuerit occasione omniũque habet ecclesiæ efficitur dispẽsator.* Et subdit exẽplo de sancto Paulino & sancto Hilario Episcopo. Manifestum est igitur quod de prælatis intendit, Prælati vero quia sunt dispensatores bonorũ Ecclesiæ sine diminutione perfectionis possidere possunt alijs dispensando, regulares vero qui huiusmodi causã nõ habẽt, sine diminutione perfectionis habere nõ pñt.

Quod vero dicit in solutione. 3. argumenti periculosũ esse sic omnia relinquere, vt nihil ad victũ in posterũ reseruetur, secundũ ꝙ dicit Ant. in collationibus patrũ se vidisse aliquos sic facientes penitus fuisse deceptos, falso & nõ

secun-

secundum intentionem auctoris inducitur. Ibi enim narrat abbas Moyses, *quod semel tempore pueritiæ suæ conuenerant plures seniores ad abbatem* Antonium, *quærentes ab eo quænam virtus vel obseruantia posset monachum à dæmonum laqueis custodire. Aliqui autem dixerunt ieiuniorum, alij vigiliarum studio hoc esse collatum. Alij dixerunt in contemptu omnium rerum temporalium. Alij in annachoritæ remansione & vita eremitica. Alij in officijs humilitatis, Post quæ omnia ita dicit sanctus Antonius. Omnia hæc quæ dixistis sunt necessaria & vtilia scientibus Deum atque ad eum cupientibus peruenire, sed his principaliter tribuere gratiam euadendi nequaquam innumeri casus & multorum etiam maiorum experimenta docuerunt, & subiungit quod etiam visum est quandoque omnium prædictorum sectatores aliquando fuisse deceptos.* Et infert. *Quamobrem quid principaliter ducat in Deum manifeste poterimus cognoscere si ruinæ ac deceptionis eorum causa à nobis diligentius fuerit indagata. His autem cum exuberarent prædictarum opera virtutum, discretio sola deficiens vsque ad finem ea non durare non sinebat.* His verbis nō dicit beatus Antonius omnia relinquere esse periculosum, immo dicit quod ista necessaria & vtilia sunt ad Deum peruenire cupientibus, sed quod non est ipsis attribuenda gratia principaliter euadendi laqueos diaboli secundum discretionem, sine qua homines in alijs quandoque decipiuntur, & hoc quidem verum est, nec plus potest inferri ex verbis beati Antonij, quod sit periculosum omnia relinquere vel ieiunare, vel solitariam vitam

Ex collationibus patrum exemplū.

ducere

Digitized by Google

ducere humilitatis vel misericordiæ operibus insistere, quia omnium prædictorum sectatores dicit aliquando fuisse deceptos propter defectum discretionis.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

AD ea quæ obijciuntur ad præsens per singula non decreuimus respondere, pro eo præcipuè quod propter paupertatem quam se profitentur habere, non solum & re & nomine prædicatoribus veritatis, verum etiam omnibus simpliciter & vniuersaliter cuiuscunque status se conantur superiores & sanctiores & perfectiores per omnia declarare. Cum igitur comparationes præcipue in tanto excessu odiose comprobentur, melius est sub silentio præterire, quam proteruè & litigiose statum quemlibet præfato statui præponere vel præferre. Verumtamen quemlibet illius articuli lectorem intelligentem arbitramur non latere quam multas auctoritates à suo sensu extorqueant, quantas etiam rationes sophisticas pro suo proposito extorquendo adducant, quarum vna est. Si quis negare præsumpserit hoc quod dicunt de sua superabundantia perfectionis, pari ratione negare poterit maiorem continentiam eorum qui nullatenus vxores habent, quam illorum qui habent vxores in communi. Huiusmodi autem instantiæ improbabilitas vi-

lis, lectoris relinquatur arbitrio, cui intelligenti, dubium non erit vxores in communi habere semper fuisse nepharium, vtpote diuinæ legi contrarium. Res autem victui necessarias habere in communi à sanctis patribus, immo à Patre luminum spiritu sancto ipsos dirigente, in Christianæ religionis exordio fuisse institutum. Et præter hæc falsa quædam in processu suo S. Thomæ imponunt, sicut patet applicantibus dicta eorum dictis S. Thom. & alia similia in isto & alijs articulis faciunt multa, quæ omnino si essent tantæ perfectionis quantæ se faciunt tacuissent. Quod vtique in isto articulo (præcipue si spiritu humilitatis agerentur) obseruassent, fortasse alias eis per singula respondebitur. Et quoniam nihil agant non quidem contra homines, sed contra veritatem ipsam, quam in isto impugnant articulo, euidentius ostendetur.

ARTICVLVS XVI.

S. Th. q. 189 ar. 8. ad 2.

EST de hoc quod dicit, *S. Tho. q. 189. art. 8.* vbi quærit, vtrum liceat transire de vna religione ad aliam. In responsione. 2. *argumenti, quod quamuis ordo Monachorum sit arctioris obseruantia si Monachi essent laici, liceret transire de ordine Monachorum ad ordinem*

Cano-

Digitized by Google

Canonicorum regularium, propter illud S. Hieronymi ad Rusticum Monachum. Sic viue in monasterio vt clericus esse merearis. Rationem vero præmittit ad hoc quæ talis est. Vterque ordo scilicet Monachorum & canonicorum ordinatur ad vitam contemplatiuam siue ad opera vitæ contemplatiuæ inter quæ præcipua sunt quæ aguntur in diuinis ministerijs, & ad hoc ordinatur directe ordo canonicorum, quia canonicis per se competit vt sint clerici religiosi, Monachis autem non per se competit; vt habetur, 16. q. prima.

CORRVPTORIVM.

HIc insinuatur expresse, quod propter promotionem ad clericatum licet transire de ordine Monachorum ad ordinem canonicorum, & de ordine arctiori ad ordinem laxiorem. Sed nos reputamus hoc falsum. Dicit enim Innocentius, & habetur, 19. q. 3. *Monachi, qui diu morantur in monasterijs, postquam peruenerint ad clericatum statuimus non debere eos à priori proposito recedere.* Iura enim in transitu de vna religione in aliam non intendunt promotionem de laicatu ad clericatum in religione ad quam transitur, sed tantummodo maiorem conuersationis districtionem, sicut dicitur *extra de regu. & transe. ad religionem, capitulo sane de canonicis.* vbi determinatur de quodam qui in Ecclesia quadam professus

Digitized by Google

fuerat, & inde fugiens à quodam abbate receptus est in monachum, quod si locus vbi receptus erat maioris religionis permitti deberet ibidem. Sin autem vt ad priorem Ecclesiam rediret compelli. Et de quibusdam Monachis in fine sic dicitur. *Cum Monachus vester ad fratres cisterciensis ordinis transmigrauit, non vt vestro ordini derogaret, sed vt apud ipsos vitam duceret arctiorem mandamus quatinus nullatenus molestetis, quia charitas est fons proprius cui non communicat alienus.* Auctoritas etiam si recte intelligatur non facit proeo. Potius enim hortatur Rusticum viuere tam religiose in conuersatione, tam studiose in scripturarum meditatione vt clericus effici mereretur in ordine, nullatenus tamen propter promotionem sui ad clericatum licet ab ordine suo recedere, sicut expresse dicit capitulum præallegatum. Vnde ista admonitio S. Hieronymi locum haberet cum effectu, si Monachi in proprio ordine promoueri non possent, sicut antiquitus vsque ad tempus Eusebij & Zosimi Monachi, ita Monachi fuerunt quod non clerici, id est, non ordinati, sicut 16. *prima*, superioris auctoritatis habetur. Vtilis autem fuit admonitio pro tempore. Rustici & Hieronymi, quia tunc religiosi & Monachi literati ad ordines promouebantur.

Ratio autem quam insinuat scilicet ea quæ aguntur in diuinis ministerijs, *sunt præcipua in operibus contemplatiua vita, &c.* facile soluitur. Quando enim aliqua duo sic se habent quod vnum

Digitized by Google

vnum est necessitatis & alterum eminentiæ & nobilitatis, magis est eligendum quod est necessitatis, sicut exemplificat philosophus de philosophari & ditari. Nobilius enim & melius simpliciter est philosophari quam ditari, tamen indigenti necessarijs magis eligendum est ditari. Consimiliter in proposito. Maioris enim excellentiæ est officium clerici quam humilitas Monachi, vt offerre Eucharistiam & celebrare diuina, & populo prædicare quam in humilitate & abiectione propria peccata & populi plangere, tamen peccatori quęrenti saluare animam suam magis est necessarium hoc quam illud, & ideo simpliciter magis est eligendum & tenendum.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

Contra eius intentionem in nullo penitus facit quod in isto articulo dicunt. Monachis enim qui in proprio monasterio & in proprio statu ad clericatum & ad alios ordines sacros possunt promoueri sicut nunc fit, non licet transire ad ordinem canonicorum regularium cum maiori arctatione, & sic procedunt quæ contra S. Thomam in hac parte obijciunt. Si tamen essent Monachi qui in statu suo manentes non possunt promoueri ad sacros ordines, tunc possunt transire pro sua promotione ad ordinem canonicorum propter excellentiam actuum, ad

Digitized by Google

quos ordines ſacri inſtituuntur, & ſic habet intelligi dictum S. Hieronymi & ea quæ dicit S. Thomas in hac parte. Reſponſio autem quam afferunt ad rationem S. Tho. non eſt conueniens. Exemplum enim eorum de philoſophari & ditari turpiter claudicat quantum ad propoſitum, quoniam philoſophari non habet ſemper ſecum annexum id quod minus bonum eſt, ſcilicet ditari. Sed miniſtrare rite in ordinibus ſacris, ſemper habet ſecum annexum quod animæ ſaluti procurandæ ſtudeat homo. Vnde hoc commune (licet vijs diuerſis) habet ordo vterque.

FINIS IN SECVND. SECVNDAE.

Digitized by Google

INCIPIVNT RESPONSIONES AD EA QVÆ OBIICIVNTVR CONTRA DICTA Sancti Thomæ in quæstionibus disputatis ab eodem de Veritate.

ARTICVLVS I.

DE hoc quod S. Thomas dicit in de veritate, q. 2. art. 10. vbi quærit, vtrum Deus possit facere infinita. *In responsione quæstionis, si infinitum actu esse posit secundum naturam rei, vel etiam si non posit impediente aliquo alio quam ipsa ratione infiniti, dicendo quod Deus potest facere actu infinitum esse. Si autem actu esse repugnat infinito secundum suam rationem, Deus hoc facere non potest.* *Quæst. 2. ar. 10. de veritate Vtrum Deus sufficit facere infinita.*

CORRVPTORIVM.

HOc videtur esse occasio erroris, Insinuat enim quod Deus potest facere omne illud cuius rationi non repugnat esse & constat quod hoc est falsum, rationi enim peccati vel mendacij cui non repugnat esse actu, & tamen neutrum potest Deus facere, & huiusmodi sunt multa.

Item actu esse non videtur, repugnare rationi infiniti, quod patet in Deo qui summe actu est, & tamen est infinitus,& ideas habet etiam infinitas in se. Sed fieri à sapiente in summo hoc repugnat rationi infiniti. Infinitas enim in multitudine importat confusionem & inordinationē. Deus autem summe sapiens non

1. metap. potest facere inordinatum. Sapientis enim est ordinare, vt dicitur 1. metaphysic. Infinitas etiam in magnitudine importat de necessitate infinitatem in virtute. Infinita autem virtus excludit omnem dependentiam & omnem indigentiam. Deus autem nihil potest quod non dependeat ab eo, vnde hæc non est sola ratio quare Deus non potest facere infinitum, quia esse actu repugnat rationi illius rei, sed etiam quia facere aliquod tale repugnat voluntati diuinæ.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

Ista repræhensio nulla penitus inuenitur, si ratio dicti S. Tho. sobrie concipiatur. Intendit.n. quod si rationi infiniti non repugnat esse actu, tunc potest à Deo fieri. Ex hac tamē negatiua non sequitur vniuersalis affirmatiua, quam ipsi S. Thomæ insinuare affirmant & falso. Et licet tamen isto modo posset concedi quod Deus potest facere omne illud cuius rationi non repugnat esse in actu, vel cui conuenit esse in actu. Et verum quidem est quod Deus potest in omne id cui conuenit esse in actu, quod facientis non derogat perfectioni, cuiusmodi sunt mendacium & peccatū.

Quod

Quod vero dicunt, quod rationi infiniti non repugnat esse actu, quia Deus est summe infinitus, & habet ideas infinitas in se, cauillatio est. Loquitur enim S. Thomas de infinito factibili à Deo, scilicet de infinito creando vel creato si quod possibile esset. Quærere vero vtrum Deus vel ideæ in ipso quæ sunt ipse possint à Deo fieri, est idem quærere, vtrum aliquid possit à Deo fieri vel creari.

Quod tandem dicitur, quod infinitas quæcunque creata inducit quandam confusionē, nec competit huiusmodi à summo sapiente fieri, concedi potest, nec est contra S. Thomā qui non habuit necesse omnia quæ dici possent vnius quæstionis solutione exprimere.

Articvlvs II.

SANCT. Thomas dicit, de veritate *q.* 2. *art.* 12. vbi quærit, vtrū Deus sciat singularia & futura contingentia. In responsione principali, quod *contingens vt futurum est, nullam cognitionem habet cui falsitas nec subesse nō posit, vnde cum scientia Dei nō subsit falsitas nec subesse possit, impossibile est quod de futuris cōtingentibus Deus scientiam haberet, si cognosceret ea vt futura sunt. Et deinceps eadē q. & ar.* in responsione dicitur, quod *Deus non cognoscit futura contingētia vt futura sunt, sed vt præsentia.* Et ibidem in fine solutionis dicit. *Si consideretur vt est in Dei scientia, magis deberet dici quod*

Ar. 12. q. 2. Vtrū Deus cognoscat singularia & futura contingentia.

Deus scit hoc esse quam quod sciat futurum, quia sibi nunquam sunt futura sed vt præsentia. Eãdem sententiam dicit in fine solutionis quęstionis quæ est, *vtrum scientia Dei est variabilis*.

CORRVPTORIVM.

SI intenderet dicere quod Deus certitudinaliter cognoscit futura contingentia ac si actualiter essent præsentia, verũ diceret. Quod non intendit vt videtur, sed potius quia æternitas est præsens toti tempori & omni eius differentiæ & omnis differẽtia præsens est æternitati, & ideo diuinæ visioni omnia contingentia futura realiter & actualiter sunt præsentia, licet in tempore sint futura, & ideo cognitioni diuinę de contingentibus falsitas subesse non potest, sicut nec nostræ quãdo videmus aliquod contingẽs præsentialiter & realiter esse, vt sortem sedere dũ sedet. Hic videtur error maximus, quod sc. temporalia vere & essentialiter fuerint ab æterno, sicut aliqua eorum aliquando sunt in tempore, cũ tamen secundum veritatem fidei Catholicæ solus Deus sit ab æterno.

Ratio autem positionis non cogit, quando enim dicimus quod æternitas præsens est omni differentiæ temporis, & omnis differentia temporis præsens est æternitati, æstimo quod intelligendum est sub hoc sensu quod æternitas præsens est omnibus cognoscitiuis, & rationes cognoscitiuæ omnium rerum præsentes æternitati. Deus enim æternus præ-

præsentialiter & certitudinaliter omnia futura, præterita, & omnia præsentia in rationibus eorum cognoscit, vnde præteritorum, præsentium & futurorum rationes cognoscitiuæ sunt præsentes æternitati & Deo ab æterno, & cognitio eorum semper est præsens, & non ipsæ res cognitæ. Huic concordat *S. Aug.* 11. *confess.* post medium. *Videri dicuntur futura non ipsa quæ nondum sunt*, id est, *quæ futura sunt, sed eorum signa, vel causa videntur forsitan quæ iam sunt*. Ideo non futura sed præsentia sunt iam videntibus, ex quibus futura prædicantur iam animo concepta, quæ rursus conceptiones iam sunt, & eas præsentes iam apud se intuentur quæ ista prædicunt. Hæc S. Aug. S. Aug.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

QVæ hic obijciuntur per ea quæ dicta sunt supra in responsione ad ea quæ dicuntur contra dicta S. Tho. in prima parte *summæ art.* 3. luce clarius dissoluuntur.

Quod tamen hic dicunt, quod æternitas solum dicitur esse præsens omni differentiæ temporis, pro eo quod præsens est rationibus cognoscitiuis earundem, manifestam continet falsitatem. Non solum enim æternitas præsens est rationibus rerum omnium & temporum cognoscitiuis, immo est præsens omni rei & omni tempori, sine cuius præsentia nimirum omnia nihil forent, qualiter autem futura cōtingentia diuino aspectui sint præsentia æternaliter vt dictum est, patuit supra *art.* 3.

ARTI-

ARTICVLVS III.

q. 3. art. 5. de verit. an materia prima habet ideã

SANCT. Thomas dicit de veritate *q. 3. art. 5.* vbi quærit: vtrum materia prima habeat propriam ideam in Deo? In responsione principali, *& in responsione primi & 4. argumenti dicit*, quod *idea proprie dicta respicit rem secundum quod est in esse producibilis, materia autem non potest exire in esse sine forma, nec econuerso, nec propria idea respondet materia & forma tantum, sed toti composito respondet vna idea, qua est factiua totius, & quo ad materiam & quantum ad formam.*

CORRVPTORIVM.

1. HAEc positio videtur erronea pluribus magistris, quia Deus potest dare esse materiæ sine forma, & econuerso, sicut in sacramento altaris dat esse accidentibus sine subiecto, cum accidentia magis dependeãt à subiecto quàm materia à forma.

2. *Secundo oportet*, quod omne quod habet essentiam distinctam habeat & ideã in Deo correspondẽtem, alias enim esset ponere aliquod principium à Deo in quo esset principium illius quod est erroneum. Cum ergo alia essentia sit materiæ alia formæ necesse est materiã habere aliam ideam ab idea formæ & ecõuerso, & aliam esse ideam compositi.

Tertio

Digitized by Google

Tertio, quicquid Deus potest causare per causam secundam potest etiam per seipsum, cũ sit causa prima. Cum ergo per formã Deus det esse actuale, poterit per se dare esse actuale materiæ non quod ipse sit forma vel actus eius, sed quod sua potestate infinita potest dare esse materiæ sine forma, & econuerso sicut accidenti sine subiecto. 3.

Item magis videtur quod ponendũ sit Deũ habere distinctas ideas materiæ & formæ quã compositi. Dicit enim Commen. *super* 1. *physic. super* 3. *particulam*, quod *in rebus artificialibus causa sunt notiores apud artificem quam compositũ*, vnde si nos faceremus res naturales, tũc causæ essent notiores secundum Commen. ergo apud Deum qui est opifex rerum naturalium notiores sunt materia & forma quam compositum ex ipsis, si tamen ibi sit aliquid notius, ergo secundum rationem intelligendi prius & expressius & distinctius habet ideã in Deo materia & forma quam compositum. 4. *Com.* 3

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

HAEc omnia sufficienter discussa sunt in responsione contra primam partem summæ *art*. 4. sicut patet intuenti.

ARTICVLVS IV.

SANCT. Th. dicit de veritate *q*. 3. *ar*. 7. vbi quærit, vtrum accidentia habeant ideam in Deo. In responsione quæstionis, quod *loquendo de accidentibus quæ nunquam à subiecto* *q* 3. *art*. 7. *Vtrum accidentia habeant ideam.*

sepa-

Digitized by Google

separantur, & vna operatione producuntur cum suo subiecto, cum idea proprie loquendo sit forma operabilis inquantum huiusmodi, non erit talium accidentium idea distincta, sed subiecti cum omnibus accidentibus erit vna idea.

CORRVPTORIVM.

CONtra istam positionem sunt tria argumenta prima, quæ dicta sunt supra immediate contra positionem de materia prima.

Præterea, sicut Deus omnia fecit, sic omnia distincta distinxit, vt patet *Gen. primo*, ergo sicut omnium quæ fecit erant ideæ & sunt in Deo, ita omnium quæ distinxit erant distinctæ & sunt in Deo. Sed essentia accidentium & vere distincta ab essentia subiecti, ergo necesse est quod distinctæ sint ideæ accidentiū ab ideis subiectorum.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

AD tria illa argumēta superius facta responsum est vbi supra, scilicet in respōsione ad articulum quartum cōtra primam partem summæ.

Quartum etiam argumentum quod apponunt soluitur similiter ex dictis ibidem. Non enim probat nisi quod huiusmodi accidentia habent ideas proprias, prout idea dicitur ratio innotescendi vniuscuiusque prout potest aliquo

Digitized by Google

aliquo modo considerari in ratione propria quomodo considerant accidentia huiusmodi in rationibus proprijs quibus à substãtia differunt, & isto modo concedit S. Thom. quod accidentia habent ideas proprias.

ARTICVLVS V.

SANCT. Thomas *eadem q. ar. 8.* vbi quærit: Vtrum singularia habeant ideam in Deo, in *respõsione secundi argumenti, quod proprie loquendo de idea secundũ quod est rei, eo modo quo est producibilis, sic vna idea respondet singulari speciei & generi indiuiduatis in ipso singulari. Si autem accipiamus ideam communiter pro similitudine vel ratione, sic cum diuersa sit cõsideratio sortis, vt Sortes est, & vt homo est, & vt animal est, respõdebũt ei plures ideæ vel similitudines.* Et prima parte summæ *q. 15. art. 3.* in respõsione *secũdi argumẽti dicit, quod genera nõ possunt habere aliam ideam ab idea speciei, secundum quod idea significat exemplar, quia nunquam est genus nisi in aliqua specie. Taliter etiam de accidẽtibus quæ consequuntur subiectum, quia hæc sunt simul cum illo. Accidentia autem quæ superueniunt subiecto habent ideam specialem. Artifex enim per ideam domus facit omnia accidentia quæ concomitantur à principio domum, sed quæ superueniunt domui iam facta vt pictura & huiusmodi, talia facit per aliam formam.*

q. cit. ar. 8. an singularia habeant ideã in Deo.

COR-

CORRVPTORIVM.

S. Aug. HOc videtur contra S. Augustinum, *ad Nebridium in epistola quæ sic incipit. Recentißimis litteris* &c. vbi dicit, quod *quantū ad hominem faciendum attinet ratio hominis non meam vel tuam esse rationem. Quantum autem ad eiusdem temporis varias rationes hominum in illa sacra trinitate viuere.* Nota quod dicit S. Augustinus, *ad hominem faciendum* non cognoscendum.

Quod autem dicit de rationibus, intelligendum est de ideis. Et quod pro eodem S. Augustinus habeat ideam & rationem, sic patet *sexto de trini. Omnia* inquit *ratione sunt condita, nec eadem ratione homo qua Asinus. Hoc enim absurdum est æstimare. Singula enim proprijs creata rationibus.* Et infra: *atque has rationes rerum principales ideas appellat Plato.* Et *eadem q.* vbi supra. *Ideæ sunt principales formæ vel rationes rerum substantiales.*

Contra istum articulum require *supra q.* 3. *art.* 7. vbi quæritur, vtrum materia habeat ideam in Deo, *& q.* 3. *art.* 7. vbi quæritur, *vtrū accidentia* habeant ideam in Deo.

Item require melius contra *primam partem summæ q.* 51. *art.* 3. vbi quæritur, vtrum omniū quæ cognoscit Deus sint ideæ in Deo.

Item distinctio quā facit inter esse rei prout est producibilis, & esse rei solum prout est cognoscibilis non videtur cōueniens, quia secundum hoc aliam ideam haberet res quādiu est

est in fieri vel fienda, & aliam quādo est facta, quod non ponitur, & in nobis apparet esse falsum.

Praeterea, in nobis videmus quod quando ad ideam per quam res aliqua cognoscitur accedunt potentia & voluntas faciendi illam rē, tunc illa idea est idea illius rei producibilis in esse. Quando vero accidit illi notitiæ quā habemus de re potentia vel voluntas faciendi remanet eadem idea quæ prius, ergo videtur quod distinctio non sit ex parte ideæ.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

AD hoc quoq; patet pro parte per ea quę dicta sunt in responsione *ad articulum proxime dictum.*

Auctoritates etiā S. Aug. quas adducunt in proposito, non possunt pro eis facere secundū verum eius intellectum. *Quādo enim dicit quod quantum ad hominem faciendum attinet.* &c. Nō potest intelligi quod hominis faciendi in sua communitate sine omni indiuiduo siue supposito humanæ naturæ sit idea vna in Deo, cū homo sit sic faciendus vel producendus. Intelligit ergo quod ad hominem faciendum vtique in aliquo supposito correspondet aliqua idea prout sumitur in sua communitate abstracta ab illo & ab alijs suppositis, & hoc nō secundum quod idea est exemplar hominis sub ea ratione qua faciendus vel producibilis, sed prout idea dicitur ratio innotescendi hominis secundum quod potest in ratione sua propria sine conditionibus indiuiduantibus considerari. *Ad 1.*

 Quod

Quod autem probant secundum S. Aug. pro eodẽ sumi ideam & rationem concedimus, verumtamen vt sumuntur in ratione propria, differt loqui de idea prout sumitur pro exemplari formæ rei producibilis, & prout sumitur pro ratione innotescendi vniuscuiusque prout potest in ratione sua considerari.

Ad 2. *Quia autem mouent plura obiecta contra istum articulum*: require supra, & nos monem' quod ibidem respiciantur responsiones ad ipsa vbi supra.

Ad 3. *Ad illud quod postmodum obijciunt, quod secundum illud quod S. Thomas* dicit, *videretur quod aliam ideam haberet res secundum quod est in fieri, & aliam prout est facta.*

Dicendum quod hoc videri poterit nõ intelligenti dicta eius. Ex dicto tamen eius sequitur oppositum. Cum enim prout ipse dicit idea sub ratione exemplaris correspondeat rei secundum quod est in esse producibilis, cũ nihil aliud sit in re producta quã illud quod per suam productionem recepit à Deo, manifestum est quod non aliã ideam habebit res iã actu producta siue facta quã habebat prius quando erat producibilis, nec per consequens aliam quã habuit in suo fieri vel productione

Ad aliud quod obijciunt de accessu potẽtiæ vel voluntatis ad faciendum illam rem cuius ponitur idea procedit ex falso intellectu, ac si idea prout est ratio innotescendi sumeretur pro proprio ac formali principio cognoscendi talem rem, quod falsum est, quãtum vnum est principium formale penitus idẽ ipso Deo

que

Digitized by Google

quo cognoscit omnia. Ipsa autem ratio innotescendi sicut & ratio producibilis vel producendi in Deo, quarum vtraque plurificatur tenet se ex parte obiecti cogniti à Deo, inquantum sc. essentia diuina est intellecta cum habitudine, sub qua aliqua creatura producibilis ipsã imitatur, vel secundum quod ratio propria in qua vnumquodque pōt aliquo modo considerari, ipsa cognita cognoscitur à Deo. Et patet quod cum in Deo, non sit voluntas aliqua accedens, non potest poni quod per accessum & recessum voluntatis sit idem penitus secundum rationem, quod dicitur nomine ideæ vt est exēplar rei pducibilis, & prout est ratio innotescendi dicto modo. Ista ergo non faciunt, quin prædicta distinctio ex parte ideæ sit conueniens.

Articvlvs VI.

Sanct. Thomas de veritate *q.* 24. *art.* 8. vbi quærit: vtrum liberum arbitrium creaturæ possit confirmari in bono per aliquod donum gratię. *Et in solutione principali circa medium*, quod *non potest esse peccatum in motu voluntatis*, sc. quod *malum appetat nisi in apprahensiua virtute præexistat defectus per quem sibi malum non vt malum proponatur, quod est rationis defectus. Et ex hoc accidit quod æstimat aliquod particulare bonum esse finem, quod non est finis nec vtile ad finem. Vel per aliquod ab extrinseco deficit ratio, quia scilicet propter vi-* *q. 24. ar. 8 an liberū arbitrium creatura possit cōfirmari in bono per gratiam.*

res inferiores quæ intensa mouentur, in aliquid intercipitur actus rationis, vt non firmiter & liquidè suum iudicium de bono proponat voluntati. Et

ar.9.q. cit. eadem *q. artic. sequenti*, vtrum liberum arbitrium hominis in statu viæ possit confirmari in bono. In solutione principali dicit circa medium, *quod origo peccati vel est ex rationis errore quæ in particulari decipitur, vel propter aliquam passionem virium inferiorum.*

CORRVPTORIVM.

1. 4.com. Licet istud secundum aliquos videatur concordare philosopho. 8. *Ethicorum*, tamen hoc videtur sapere errorem Pelagij contra gratiam. Si enim peccatum voluntatis causatur semper ex defectu rationis & errore eius per se, vel propter passionem virium inferiorum cum ad directionem voluntatis in bonum, necessaria sit scientia & doctrina, sicut dixit Pelagius hæreticus ponens quod Deus nos adiuuat per legem & doctrinam, vt discamus quæ sapere vel facere debeamus, non autem per donum spiritussancti vel gratiæ nos adiuuat, vt quæ didiceramus facienda faciamus.

2. *Præterea*, quilibet potest experiri in seipso, quod ratione dictante vere aliquid esse peccatum, vt fornicari vel aliquid aliud, tamen voluntas durante isto iudicio potest corpus mouere ad peccatum, & committere peccatum.

Si

Si dicas quod nõ, nisi ratio inducta per imperium voluntatis iudicet illud faciendum. Sit ita, igitur prius fuit peruersũ imperiũ in voluntate, quam malum iudicium in ratione.

Item interius maxime contingit videre, quod voluntas potest peccare in volendo & eligendo absque defectu rationis in operatione vniuersalis boni vel vtilis ad particulare bonum vel interceptione iudicij propter vehementiam passionũ in viribus inferioribus, sicut *dicit philosophus in rhetorica cap. de delectationibus. Honor* inquit *& complacentia sunt delectabilissimorum.*

Praeterea honores, concupiscentiæ & cõplacentiæ non sunt in viribus inferioribus, quia ista non appræhenduntur per sensus. *Vnde philosophus in 3. Ethicorum dicit*, quod *honore & disciplina gaudet amicus horum nihil patiente corpore sed mente*. Pono ergo quod intellectus dicat. Honor parum vel nihil prodest ad salutẽ. Idem dicat de complacentia hominum propter se sic dicendo constat quod verum dicit.

Item pono quod intellectus dicat. Honor & complacentia delectantia sunt, constat quod adhuc dicẽdo hoc non errat, sed verum dicit,

Praeterea, illud iudiciũ rationis intercipi nõ potest per passionem virium inferiorum in concupiscendo ista. Quia (vt dictum est) concupiscentia horum ad vires inferiores non spectat, sed ad solam mentem, & tunc his ita se habentibus, constat quod voluntas non potest appetere & eligere honores humanos & complacẽtiam hominis propter delectationẽ

Digitized by Google

quæ est in eis. Potest igitur voluntas peccare absque rationis defectu modis prædictis.

Item Chrysost. super Mat. homelia. 24. Attendite à falsis Prophetis &c. circa medium. *Bonis* inquit *operibus inuigilandum est, quia error non generat peccata, sed peccata errorem, sicut dicit sapientia. Impietas hominem trahit ad errorem.*

Et simile dicit S. Grego. 2. *moralium* super illud. *In desertis habitat torpentium.*

Item S. August. in enchiri. Ipse error per seipsum aut magnus in re magna, aut paruus in re parua, tamen semper est malum. Quis enim non errans neget malum, approbare falsa pro veris. Ergo secundũ S. Aug. error secundum se est malum, saltem pœnæ. Constat autem secundum fidem, quod in Adam non fuit pœna ante culpam. Non est autem culpa nisi in voluntate, ergo cum error omnis sit pœna, prius fuit error pœna in intellectu Adæ quam culpa, quod est falsum & erroneum, ergo non necessario est prius error in ratione quam peccatum in voluntate, sed econuerso.

Item glo. S. Aug. super illud psalmi: Concupiscit & deficit anima mea. Videmus inquit *nonnunquam ratione quam vtiles sunt institutiones Dei, id est opera iusta, sed infirmitate præpediti aliquãdo non desideramus. Præuolat ergo intellectus, sequitur tardus vel nullus affectus.* Ex quo patet quod intellectum sequitur voluntas. Non enim simul sunt inseparabiliter vt splendor & lux, sed posterius vt scire sequitur addiscere, & sanum esse ad medicari, sed in talibus secundum philosophum *in secundo posteriorum, & in*

& in fine secundi de generatione & corruptione, nunquam tenet consequentia de priori ad posterius sed econuerso. Non sequitur ergo ratio est recta, ergo voluntas est recta vel bona. Si autem hoc non sequitur, ergo oppositum consequentis potest stare cum antecedente, scilicet voluntas non recta cum ratione recta. Non enim sequitur, si peccatum vel curuitas est in voluntate, quod error praecesserit in ratione.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

ISTVD dictum S. Thomae vt ipsi fatentur est consonum philosopho 8. *Ethic*. Errorem non sapit Pelagij contra gratiam (salua gratia eorum) Pelagius enim posuit quod ad bonum meritorium sine gratia sufficiebat voluntas humana quã posuit adiuuari per legem & doctrinam, vt discamus quae facere aut agere debeamus vt ipsimet dicunt. Cui nullo consonat ista positio, licet enim ex defectu rationis proueniat defectus in motu voluntatis, nescio qua euidentia, immo qua sophistica apparentia possit concludi quod voluntas vel liberum arbitrium hominis gratia non indigeat ad opus meritorium exequendum, vnde mirum est quod errorem istum tam effronter sine causa imponere audebant tanto Doctori. Vnde prima ratio quam ponunt contra eum, patet ex dictis nimis irrationabilis. *com. 4. Ad 1.*

Digitized by Google

Ad secundum cum dicunt, quod durante iudicio rationis, quod aliquid non est faciendum potest voluntas mouere ad illud.

Ad 2. Dicendum quod iste malus motus voluntatis prouenit ex aliquo defectu rationis præcedente istud iudicium, contra cuius dictamen voluntas fertur in malum illud. Verbi gratia, vt eorum vtamur exemplo. Nisi prius ratio aliqua passione ligata obtulisset actum fornicationis ipsi voluntati sub ratione boni, vtique voluntas non moueret in illud, postmodum contra dictamen vel iudicium rationis eiusdem. Et præter hoc licet ratio iudicet illud esse malum simpliciter, non tamẽ videtur quod stante tali iudicio possit volũtas in id moueri, nisi ratio etiam iudicans illud esse malum simpliciter aliquo modo deficeret passione ligata vel alio modo ad iudicandum illud bonum vt nunc, quantum nihil mouet virtutem appetitiuam nisi secundum quod aliquo modo appræhenditur sub ratione boni. Illa ergo ratio nihil concludit.

Ad 3. *Ad tertium dicendum*, quod licet ratio non erret dicendo quod honor & complacentia hominum & huiusmodi sint delectabilia nec intercipiatur eius iudicium per passionẽ virium inferiorum, potest tamẽ aliquo modo in eorũ iudicio deficere existimando, sc. aliquid eorum esse finem, cum non sit finis vel vtile ad finem cùm non sit vtile, & ex hoc defectu rationis cõtingit voluntatẽ huiusmodi male appetere dũ mouetur tanquam ad finẽ in illud quod sibi proponitur à ratione errante in parti-

Digitized by Google

particulari sub ratione finis, dum tamen non sit finis vel vtile ad finem, cum tamen non sit vtile.

Ad quartum dicendum secundum S. Chrysost. peccata generant errorem cæcitatis, quæ est sequela culpæ siue pęna, quæ semper à peccato præuenitur, secundum illud Sap. *Excæcauit eos malitia eorum.* Prædictus autem defectus in ratione non habet rationem culpæ proprie loquendo, nec etiam rationem pęnæ vt patet ex doctrina S. Thomæ *lib. 3. contra Gentiles, cap. 8.* vbi dicit, *quod duo principia voluntatem præcedunt scilicet vis apprahensiua, & obiectum apprahensum, quod est finis.* Cum autem vnicuique mobili respondeat proprium motiuum, non quælibet vis appræhensiua est debitum motiuum cuiuslibet appetitus, sed huius hæc, & illius alia. Sic igitur appetitus sensitiui motiuum proprium est vis appræhensiua sensibilis, ita voluntatis proprium motiuum est ipsa ratio ei respondens. Rursus cum ratio multa bona & multos fines appræhendere possit, & cuiuslibet sit proprius finis, ergo voluntatis erit finis & proprium motiuum, non bonum quodlibet, sed bonum determinatum. Cum igitur voluntas tendat in actum mota ab appræhensione rationis præsentantis sibi proprium bonum sequitur debita actio. Cum autem voluntas in actionem prorumpit ad appræhensionem appræhensiue sensualis, vel ipsius rationis repræsentantis aliquod aliud bonum à bono proprio diuersum, sequitur in actione volútatis peccatum, præcedit ergo

Ad 4.

Sap. 2.

Digitized by Google

peccatum actionis in voluntate defectus ordinis ad rationem, vel ad proprium finem. *Ad rationem* quidem sicut cum ad subita appræhensionem sensus voluntas in bonum delectabile secundum sensum tendit. Ad finem vero debitum, sicut cum ratio in aliquod bonum ratiocinando deuenit, quod non est nūc vel hoc modo bonum, & tamen voluntas in illud tendit quasi in proprium bonum. Hic autem ordinis defectus voluntarius est, nam in potestate ipsius voluntatis est velle & non velle. Item quia in potestate ipsius est, quod ratio actu consideret vel à consideratione desistat, aut quod hoc vel illud consideret, nec tamen iste defectus est malum morale. Si enim ratio nihil consideret, vel si consideret bonum quodcunque nondum est peccatum, quousque voluntas in finem indebitum tendat, quod iam est voluntatis actus.

Ex his dictis S. Thom. satis liquet, quod iste defectus malum culpæ præueniens, consistit in quadam negatione ordinis, quæ de ratione sui nec habet rationem culpæ nec pœnæ. Ista autem negatio ordinis in actu appræhensiue transit ad priuationem ordinis siue deordinationem in actu motiue, nec dicitur huiusmodi defectus appræhensiue error, quia non est ibi deceptio, sed vera appræhensio, quæ tamen ideo dicitur defectiuo, quia illud quod appræhenditur sub illo ordine non appræhenditur, sub quo appræhendi deberet antequam voluntas in illud tenderet. Verbi

gratia

gratia. Ratio appræhendit honorem sub ratione boni, ista appræhensio vera est, tamen non est completa, nec deberet adhuc voluntas ad honorem moueri donec plenius considerarettur non solum in se, sed vt ad Deum finem vltimum ordinabile. Ergo quod dicunt, *quod omnis error pœna est*, concedatur. Quod autem supponunt quod iste defectus appræhensiue sit error, interimatur, & sic ratio ista annihilatur.

Ad quintum patet hoc, concedimus enim quod error siue deceptio semper habet rationem mali, prout dicit S. Augustinus. Istum autem defectum errorem esse negamus. Ad 5.

Ad sextum per idem patet, verum enim est quod voluntas potest esse non recta stante rectitudine rationis quo ad aliquid, scilicet quod nondum sit in ea defectus qui sit error vel deceptio vt dictum est, tamen cum hoc simul stat, quod in ratione prædictus defectus inueniatur, qui est appræhendere aliquid sine ordine, quod non est culpa, sed solum in voluntate est culpa, eo quod in illa mouetur prius quam sub debito ordine appræhendatur, & per consequens mouetur in motiuum indebitum, propter quod est non recta. Ad 6.

Digitized by Google

ARTICVLVS VII.

q.26.ar.1. an anima separata puniatur ab igne corporeo.

SANCTVS Thom. *de veri. q. 26. art.* 1. vbi quærit, vtrum anima separata patiatur ab igne corporeo: *& in solutione principali ponit tres acceptiones huius nominis passio,* & dicit, *quod tertio modo quo transumptiue dicitur nomen passionis, anima patitur eo modo quo eius operatio potest impediri.* Et infra. *Patitur inquit anima ab igne corporeo modo supradicto, prout dicimus pati omne illud quod impeditur à propria operatione, vel aliquo sibi competente.*

CORRVPTORIVM.

EX his videtur sentire animas separatas & Angelos reprobos cruciari impedimento propriȩ operationis, vel alicuius sibi competentis, non pȩna ardoris. Vnde etiam & in 4. *suo super sententias, dist.* 21. *in solutione principali, vltima q.* ita dicit. *Ille ignis inquantum est instrumentum diuinæ iustitiæ habet vt spiritum quodammodò retineat alligatum, & in hoc ille ignis spiritui veraciter est nociuus, & sic anima igne sibi esse noxium videns, ab igne turbatur & crusiatur*, Hæc sunt dicta ibidem quæ videntur erronea, quia sunt contra Euangelium & do-

Digitized by Google

ctrinam sanctorum. Matth. 25. *Ite maledicti,* &c. Et Lucæ 16. *Mortuus est autem & diues & sepultus in inferno. Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis.* Et sequitur. *Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquā vt refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma.* Super quo dicit S. Ambrosius quod magis est narratio quod parabola. *Matt. 25.*

Item Sancti dicunt reprobos puniri pęna ardoris veri, vt S. Aug. de fide *ad Petrum, c. vltimo. Iniqui omnes ibunt in combustionem æternam, iusti autem in vitam æternam. Iniqui autem semper arsuri cum diabolo, Iusti vero semper regnaturi cum Christo. Item primo de ciuitate Dei, c. 9. & 10.* multum loquitur de ista materia. Cur inquit *non dicimus, quamuis miris, veris tamen modis spiritus incorporeos pęna corporalis ignis affligi.* Et S. Gregorius *quarto dialogorum. Sic fit vt res corporea rem incorpoream exurat, dum ab igne visibili ardor & dolor inuisibiliter trahitur, vt per ignem corporeum mens incorporea etiam corporea flamma crucietur. Quod colligere ex dictis Euangelij possumus, quod incendium non solum anima videndo, sed etiam experiendo patitur.* *S. Aug.* *1. ciuitate.* *S. Greg.*

Huic concordat quod dictum est supra de diuite epulone, quare enim peteret diues refrigerari per aquam si non sentiret flammam corpoream, nunquid aquam petijt ad dissoluendam detentionem vel linguam eius ab igne.

Ex his patet quod verbis Catholicæ & Euangelicæ veritatis plus consonat quod Spiritus incorporeus cruciatur ab igne corporeo & ignei ardoris pęna & hoc inquantum ignis est in-

Digitized by Google

eſt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ non tamen virtute ſuæ naturæ.

2\. *Item* contra illud quod dicit quarto ſententiarum, *ſpiritus ideo pati, quia vident ignem ſibi noxium.* Aut igitur intelligit de nocumento detentionis, vt impedimẽti ab operatione deſiderata, vel alias competenti, aut de nocumẽto ardoris, ſcilicet quod ideo patiãtur ab igne pęnã ardoris, quia vident ignem hoc modo ſibi noxiũ. Si intelligat primo modo, hoc ſupra improbatum eſt. Si ſecundo modo, aut ergo de viſione ſenſitiua tantum, aut imaginatiua, aut intellectuali opinatiua, ſc. aut de duobus iſtis, aut omnibus ſimul. Si ergo intelligit quod vident illum ignem noxium ſibi nocumento ardoris, cum tamen non ardeant ſecũdum veritatẽ, & ſic patiuntur, hoc eſt, ſic læduntur ab igne illo, quia appræhendunt illũ appræhenſione ſenſus viſus, nõ autem appræhenſione ſenſus tactus, tunc ſine dubio magis ponẽdus eſſet iſte ignis lucidus quam calidus, & ſeparari ab eo calor magis poteſt quam ſplẽdor, cuius contrarium dicit S. Baſilius in exameron.

3\. *Itèm ſi punirentur tantummodo videndo ignem,* non quaſi tangendo, debuit Chriſtus dixiſſe Matthei 25. *Ite maledicti ad ignem æternum, & non in ignem æternum,* quia hæc præpoſitio *Ad* importat diſtantiam neceſſariam ad viſum. Hęc autem præpoſitio in importat indiſtantiã quæ impedit viſũ & neceſſaria eſt ad tactum.

4\. *Præterea,* ſi patiantur ab igne videndo illum & imaginando eũ vt ſibi noxiũ, non autem opinando

pimando eũ sibi noxiũ, quia dæmones sunt sagacissimi, & nouerunt quod ignis non potest agere in spiritũ. Si inquã ita intelligant, hoc nõ videtur posse stare. Quia philosophus, 2. *de anima*, dat differentiam inter imaginationem & opinionẽ; quod imaginationẽ deponere possumus cum volumus non autem opinionẽ. Si ergo solũ torquentur imaginando tormentũ ignis & non opinãdo, tunc possent quãdocũq; vellent imaginationẽ suã deponere; & per cõsequens pænam ardoris, quod falsum est. com. 157.

Præterea, philosophus dicit in fine, 2. de anima. Cũ opinamur aliquod terribile, aut arduũ; non statim compatimur. Ex quo patet quod fortior est opinio ad inducendũ vel prohibendũ passionẽ quam imaginatio. Cũ igitur dæmones habeãt opinionẽ suam sanam quod nõ patiuntur, nec pati possunt ab igne corporeo quantũcunque imaginentur eum sibi noxiũ, non propter hoc patientur ab ipso. Si autẽ intelligant tertio illo modo scilicet quod dęmones vident se cremari vel cruciari, cum tamẽ secundũ veritatẽ nec crementur nec cruciẽtur nec ardeant, hoc iam superius improbatum est per auctoritates sanctorum. com. 161.

Præterea, nos videmus quod dæmones sagacissimi sunt, habent. n. opiniones sanas & veras in alijs, quo mõ ergo in hoc solo quod magis experiũtur errarẽt, ita quod putarẽt se in igne cremari, & tamen nullo modo cremari possũt.

Præterea, si torquentur ab igne solum, quia vident illum, & opinantur se torqueri ab igne, tunc illi qui habent saniores opiniones & iudicia, & forte acutiores

sunt inter eos vt Lucifer, minus punirentur, quod falsum est, quod scientia aggrauat peccatum eorum,& per consequens penam.

5. *Auctoritates autem quas adducit ad confirmationem dicti sui*, male adductæ sunt sicut patet

6. per inspectionem originalium. *Exempla autem pani* possunt quibus declarari potest quod ignis corporeus imprimere possit in spiritum penam ardoris, ita tamen quod non calefaciat eam nec consumat. Vnum est quod oculus appræhendit album per speciem suam vel nigrum, & tamen non fit oculus albus vel niger propter speciem quam recipit, eodem modo spiritus nudi vel separati appræhendunt & quasi sentiunt calores & algores vere, & tamē non sunt calidi vel frigidi. Vnde non oportet quod Spiritus calefiat ab igne quem apprehendit vt corpus, & cum vere appræhendat vt corporalem sicut corpus vel oculi colorem & organum olfactus odorem. Huic aliquantulum concordare videtur quod dicit philosophus *in li. de causa motus animalium, c. 6. phantasia* inquit *& intelligentia habent rerum virtutem. Aliquo enim modo species intellecta calidi & frigidi delectabilis aut tristabilis talis existit, qualis quidem rerum est vnaquaque propter quod terrent & tument intelligentes solum.*. Quia autem in corporibus damnatorum post iudicium & ante in spiritibus possit esse pena ardoris sine consumptione ostenditur, etiam quia hoc est possibile in corpore possibili. Vnde magister in hystorijs *super Genesim, c. de eiectione primi hominis de paradiso.* dicit. *Si quærit, quid ille ignis consum-*

consumat, potest dici quod quædam species ignis est, sicut in vita beati Nicolai legitur; *cui si manū adhibes ardorem sentis; sed non pateris adustionem.*

Item dicit idem Euangelium c. *de diuite epulone & Lazaro.* Si ergo hoc est possibile in corpore corruptibili, multo fortius in corporibus incorruptibilibus & spiritibus nudis. Luc. 16.

Præterea, experimentaliter sentimus, quod quando aliquod corpus vehementer calescit ab igne longe prius sentitur pœna ardoris siue immoderati caloris quam ipsum corpus possit comburi vel consumi. Ex quo ergo ista sunt separabilia tempore, sequitur quod Deus potest separari prius à posteriore simpliciter in æternum etiam si vnum esset causa effectus alterius. Potest ergo ignis vt est instrumentū diuinæ iustitiæ damnatis inferre pœnam ardoris absque calefactione corporis incorruptibilis vel spiritus nudi.

Ad argumenta autem quæ ponit contra iam dicta in dicta, q. respondetur. 1. argum.

Primum est tale. *Semper honorabilius est agēs patiente. Et S. Aug. 13. super Gen. ad literam. Omni modo præstantius est quod facit ea re de qua aliquid facit, ergo anima ab igne pati non potest.* 3. de anima. cō. 19.

Responsio, agens inquantum habet actu formā, quā vel cuius similitudinē patiēs tantū habet in potentia tantum est nobilius patiente oportet quod simpliciter, quia secundū philosophum, omne agens physice patitur. Et ideo si agens est nobilius patiente simpliciter, sequeretur de necessitate quod idem respectu 1. Resp.

 eius-

Digitized by Google

eiusdem esset nobilius & ignobilius, vnde oportet dicere quod agens est nobilius patiente inquantū huiusmodi nō simpliciter, sic etiā ignis corporeus inquantum instrumentum diuinæ iustitiæ est nobilior ipso peccatore inquantum est peccator.

Secunda ratio de his quæ videntur ponderanda est contra *Dam.4.libro c.6. ibi. Tradetur* inquit *diabolus & dæmones eius, & homo eius, id est Antichristus & impij peccatores in ignem æternum non materialem, qualis est hic apud nos, sed qualem vtique nouit Deus. Omnis autem ignis corporeus est materialis, ergo ignis quem anima separata patitur non est materialis neque corporeus, sed ardorem non infert nisi corpus, ergo non patientur pœnam ardoris.*

2. *Resp.* Responsio, negatio non sistit super hunc accusatiuum materialem tantum, sed super totum illud materialē, qualis hic est apud nos, & hoc verum est, præter enim alias differentias ignis iste differt à nostro vsuali igne, quia noster succenditur, nutritur, ille vero non. *Iob.30. Deuorabit eos ignis qui non succenditur.* Super quo S.Greg. *Ille ignis maxime calet, & minime lucet, noster plus lucet quam calet, quia longe remotius illuminat quam calefacit.* Et ideo dicit Dama. quod non est materialis qualis est apud nos.

Tertia ratio talis est. *Ignis iste affligit animā, ergo sentitur nociuus.* Hæc *consequentia per se patet secundum S.Aug. in encb.c.6. Si sentitur nociuus aliquid per ipsum adimitur, ignis autem corporeus nihil potest ab anima adimere, ergo non potest eam affligere.* Res-

ResponsioS. Aug. sicut dicit. *Nocet autem adimendo bonum*, vnde dico quod ignis corporeus nihil adimit de substantia animæ vel Angeli, quia sunt intransmutabiles in sua substātia, sed adimit illam delectationem quam habitura erat virtus appræhensiua in appræhēsione sui obiecti in debita & in moderata proportione, & illam pacem quam substātia cognitiua habet, cum virtutes suæ non grauētur ab obiecto excellenti. Et huius simile reperimus in *libro de cælo & mundo*, vbi philosophus dicit, quod *si essent in vnoquoque orbium multæ stellæ errantium, esset vltimus orbis in pœna & labore: cum ipse non moueret orbes qui sunt post ipsum motum*, quæro ergo si omnis labor & pœna nocent & adimunt aliquid, quid est quod adimitur vltimo orbi vel intelligentię ipsum mouenti, & non est dicere quod aliquid substantiæ adimatur, sed sicut Commentator exponit, soluitur debita proportio mouentis ad mouendum & moti ad resistendum, & hæc esset causa laboris & pœnæ si essent multæ stellæ in aliquo orbe hæsitantes siue errantes. 3. Resp. 2. t. co. 48.

Quarta talis est. *Omne quod agit in alterum, imprimit similitudinem formæ per quam agit in ipsum. Sed ignis agit per calorem, ergo cum anima nō possit calefieri, videtur quod non possit pati ab igne.*

Responsio, ignis imprimit in ignem similitudinem caloris, nō calorem, sicut coloratū imprimit in oculum similitudinē coloris, nō colorem, & sic de alijs sensibus. Ratio vero quare ignis imprimit in animam similitudinē 4. Resp.

Digitized by Google

caloris tantum, in corpus vero calefactũ verũ calorem potest esse, quia ignis agendo in corpus imprimit suam speciem, & per speciem immissam verum calorem, qui est in corpore passo in potentia, & per speciem ignis trahitur ad actum, vnde verus calor qui fit in corpore calefacto per actionem ignis, non est immissus ab igne, sed eductus in passo de potẽtia ad actum. In spiritu autem nudo non est potentia ad verum calorem, vnde ignis agens in spiritum solam speciem immittit, & sic immittendo non educit de potentia ad actum aliquem calorem. Et sicut cum coloratum immittit speciem in oculum, non verum colorẽ educit de potentia ad actum, quia ibi non erat talis potentia. In hoc tamen est differentia, quia ignis vltra suam similitudinem immittit in spiritum veram pœnam ardoris, secundum quod exigit spiritum puniri, inquantũ ignis agit vt instrumentum diuinæ iustitiæ puniendo, & inquantum potentia agentis ipsius ignis excedit in proportione indebita potentiam passiuam ipsius spiritus, sicut visibile siue sicut lux siue color lædit visum & nocet, quamuis non immittatur in oculum nisi intentio lucis siue coloris.

Quinta ratio talis est. *Omne quod patitur ab aliquo mouetur ab eo, quia mouens generalius est agente, vt dicit Commentator super primum de generatione. c. de tangibili, sed secundum nullam speciẽ motus anima potest moueri ab igne corporeo, quod patet inducenti, ergo anima non potest pati ab igne corporeo.* com.45.

Res-

Responsio, sicut dicit Simplicius super prædicamenta, *c. de motu.* Tria sunt genera motuum, intellectualis, animalis, naturalis. In prædicamentis autem Arist. non determinatur nisi de motu naturali vel corporali, vt ibidem dicit. Dico ergo quod spiritus nõ mouetur ab igne corporali vel naturali sed motu alterationis intellectualis vel animalis, talis autem alteratio vel passio non abijcit à substantia intellectuali vel spirituali. *Triplex genus motus.*

Sexta ratio talis est, *quod patitur ab aliquo cõmunicat ei in materia, vt videtur velle Boetius de duabus naturis & vna persona Christi, sed anima & ignis corporeus non communicant in materia secundum Boetium ibidem, ergo ab igne corporeo pati non potest.*

6. Responsio maior prædicta nõ potest haberi à Boetio ibidem, esto tamen quod Boetius hoc dicat, dico quod intelligenda est de passo quod patiendo agit in aliud à quo patitur, quia quæ mutuo agunt & patiuntur communicant in materia, quæ vero sic patiũtur quod versa vice non agunt non communicant in materia, & sic se habent ista inferiora respectu super cœlestium, & spiritus respectu ignis corporei, & hoc est quod dicit philosophus *primo de gene. c. de actione & passione, quæcunque* inquit *non habent materiam eandem faciunt impassibilia entia, & alia multa ibidem de hoc.* *t. com. 86.*

(.·.)

RESPONSIO AD HAEC SECUNDUM S. THOMAM.

Qualiter secundum S. Th. Spiritus separatus patitur ab igne corporeo, patuit sup. *in responsione art. 36. contra 1. partem.*

Ad 1. 1. Quod autem de hac materia hic impugnât habetur in quæstionibus *de anima q. vlt.* vbi S. Tho. sic dicit. *Ad inuestigandum quo modo ignis corporeus dæmoni vel animæ nociuus esse poßit: considerandum est quod nocumentum alicui non infertur secundum quod recipit illud quo perficitur, sed secundum quod à suo cõtrario impeditur, vnde passio animæ ab igne non est secundum receptionem tãtum, sicut patitur intellectus ab intelligibili, & sensus à sensibili, sed sicut patitur aliquid ab altero secundum viam contrarietatis & obstaculi*, hoc autem contingit dupliciter. Impeditur enim aliquid vno modo à suo contrario quantum ad esse suum quod habet ex aliqua forma inhærente, & sic patitur aliquid à suo contrario per alterationem & corruptionem, sicut lignum ab igne comburitur. Aliquid vero impeditur ab aliquo contrariante & obstante quantum ad suam inclinationem, sicut naturalis inclinatio lapidis est vt feratur deorsum. Impeditur aũt ab aliquo obstante & vim inferente, vt per violentiam quiescat, vel per violentiam moueatur. Neuter autem modus pœnalis est in re cognitione carente, nam vbi non potest esse dolor & tristitia, non competit ratio afflictionis. Sed in habẽte cognitionẽ ex vtroque mõ sequitur afflictio & pœna, sed diuersimode

Dupliciter aliquid impeditur

modè, nam passio quæ est secūdum alteratio-nem à contrarijs infert afflictionem & pœnā secundum sensibilem dolorem, sicut excellēs sensibile corrumpit armoniam sensus, & ideo excellentiæ sensibilium, & maxime tangibil ū dolorem inferunt, contemperationes autem eorum delectationē propter conuenientiā ad sensum. Sed secunda passio non infert pęnam secundum dolorē sensibilem exteriorem, sed secundū interiorē tristitiā, quæ oritur in homine vel animali ex hoc ꝙ aliquid interior vis appræhendit vt repugnās volūtati vel appetitui cuicūque. Vnde ea quæ sunt contraria voluntati vel appetitui affligunt etiā magis interdum quā ea quæ sunt dolorosa secūdum sensum, præeligeret .n. aliquis verberari grauiter, quā secundum sensum affligi, quā vituperia sustinere, vel aliqua alia hui⁹ quæ volūtati repugnarēt. Secundū igitur primū modū passionis anima non potest pati pœnā ab igne corporeo, Non enim possibile est vt ab eo alteretur & corrumpatur, & ideo non eo modo ab igne affligitur, vt ab eo dolorem sensibilē patiatur. ℞ Tā autem pati anima ab igne corporeo secundo modo passionis, inquantum ab igne impeditur à sua inclinatione vel voluntate, quod sic patet. Anima enim & quælibet incorporalis substātia quantum est de sua natura, non est obligata alicui corpori vel alicui loco, & quod determinetur ad aliquem locum per necessitatē quandā, est contra eius naturā & contrariū appetitui naturali, & hoc dico nō inquātū coniūgitur corpori, cui⁹ est

2. de anima. t. com. 141.

Quomodo anima patitur ab igne.

naturalis forma, in quo aliquam perfectionē consequitur. Quod autē aliqua spiritualis substantia alicui corpori alligetur, nō est ex virtute corporis potentis substātiam incorporeā detinere, sed est ex virtute alicuius superioris substantiæ alligantis substantiā incorpoream vel spiritualem tali corpori, sicut etiam per artes magicas promissione diuina virtute superiorum dæmonum aliqui spiritus aliquibus rebus alligantur, vel anulis vel imaginibus vel aliquibus huiusmodi rebus, & per hunc modū animæ & dæmones alligantur virtute diuina igne corporeo in sui pœnam. Vnde dicit S. August. 21. *de ciui. Dei. Cur non dicimus, quamuis miris, veruntamen modis spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus humani etiam ipsi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis indissolubiliter alligari. Adhærebunt ergo spiritus dæmonum, licet incorporei corporalibus ignibus cruciandi, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam*, & sic verum est, quod ignis ille inquantum virtute diuina detinet animam alligatam, agit in illam vt instrumentum diuinæ iustitiæ & inquantum anima apprehendit illum ignem vt sibi nociuum, interiori tristitia affligitur, quæ quidem maxima est, eo quod considerat se infimis rebus subdi, quæ nata fuit Deo per fruitionem vniri. Maxima igitur afflictio damnatorum erit ex eo quod à Deo separabuntur. Secunda vero ex hoc quod rebus corporalibus subduntur,

In qua cōsistit maxima afflictio damnatorum.

etiam

etiam in inferno & abiectissimo loco. Idem docet S. Thomas in *quaestionibus de veritate, q. 15. art. 1.* Ista sententia verbis Euangelicis & sanctorum dictis non contrariatur, sed in omnibus consonat, sicut per dictã S. Thomae declarationem comprobatur. Vnde & ipsa auctoritas S. Gregorij quam adducunt, sic habet intelligi scilicet quod spiritus ab igne vrente patiuntur, inquantum ignibus alligati detinentur. Et hoc est quod idem S. Gregorius dicit in *eodem libro scilicet quarto dialogorum.* Dum inquit *veritas diuitem damnatum in igne perhibet; quisnam sapiens reproborum animas ignibus detineri neget.*

Et quod postmodum arguit quod dicit S. Tho. 4. *sententiarum, dist. 44. scilicet spiritus ideo pati ab igne miro modo sophistice* procedunt, dimittentes enim declarationem qualiter anima separata ab igne corporeo patiatur, quae quasi in nullo differt à declaratione praedicta, *in quaestionibus de anima q. vltima. Et in quaestionibus de veri. q. 25.* vltimum verbum reprahendunt vbi dicit in fine. *Anima ignem sibi noxium vidẽs cruciatur, inquirẽtes de intellectu huiusmodi in hac parte, ac si sufficienter in praemissis non fuisset expressus.*

Quod autem dicunt, nocumentum detentionis aut impedimenti ab actione desiderata supra esse improbatum respicienti ea quae supra dixerunt cum his quae de S. Thoma adducta sunt falsum patet esse. *Ad 2.*

Quod vero quaerunt si intelligit de visione sensitiua tantum, &c. ex ignorantia nimia videntur

procedere, quis enim vnquam posuit visionē sensitiuam vel imaginatiuam quæ sunt virtutes organicæ in spiritibus separatis. Et quod habent pro inconuenienti quod spiritus non tangendo sed videndo cruciatur, quo ad hoc insinuant, quod necesse est spiritus separatos cruciari ignem tangendo siue sentiendo per sensum tactus, nimis est absurdum, quoniam si virtus visiua sensitiua eo quod organica vt dictum est ac materialis nullo modo poni pōt in spiritu à materia separato, quanto magis sensus tactus qui est ignobilior & longe materialior, nec fingi quidem poterit in huiusmodi spiritibus separatis à materia.

Ad 3. *Quod vero adducunt*, pro se de Mattheo, *Ite maledicti, &c.* nihil facit pro eis, immo pro S. Thoma facit ipsa verborum significatio, quia non dicitur spiritibus separatis, *Ite maledicti, &c.* ratione sensus visus, nec ratione sensus tactus, cum neutra harum virium organicarum in spiritu vigeat incorporeo. Sed quia (prout ipsa verba sonant) in illum ignem

Ad 4. sunt ituri in ipso ad suam pænam æternaliter puniendi & detinendi.

Quæ consequenter opponunt de imaginatione & opinione propter quas solas ostendūt spiritus ab igne pati non posse, contra S. Thomá nihil faciunt, quia hoc idem ipse concedit, & efficaciter ostendit, sic dicens vbi supra scilicet, *supra 4. sententiarum, distinct. 44. Quamuis possit esse secundum rei veritatem vera passio tristitia vel doloris ex aliqua falsa imaginatione, vt S. Augustinus dicit super Gen. ad literam, tamen*

Digitized by Google

non potest dici quod secundum illam passionem vere patiatur à re, & multo minus posset dici, quod posset pati veraciter per falsas conceptiones, quas anima errans opinando fingeret, prout ipse subdit infra, vbi ipse consequenter ait. *Non est probabile quod anima separata vel dæmones qui subtilitate ingenij pollent, putarent ignem corporeum sibi nocere posse, si ab illo nullatenus grauarentur.* Ex his verbis S. Thomæ patet quod non posuit S. Thom. spiritus ab igne pati istis modis fictis & falsis, prout ipsi sibi imponunt. Vnde argumenta per quæ istos modos improbant contra ipsum nihil penitus facere manifestum est. Ad. 5.

Quod vero dicunt auctoritates quas S. Thomas pro se adducit male adductas, sicut patet per inspectionem originalium quod originalia inspicienti & intelligenti patet esse falsum. Ad. 6. Exempla autem quæ ponunt ad declarandum quod ignis corporeus in spiritum imprimere possit pænam ardoris, ita tamen quod non calefaciat eum nec consumat, non sunt conuenientia. Non enim simile est de oculo vel virtute imaginatiua, & de spiritu incorporeo, vel de anima separata in quibus huiusmodi virtutes organicæ non inueniuntur, per quas huiusmodi impressiones ab igne corporeo in ipsos fieri sit possibile.

Quod autem ipsi asserunt, quod spiritus nudi vel separati apprehendunt & quasi sentiunt algores & calores, si intelligunt quod recipiunt species talium rerum, per quas cognoscunt, prout videntur insinuare, nõ est ad proposi-

Digitized by Google

propositum eorum, quia cum principium intelligendi pertineat ad perfectionem intellectus, nullo modo potest poni ad afflictionem siue penam pertinere, nec per se, nec etiam per accidens, eo modo quo videmus sensum affligi per speciem sensibilis excellentis propter indispositionem organi corporalis, cuiusmodi in intellectu vel spiritu separato, fingere non est possibile, & præter hoc spiritus separatus à rebus corporalibus sumere falsum est, & multipliciter per dicta S. Thomæ improbatum sicut prima parte patuit supra.

Quod autem dicunt, quod in corporibus damnatorum post iudicium & in spiritibus possit esse pena ardoris sine consumptione, concedimus, nec huius oppositum vnquam dixit S. Thomas, sed verum modum quo spiritus penam ardoris patiantur cæteris, vt dictum est euidentius declarauit, tamen quæ isti ad huius veritatis confirmationem adducunt vt patet intuenti, modicum ad eius declarationem faciunt, vnde patet quod in vacuum quasi per omnia laborauerunt.

Argumenta vero qua soluere conantur quasi S. Thomas ea posuisset ad suæ opinionis confirmationem ponuntur cum multis alijs à S. Thoma *ad primam partem quæstionis obijciente, q.25. art.* 1. & quod non adducat ea pro sua positione, vt isti putauerunt & falso, manifestum est ex hoc quod ipse ista argumenta cum alijs soluit ibidem, non quidem fingendo vt isti, sed veritatem declarando, vt patet intuenti.

Ad

Digitized by Google

Ad primam enim sic dicit. *Non oportet simpliciter agens esse praestantius patiente, sed secundum quod est agens, & sic ignis inquantum agit in animam vt instrumentum diuinae iustitiae est anima praestantior, quamuis non simpliciter, & hoc* ipsi in responsione ad idem argumentum tetigerunt, vt ab eo accipientes, quem vituperare conati sunt approbare veritate cogente sunt compulsi. *Ad 1. rōem 3. de anima t. com. 9.*

Ad secundam rationem quae quinta est in q. S. Thomae sic respondet, *quod in pena animae separatae duo est considerare scilicet affligens primū & proximum. Affligens primum est ipse ignis corporalis detinens animam per modum praedictum, sed tristitiam animae non ingereret, nisi hoc esset ab anima apprahensum, vnde proximum affligens est ignis ipse detinens apprahensus, & iste ignis non est materialis sed spiritualis, & sic potest verificari dictū Dama.* Vel potest dici, quod dicit eum non materialem, inquantum non punit animam materialiter agendo sicut punit corpora. *Ad 2.*

Ad tertiam rationem quae quarta est in q. S. Thomę respondet, *quod ignis ille nocet animae non ita quod adimat ei aliquam formam absolute inhaerentem: sed inquantum eius actionē impedit* (vt dictum est) *ipsam detinens.* *Ad 3.*

Ad quartam rationem *quae 12. est in q. S. Tho. respondet quod anima non patitur ab igne quasi alterata ab eo, sed per modum dictum, propter quod non oportet quod ignis in ipsam agens aliquid in ea imprimat.* *Ad 4.*

Ad quintam rationem quae *in q. S. Thoma est 20. dicit, quod obiectio illa procedit de passione* *Ad 5.*

proprie

proprie dicta qua in motu consistit; de qua nunc non loquimur.

Ad 6. Ad sextam rationẽ quæ in *q. S. Thomæ est* 15. *dicit, quod ad hoc quod aliquid sit passio proprie loquendo, oportet quod aliquid habeat materiam contrarietati subiectam, & ad hoc quod sit mutua passio, oportet quod sit materia communis. Tamen aliquid potest pati ab altero cui non communicat in materia, sicut corpora inferiora à sole; & aliquid potest aliquo modo pati, quod nullo modo habet materia,* sicut ex prædictis. Ecce quod argumenta ab ipsomet S. Thoma sunt veraciter dissoluta, vnde eorum responsione, in qua (vt patet inspicienti) quædam ficta & falsa continentur, non indigebant, nec ad alicuius positionis S. Thomæ confirmationem adducta erant, vt ipsi falso innuebant.

ARTICVLVS VIII.

Materia vel quæstio 26. ar. 1. an naturaliter anima separata à corpore patiatur.

SANCT. Thomas dicit, *de veri. q. 26. artic.* 1. vbi quæritur, vtrum naturaliter anima separata à corpore patiatur: *In responsione principali & in 2. argumento plane sentire videtur, immo dicere, quod ignis infernalis non potest agere in spiritum etiam vt instrumentum diuinæ iustitiæ, nisi exercendo in eo aliquam actionem naturalem.*

COR-

CORRVPTORIVM.

HOc videtur contra opinionem communem, & est occasio erroris, quia diuinam potentiam restringit sub natura. Et contra illud *Dan.* 3. vbi dicitur *quod Angelus fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Vnde constat quod ignis ibi vt instrumentum diuinæ misericordiæ refrigerauit sine aliqua operatione naturali, Nec potest aliquis subterfugere per hoc quod præmittitur ibi, *quod Angelus domini excußit flammam ignis de fornace*, vt per hoc dicat quod ignis fuerit separatus totaliter ab illis pueris, nam sequitur. *Ecce* inquit *Nabuchodonosor, Video quatuor viros ambulantes in medio ignis*, & infra. *Tunc acceßit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ardentis*, sed illa excussio intelligitur per Angelum Domini facta quo ad partem flammæ quæ incendit Chaldæos iuxta fornacem. 1. Daniel. 3

2. *Præterea*, dicit beatus Laurentius. *Disce miser quod carbones hi non ardorem sed refrigerium mihi præstant.*

Et beatus Tyburtius gradiens super carbones, dixit Fabiano iudici, sicut legitur in passione dicti martyris. *In nomine Domini nostri Iesu Christi videtur mihi quod super flores roseos gradior.* Sic ergo in his exemplis ignis fuit instrumentum diuinæ misericordiæ ad refrigerandum absque actione naturali quæ est calefacere.

RE-

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

MIrum est per quam phantasiam apparuit eis, quod aliquid haberet rationem instrumenti ad producendum aliquid à quo nulla omnino actio exerceretur ad illius rei productionem, ergo enim dicere est contradictoria simul affirmare, quod enim fit ab aliquo sine omnimoda alterius cooperatione, procedit ab eodem immediate, & per consequens sine instrumento, igitur ponere in tali productione instrumentum est simul ponere instrumentum & negare, quod autem ignis agat circa spiritum ratione cuius dicatur instrumentum diuinæ iustitiæ satis pulchre docet S. Thomas in illa. *q. 26. art.* 1. vbi inquit, *substantiam incorpoream corpori vniri contingit dupliciter, vno modo vt formam inquantum viuificat corpus. Alio modo vt motorem mobili, vel locatum loco per aliquam operationem siue per aliquam habitudinem, quia vero forma & illius cuius est forma est vnum esse vnio substantia spiritualis ad corporalē per modum forma est vnio quantum ad esse.* Nullius autem rei esse est sua in potestati subiectum, & ideo nō est potestate substantiæ spiritualis vniri corpori vel ab eo separari per modum formæ sed lege naturæ agitur vel virtute diuina, sed operatio rei in potestate operantis voluntarie, ideo in potestate naturæ spiritualis est vniri corpori per modum motoris aut locati, & separari ab

Duplex vnio.

eo

eo secundum ordinem naturæ, sed quod substantia spiritualis hoc modo corpori vnita, ab eo detineatur & impediatur, & quasi ligetur, est supra naturam ignis, ergo ille ignis corporeus agens vt instrumentum diuinæ iustitiæ facit aliquid supra virtutem suæ naturæ scil. animam detinere vel ligare, sed ipsa vnio per modum prædictum est naturalis, & sic patitur anima ab igne corporeo illo secundo modo supra dicto, prout dicimus pati omne illud quod impeditur à propria actione, vel ab aliquo sibi competenti, & hunc modum passionis S. August. ponit, 22. de ciu. Dei, sic dicens: Cur non dicamus quamuis miris: veris tamen modis, &c. respiciatur ista auctoritas statim supra adducta ar. proximo, & videbimus eam omnino huic sententiæ S. Tho. concordare.

Ad primum autem quod obijciunt de diuina potentia, quæ per hoc videtur eis restringi sub natura. Dicendum quod non est verum, ad diuinam enim potentiam pertinet agere per se & immediate, etiam natura cooperante, quæ in nullo restringitur, sed ratio instrumenti sine aliqua cooperatione minime valeat inueniri. *Ad primũ*

Ad illud de Daniele dicendum, quod ad illud refrigerium puerorum fecit instrumẽtaliter ros segregatus à materia ignis vel flammæ, sicut docet S. Augustinus *in li. de mirabilibus diuinæ* scripturæ sic dicens. *Dominus est potens gubernator ignis, nam inter inimicos & seruos diuidere voluit ardorem inimicis, flabilem & humidã roris substantiam famulis suis conuertit, vt & illi per comburentem naturam accensi arderent, & hi*

 in flebili

in flebili & limphatico vapore nihil aduersitatis perpeßi sentirent. Quapropter & scriptura dicit, Angelus autem Domini descendit cum Asaria & cæteris in caminum & excußit flammam ignis de camino, & fecit medium fornacis vt spiritum roris flantem. Ex aeris enim spiritu & ex aqua in ipso ignis medio inuenit rorem. Ecce quam aperte expositio S. Augustini repugnat extorsioni quam isti fingunt dicentes, *nec potest aliquis subterfugere, &c.* Vnde ex nunc parcendum erit eis de eo quod sententias S. Thomæ deprauare nituntur cum beato Augustino, immo ipsi textui sacræ scripturæ prout exponitur ab eodem contradicere comprobantur.

Ad illud vero quod pro se adducunt Nabuchódonosor *vidit eos ambulantes in medio ignis*, & quod Nabuchodonosor accessit, nihil facit pro eis, quoniam secundum dictam expositionem S. Aug. ipse ros in quo erant pueri in medio ignis erat, & fornax ipse vndique & circumquaque ardebat eius diuisio scilicet materiæ roridæ à flamma sicut à vapore inflammato diuina virtute, & Angelico ministerio cooperante fiebat.

Ad 2. *Quod etiam in igne sanctorum* Laurentij & Tiburtij diuinitus fieri poterat, vel forte de refrigerio spirituali loquebatur Laurentius & propter interiorem delectationem quam in Dei contemplatione inueniebat prunas rosis Tyburtius comparabat.

ARTI

Digitized by Google

ARTICVLVS IX.

SANCT. Thomas dicit libro cit. q.28. *art.* 3. *in responsione*, 26. *arg.* vbi quærit, vtrum ad iustificationem impij li. ar. requiratur? *quod res naturales per quandam violentiam possunt disponi ad formam vt scilicet principium dispositionis sit extra nihil conferente vim passo, vnde in eis non est dispositio ad formam ab aliquo principio intrinseco. sed ab extra.* *Materia 28. ar. 3. an ad iustificationē impij requiratur liberum arbitriū.*

CORRVPTORIVM.

PEr ista verba videtur negare inchoationes formarum siue potentias actiuas in materia, quas ponunt philosophi & etiam S. Aug. & vocat potentias siue rationes seminales. De istis potentijs vel rationibus seminalibus loquitur S. Augustinus in pluribus locis. *Nam super Gen. ad literam dicit. Omnis cursus istius vita cursus vsitatissimus est, & habet quasdam naturales leges suas, secundum quas & spiritus vita qui creatus est, habet appetitus quosdam determinatos quodammodo, quos & mala voluntas non possit excidere. Et elementa huius mundi habent diffinitā vim qualitatemque suam secundū quam vnumquodq; valeat quid de quo fieri possit vel non possit. Ex his verò primordijs rerū omnia qua gignuntur pro quolibet tempore exitus processusq; sumunt finem, quia dispositiones sunt cuiusq; generis.* 1. *S. Aug*

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1893

Digitized by Google

Vnde fit quod de grano tritici non nascuntur fabæ vel de faba triticum, vel de pecude homo, vel de homine pecus. Super hunc motum cursumque naturalem habet Deus apud de his omnibus posse facere alia quam rationes eorum seminales habent.

2. *Nota de triplici semine.* Item *li. 3. de tri. c. 10.* distinguitur triplex seminarium, vnum *sicut surculus, qui conuenienter terræ innodatus arborem facit, Aliud subtilius semen, scilicet generis eiusdem & eiusdem grani, & hæc duo sunt visibilia. Tertium huius grani semen, quamuis oculis videre non queamus ratione tamen conuincere possumus, quia nihil talis aliqua vis esset in elementis istis, non plurima nascerentur ex terra quæ seminata non essent.* Et parum infra. *Inuisibilium seminum causator ipse creator est omnium rerum, quoniam quæcunque nascendo ad oculos nostros exeunt ex occultis seminibus, accipiunt progrediendi primordia vel incrementa debitæ magnitudinis distinctionesque formarum ab originalibus tanquam regulas sumunt.*

3. Item S. Ambrosius *in exameron nascentibus singulis, aut semen, aut alia virtus seminaria inest secundum genus, vt quod nascitur simile, exeat eorum quæ sata sunt vel de radice germinent; sicut de tritico triticum, de milio milium, & piro pirus.*

4. Etiam philosophi inueniuntur quandoque vti nomine rationum seminalium. Vnde *in lib. 3. Macrobij saturnalium*, parum ante finem dicit ita. *Rationes seminales quæ in ouo sunt velut quædam gallinæ elementa credenda sunt.*

Et

Et philosophus, 11. *meta.* expresse ponit inchoationes siue potentias formarum in materia, verbi gratia, vt ex albo in potentia fiat aliquod album in actu. Similiter in de *generatione & corruptione*, vt sint omnia ex ente in potentia & non ente in actu.

Et Commentator *super eundem li.* aliquantulum infra super illam partem, *& dubium est in hoc dicendum, ex quo non ente fiat generatio. Non enim quodlibet ens fit ex qualibet potentia, sed vnumquodque entium fit ex eo quod est illud in potentia propria, ita quod numerus potentiarum sit sicut numerus specierum entium generalium. Et dixit Arist. hoc, quia opinabatur quod sit vna secundum substantiam & multa secundum habitudines siue habilitates.* Hæc Commentator. 1. li. tex. com. 134. com. 126.

Item Arist. 3. *physicorum*, aliquantulum ante finem: secundum antiquam translationem. *Si autem ars ædificandi naues esset in ipsis lignis, operatio earum esset ad modum operationum naturæ.* Super quo dicit Commentator. *Verum est quod non est differẽtia inter naturam & artem. Sed ars agit extra, natura vero intra. Istam eandẽ sententiam innuit philosophus* & expresse ponit Commentator. 6. *ethic. c. 6.* Vnde manifestum est quod negare rationes seminales, siue potentias actiuas est contra doctrinam philosophorum & etiam sanctorum. 5. 8. com. 84.

(.·.)

Digitized by Google

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S.Thomam.

Modus inchoantiū formas est duplex.

EOrum qui ponunt inchoationes formarum vel potentias actiuas in materia duplex est via. Quidam enim ponunt quod forma substantialis suscipit magis & minus, & isti ponunt eam præexistere generationi, non secundum omnes suos gradus, sed secundum aliquem gradum incompletum, & per generationem promoueri ad gradum completum siue perfectum. Alij vero ponentes formam substantialem non suscipere magis & minus, eo quod hoc manifeste dicunt auctores dicūt formas totaliter præexistere generationi, & non secundum gradum eius aliquem imperfectiorem, quia gradus non habet. Vtraque autem via est impossibilis, & ideo contra primam primo adducam auctoritates & rationes, postea contra secundum. Quod forma nō suscipiat magis & minus habetur ab Arist. 8. *meta.* quod formæ sunt sicut numeri, in quibus addita vnitate vel subtracta, resultat noua species. Dicit etiam ibidem, quod sicut in materia non est magis & minus, ita nec in substantia quę est forma. Nec moueat aliquem in littera quā immediate subiungit, sed si quidē cum materia, Vel secundum aliam translationem, nisi sit substantia quæ est cum materia, quæ videtur aduersari intentioni nostræ. Nō enim potest esse intentio Arist. quod forma substantialis non suscipit magis & minus, nisi quando est in materia, tum quia fatua esset talis locutio, cum enim semper sit in materia, fatuum

Secundus modus.

Contra vtrumque

t. com. 10.

Solutio instantia.

fatuum esset eam negare suscipere magis & minus, excipiendo tempus in quo est in materia, sicut si diceretur, lapis nō est animal nisi cum est visibilis. Tum etiam, quoniam si sic exponatur litera, nulla est similitudo inter formas & numeros quantum ad id in quo ponit similitudinem. Sic enim simpliciter verū est dicere, quod forma suscipit magis & minus, cum tamen hoc non conueniat numero, vnde necesse est alium habere intellectum in littera. Est autem intentio. Arist. hæc, quod in forma non est magis & minus secundū seipsā, sed secundū materiā, hoc est secundū materiales dispositiones inuenitur ibi magis & minus.

Item in prædicamentis dicit Arist. quod substantia non suscipit magis & minus. Et hoc dictum melius est ad propositum, quia dicitur de substantia composita quam si diceretur de substantia quæ est forma: sequitur enim, si non sit magis & minus in substantia composita, quod nec erit in forma ipsius, & si sit in forma, sequitur quod sit in composita, compositum .n. denominatur à forma, ergo oportet si forma intenderetur & remitteretur, quod compositū denominaretur magis & minus tale, sicut secundum albedinem intensam & remissam dicitur aliquid magis & minus album. *Arist.*

Præterea, Commentator 8. meta. dicit, quod forma est indiuisibilis. Præterea, per rōnes hoc ostēditur sic. Omnis forma suscipiēs magis & minus, successiue inducitur in materia & nō in instāti. Sed forma substantialis inducitur in materiam in instanti, ergo forma substantialis non *8. com. 11.*

 susci-

suscipit magis & minus. Minor probatur per auctoritatem & rationem. Dicit enim Commentator, 6. *physicorum*, *quod generatio quæ est inductio formæ substantialis est finis transmutationis quæ est alteratio, & est indiuisibilis. non enim generatio & corruptio sunt motus, sed sequuntur motum.* Dicit etiam in eodem, quod *transmutatio quæ est in substantia est in non tempore scilicet prouentus formæ substantialis.* Et paulo post. *Quãdo caro fit ex sanguine, primo amittuntur qualitates & accidentia propria sanguinis, & fiunt accidentia propria carni. & hoc in non tempore scilicet in fine motus.*

Præterea, per rationem potest assumptum ostendi sic. Inductio formæ substantialis est generatio proprie dicta, sicut inductio qualitatis est alteratio proprie dicta. Si igitur forma substantialis continue in tempore inducitur & non subitò, sequitur quod generatio proprie dicta sit motus continuus, quod de-
t. com. 8. monstratur esse falsum, 5. *physicorum*, quia sequeretur quod non ens in actu moueretur.

t. com. 22. *Alia ratione ostenditur principale propositum sic.* Omne medium est inter contraria, sicut probat *philosophus* 10. *metaphysica.* Sed si forma substantialis intenderetur & remitteretur esset in substantia medium, esset enim, transitus ab imperfecto ad perfectum per gradus medios, ergo in substantia esset contrarietas,
t. com. 10. quod est contra philosophum in prædicamentis & 5. *physicorum.* vbi Commentator dicit, quod *in substantia non est contrarietas quantum ad formas, sed quantum ad qualitates.*

Præterea,

Præterea omnis differentia secundum formam substantialem variat speciem, formæ enim substantiales sunt sicut numeri in quibus quocunque numero addito vel subtracto species variatur. Si ergo forma substantialis suscipit magis & minus in gradu, sc. facto magis & minus speciem variabit, & ita non erit eadem forma sed alia. Non enim vna & eadem forma est diuersarum specierum. Quælibet igitur forma substantialis in indiuisibili consistit. Ex quo patet, quod illa via quæ ponit ipsam per gradus promoueri, & per consequens suscipere magis & minus, penitus est impossibilis & merito reprobanda. Nunc restat videre qualiter reliqua via est impossibilis, quæ dicit quod esse formæ totaliter generationi in materia præexistit, nomen tamen formę vel rationẽ nondum meretur, eo quod materiam nondum actu perficiat. Hoc autem patere potest sic: cum essentia materiæ necessario generationi rei præexistat, & similiter secundum istam positionem essentia formæ tota præexistit, sequitur quod tota essentia eius quod generatur sit ante generationem, ex materia enim & forma constituitur essentia ipsius rei, sed posita essentia alicuius ponitur ipsum, ergo illud quod generatur est antequã generetur. Et eodem modo sequitur quod res sit postquam est corrupta, quæ sunt manifesta impossibilia.

Si autem dicat aliquis quod forma præexistat generationi non actu sed potentia, ideo bene concluditur quod illud quod generetur,

 & hoc

Digitized by Google

&hoc nõ est inconueniẽs, qui hic dicit ipse propositum realiter concedit. Si enim forma post generationẽ est actu in materia, & ante generationem, tantum in potentia, cum esse in potentia tantum sit propter defectum alicuius quod nõ deficit quando est actu, oportet quod ante generationem aliquid deficiat de forma quod non deficit post generationem, forma autem indiuisibilis est vt ostensum est, ergo necesse est dicere quod ipsa totaliter defuit ante generationem, & hoc est propositum.

Praterea cum dicitur. Forma est in potentia ante generationem, ita quod existat quoddam esse forma diminutum, ratione cuius dicitur in potentia, tunc quæro de essentia formæ quæ habet illud esse, aut vnitur materię, ita quod illud esse cõsequatur vnionem talis essentiæ formæ cum materia, & tunc necesse est ponere, quod cum coniunctio vel vnio alicuius rei constituat eius quidditatem vel essentiã, necesse est quod tota quidditas rei sit constituta ante generationem, quod (vt diximus) est absurdum. Si autem illa essentia formæ habeat illud esse solum ratione sui, nõ ratione alicuius suæ vnionis, cũ materia sequitur quod hęc essentia formæ sit in natura sua penitus immaterialis. Omnis autẽ huiusmodi essẽtia habẽs esse pręter materiam, est quædã natura intellectualis. Ex quo sequitur ꝙ omnis forma quę secundũ veritatem. est materialis erit secundum istam positionem in sua natura immaterialis, & per consequens quædã substantia separata, cui secundum philosophos potentia intellectiua non posset denegari, & hoc quidẽ est ab-

Digitized by Google

surdius. Nec potest dici quod ista ratio non procedit, quia illud esse quod habet ista essentia formę ante generationem est diminutum. Cum enim vnicuique potentiæ debeatur act' proprius secundum naturæ suæ perfectioné, cum ista essentia formæ sit in se perfecta cui nihil deest de propria natura quæ ad istā pertineat essentiā, prout ipsi ponūt, necesse est ꝙ act' sui esse quod ei debetur, sit quid perfectū, & tunc cōcludo quod essentia formalis habés esse perfectum ratione sui esse est naturæ intellectualis, sed omnem formam materialem sequitur esse huiusmodi secūdū istā opinioné, ergo omnis forma materialis secundum eandé necesse est dicere in sua natura propria immaterialé in proprio suo esse perfecto existétem in se & intellectum habenté, vel si velint hoc negare & dicere, quod illud esse habeat ratione materiæ necesse est aliud inconueniés prætactū concedere, sc. quod tota essentia rei est ante eius generationem, & per consequens ꝙ nihil secundum veritatem generatur, & sic quodlibet in quolibet fore, & alia inconuenientia multa, quorum non est numerus.

Ad obiecta ergo quæ ipsi affirmāt pro se dicendum. *Resp. ad obiecta.*

Ad 1. quod S. Aug. non vocauit rationes seminales in materia, ipsas essentias formarum vel inchoationes earūdem, sed causas siue rationes seminales posuit in materia respectu omnium miscibilium & mutabilium propter huiusmodi materiæ habilitates, & ipsorū elementorū actiuas & passiuas virtutes. Cū enim in materia sit habilitas ad omnem formam materialem & elementa mutuo agentia *Ad primū*

faciant ad qualitatis mediæ, sub quadam scilicet proportione inductionem, quæ scilicet proportionalitas secũdum diuersitatem formarum diuersorum mixtorum est necessaria, liquet in ipsis elementis ac materia elementorũ causas ac rationes seminales respectu mixtorum omniũ naturaliter inhærere. Et quod hæc fuerit intentio S. August. patet ex verbis eius quæ ipsi adducunt. Ait enim. *Elementa huius mundi corpor eam habent vim qualitatemque suam* &c. Ecce quid vocat rationem seminalẽ, vim scilicet & qualitatem qua elementa agũt (vt dictum est) ad mixtorum productionem.

Quod autem dicit, quod de grano tritici non nascuntur fabæ nec econuerso, huic eidẽ sententiæ attestatur. Sed si ad formam existentẽ in materia in potentia respexisset secundum modum positionis eorum, istam diuersitatẽ non posuisset, quoniam forma fabę inuenitur in potentia in materia grani tritici, & econuerso, vt ipsimet habent necesse ponere, diuersitas igitur est à parte virtutis actiuæ, quia scilicet in grano tritici est potentia actiua ad triticum & hæc est virtus ipsius grani non aliqua essentia formæ substantialis sub esse diminuto, & ideo certe per illam virtutem disponitur materia donec inducatur forma substantialis tritici generandi. Similiter in faba est virtus actiua, per quam disponitur materia ad illud quod ex ipsa generatur. Istas ergo diuersas virtutes vocat S. Aug. rationes seminales. Sunt autem ista virtutes (vt tactum est) naturales proprietates taliũ seminum, propter

Digitized by Google

ter quod rationes seminales appellantur.

Ad secundum similiter dicendum, quod S. Augustinus vocat semen inuisibile illud, in quo sensu non percipimus esse virtutem actiuam respectu productionis alicuius, sed solũ ratione prout ipse dicit, sicut vocat semen visibile surculum vel semen, in quo sensu experimur esse virtutem actiuam diuersam ad diuersarum productionem plantarum. Sicut ergo virtus actiua seminis vel surculi non fit forma plantæ generatæ sic enim forma de subiecto in subiectum migraret, sic nec virtutes elementorum actiuæ fiunt formæ mixtorum, ad quarũm cognitionem non nisi per rationis inuestigationem peruenitur, inquantum scilicet agunt ad mixtorum productionem: prout dicit S. Augustinus ibidem *de trinitate. lib. 3. cap. 14. Quamuis* inquit *oculis videre nequeamus, ratione tamen cognouimus*, quia *nisi talis aliqua vis esset in elementis istis, non plerumque nascerentur ex terra quæ ibi seminata non essent*, & hoc vocat etiam S. Augustinus semen inuisibile, sicut patet intuenti. Et quod dicit infra *inuisibilium seminum creatorem omnium rerum* &c. pro nobis facit. Ex hoc enim quod Deus virtutem omnium formarũ huiusmodi productiuam concreauit, ipse dicitur omnes formas huiusmodi creare, quoniam causa prima plus est influens quam secunda. Vtitur autem S. August. hoc nomine creationis pro productione, sicut patet.

Ad tertium dicẽdum, quod eodem modo habet intelligi dictum S. Ambrosij. Dicũt enim sancti

Ad 2.

Auctor de causis.

Ad 3.

Digitized by Google

ſancti (vt diximus) virtutes iſtas actiuas rationes ſeminales.

Sciendum autem quod omnis virtus actiua rei ineſt ipſi agenti, & nullo modo poteſt fieri forma vel effectus producti. In hoc tamen eſt differentia, quod virtutes inueniuntur in quadam perfectione quæ manet poſt ſuorum effectuum productionem, ſicut patet de virtute ſolis & elementi, per quam producit elementum ſuæ ſpeciei, & vniuerſaliter de virtute agentium perfectorum. Quædam vero ſunt virtutes actiuæ quarundam rerum quę à natura ordinantur ad alia perfectiora, ita tamen quod ſemen illud non manet, nec per conſequens virtus eius, quæ ſibi vt ſubiecto infuit ipſis in eſſe productis, & huiuſmodi virtus dicitur proprie ſeminalis, ſicut & illud cuius eſt virtus illa vocatur ſemen.

Ad 4. *Ad 4. cum dicunt*, quod philoſophi locuti sũt de rationibus ſeminalibus: verum dicunt ſed non ſecũdũ eorũ exiſtimationẽ, ſed in ſenſu ſupradicto. Sic .n. & non aliter eſt in ouo virtus actiua vel ratio ſeminalis gallinæ.

Quod autem dicit philoſophus, ex albo in potentia fit album in actu, & quod numerus potentiarum eſt ſecundum numerum ſpecierum entium generabilium: nihil facit pro eis. certum enim eſt quod albedinis eſſe nõ poteſt poni in materia ante productionẽ albi, quoniam accidentia ſequuntur neceſſario eſſe ſubiecti ſui, etiam ſecundũ ſuam eſſentiam, vnde impoſſibile eſt per naturam ponere eſſentiam accidentis habere eſſe quod non conſequatur

quatur ad esse sui subiecti.. Nec etiam hoc dicere voluerunt illi qui huius positionis fuerunt defensores subtiliores, igitur esse fit ex eo quod est in potentia tale, non quidem actiua sed passiua. Lignum enim fit album ex non albo in potentia sicut patet, quot etiam sunt formæ tot sunt habilitat in materia, propter quod materia dicitur vna secundum substantiam, & multa secundum habilitates secundum Commentatorem quem adducunt.

Ad vltimum dicendum, quod ars & natura dicuntur differenter agere secundum philosophum & Commentatorem, sed hoc neminẽ compellit ad ponendum potentias actiuas in materia eo modo quo ipsi posuerunt. In solis enim animatis est hoc verum, quod principiũ sui motus actiuum est intrinsec⁹. In inanimatis vero hoc est penitus impossibile. Vnde *philosophus* 8. *physicorum dicit*, quod proprium est animatorũ moueri à seipsis. Si igitur quæratur, vtrũ differentia ista inter naturalia & artificialia debet intelligi quantum ad principium actiuum, vel quantum ad principium passiuum: neutrum dandum est, sed vtrunq; accidit. Sed hoc esset dãdũ, quod differẽtia habet intelligi ex parte artificialiũ de principio factionis, inquantum artificialia sunt ab arte, quod est quoddam principium actiuum. Ex parte autem naturalium similiter habet intelligi de principio generationis rerũ inquantũ naturalia sunt, scilicet de materia quæ in generatione quorundam vt inanimatorum,

Ad 5. 2. physic.

t. com. 17.

est

Digitized by Google

est principium passiuũ tantũ. In generatione vero animatorũ est principiũ passiuũ, sed etiã actiuũ, & ita non necesse est ꝙ intelligatur illa differentia quantũ ad idem genus principij vtrobique, sed aliquando ad diuersa genera principiorum, vt quando comparatur factio artificialium ad generationem animatorum. Licet autẽ in inanimatis nõ inueniatur principium motus nisi passiuum tantum secundũ philosophum, nihilominus dicitur motus naturalis propter habilitatem naturalem quæ eo in subiecto ad illam formam quę per motum inducitur, & per naturalem inclinationem quam habet mobile ad formam illam. Violentum enim est cuius principium est extra, quod fit contra naturalem inclinationem rei, sicut patet in motu lapidis sursum. Naturalis vero motus est, vbi inclinatio veri naturalis reperitur, quantumcunque principium effectiuum sit ab extra.

Item sciendum, quod ista potentia non potest per formam substantialem creari, sed potest virtute agentis causari, quod non possunt dicere qui ponunt eius essentiam in materia præexistere qualiter ab agente causetur sicut patere potest. Idem enim est principium productiuum formæ & proprietatis & virtutis formam illam consequentis, sicut patet. Idem enim principium productiuum est trianguli, & eius quod habet tres angulos &c. Et similiter animæ humanæ & suæ virtutis intellectiuæ & sic patet quasi de singulis. Cum igitur agens particulare possit in productionem

prop-

Digitized by Google

proprietatis cõsequentis ipsam formam substantialem, necesse est quod possit in productionem eiusdem.

Quia autẽ producatur, proprietas formę substantialis per agens particulare, patet in igne agente qui calorem inducit, sicut per sensum est manifestum, & sicut producit calorem in gradu vno, sic manifestum est quod facta maiori assimulatione in susceptibili, poterit producere maiorem calorem in gradu alio, & sic tandem in summo, quæ est proprietas & propria virtus ignis formam consequẽs, ergo necesse est ꝙ possit producere formã ipsã ignis, ꝙ & facit, quoniã in termino alterationis inducto summo calore, necesse est aerem vel aliud in quod agit ignis, corrumpi, & eadem necessitate necesse est ignem generari. Et sic patet qualiter forma substantialis per virtutem agentis particularis in esse producitur. Et hæc de quæstionibus vel materijs de veritate.

Digitized by Google

CORRECTORIVM CORRVPTORII DICTORVM S. THOMAE IN QVAESTIONIBUS DE ANIMA B. AEGIDIJ ROMANI.

ARTICVLVS I.

q. I. de anima vtrum anima possit esse forma & hoc aliquid.

EST de hoc quod dicit S. Tho. *q. I. art. I.* in responsione principali, vbi quærit, vtrum anima possit esse forma & hoc aliquid, quod idem esse animę communicatur corpori vt sit vnum esse totius speciei. Et *primo sententiarum dis.* 8. vbi quærit, vtrum anima sit simplex, *dicit hoc idem planius in responsione tertij argumenti scilicet quod hoc ipsum esse quod est animæ per se sit esse coniuncti, & quod non est ibi esse nisi esse ipsius forma.* Et in hoc idem dicitur in prima parte summæ, 70 q. art. I.

CORRVPTORIVM.

HAEc positio videtur nobis tendere ad errorem ad hoc sc. quod non fuit idem corpus Christi viuum & mortuum, neque alicuius alterius. Si enim non est aliud esse corporis vel coniuncti quā esse ipsius animæ, cum

mæ, cum omne esse sit à forma, sicut dicit philosophus *in 3. de anima*, & Boetius 3. *de Trinit.* post separationem animæ corpus habebit aliud esse. Conuenit enim vere dicere, hoc est corpus, nec tamen prædicatur esse animæ de hoc corpore quod constat esse corpus, ergo oportet de necessitate quod hoc corpus inquantum corpus hoc, aliunde habeat formã quam ab anima, quæ sola dedit esse corpori in coniunctione. Sed si hoc corpus inquantum hoc corpus aliam habeat formam post separationem quam ante, impossibile est quod sit idem numero corpus Christi secundum quod corpus, hoc autem damnatum est tanquam falsum. *t. com. 26.*

Præterea certum est quod corpus habeat esse antequam anima sibi vniatur, & postquam separata fuerit, ergo totum esse corporis & coniuncti non est esse animæ.

Præterea, in alijs compositis ex materia & forma, verbi gratia in elemẽtis, videmus manifeste compositum esse ex componentibus, quod tamen esse non est per se alicuius componentium, quia neutrum componentium habet esse per se, sicut corpus & anima, vt patet post separationem animæ à corpore, potest vere dici quod hoc est corpus, & constat quod tunc nõn prædicatur de esse animæ, nec aliud dicitur hoc corpus est, quam hoc est corpus. Si enim non esset corpus sicut non est homo, tunc non posset vere dici, hoc est corpus, quia non potest dici, hoc est homo, ergo si idem est corpus numero post

ſeparationem animæ quod ante, idem habet eſſe numero poſt ſeparationem quod ante, ſed hoc non poſſet eſſe ſi totum eſſe corporis, & cõiuncti eſſet ipſius animæ. Reſtat igitur hoc eſſe falſum. Iterum etiam *q.3.* quærit, vtrum intellect⁹ poſſibilis ſiue anima intellectiua ſit vna in omnibus. Et in reſponſione principali dicit, quod *hac anima ſit vnibilis huic homini vel illi multiplicat animas ſecundum numerum.* Et idẽ *in eadem q. in reſponſione 3. argumenti.* Et idem ſuper *primo ſententiarum diſ. 8. q. penultima in reſponſione penultimi argumenti.* Et idem dicit *prima parte ſumma q. 76. ar. 3. in reſponſione 3. argumenti,* & ibi hoc improbatum eſt.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

QVia illud idem eſſe animę cõmunicatur corpori, vt ſit vnum eſſe compoſiti, vt in pluribus locis S. Th. dicit, dictum eſt ſupra in reſponſionibus contra primã partẽ *ar. 2.* vbi ad obiecta contra hęc reſpõdetur.

Ad 1. & 2. *Ad illud vero quod hic dicunt de corpore Chriſti dicendũ,* quod ſi ipſi vellent dicere, quod aliud eſſet eſſe corporis Chriſti, & aliud eſſet eſſe animæ eius, & aliud eſſet eſſe perſonale, manifeſtum eſt quod ſumpto eſſe vt eſt act⁹ entis qui eſt exiſtere ſine ipſa rei exiſtentia, errare intolerabiliter inuenirentur, quoniam in Chriſto ponere plura eſſe, eſt ponere plura exiſtẽtia, & per conſequẽs plura ſuppoſita, quod eſt hæreticum. Si autem loquantur de eſſe quidditatiuo,

ditatiuo, sic esse formæ non est aliud secundũ rem ab ipsa forma: & ponere sic plura esse, nõ est aliud realiter quam ponere plures formas, & ponere vnum esse sic, est ponere vnam formam.

Qualiter autem sustineri valeat qualiter in homine sit vna forma substantialis tantum, licet corpus Christi viuum & mortuum sit idem numero simpliciter, non quidem ab vnitate formæ sed ab vnitate suppositi dictum est, *sup. in responsionibus ad obiecta contra primam partem, ar.* 31. & 32. vbi etiam declaratur via per quam ponitur quod corpus mortuum nec idem esse nec etiam eandem habet formam substantialem, cuius oppositum isti supponunt in his quæ contra S. Thom. in hac parte obijciunt. Vnde ponentes vnitatem formæ substantialis, dicerent quod nihil est penitus quod dicunt in hac parte.

Quod vero dicunt supra improbatum animam multiplicari secũdum numerum corporum, prout dicit S. Thomas in locis diuersis, dicimus vbi illi nisi sunt hoc improbare, ostensum est supra in responsionibus ad obiecta *contra primam partem, ar.* 30. quod eorum argumenta nihil concludunt contra S. Thomã. Etsi qua in eis videbantur apparentia, sicut patet intuenti, ibidem dissoluuntur euidenter.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

eod. q. in resp. ad 6.

DE hoc quod dicit S. Thomas eadem q. in responsione ad 6. argumentũ, quod *in his quæ sunt secundum esse separata à materia, non potest esse distinctio nisi secundum speciem.*

CORRVPTORIVM.

HOc est expresse contra illud quod fides tenet de sacramento altaris, de quo fideliter tenemus quod ibi est quantitas, albedo, sapor, figura separata ab omni materia, & quod ista accidentia differunt numero ab accidentibus similibus in alio altari.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

SI scirent viam per quam ponit S. Thomas accidentia in sacramento altaris remanere, & numeraliter in vno altari differre ab his quæ sunt in alio altari, quàm nihil hoc quod dicunt sit ad propositum, non vtique ignorarent, licet enim accidentia in sacramẽto altaris sint sine subiecto, & per consequens sine materia, non tamen sunt sine quantitate dimensiua, quæ est principiũ indiuiduationis & multiplicationis formæ eiusdem speciei. Cum enim de ratione quantitatis dimensiuæ sit

sit situs qui est conditio indiuidualis, de cuius etiam ratione est quod habeat in sui natura diuisibilitatem, manifestum est quod ex ipsa natura quantitatis dimensiuæ sumitur individuationis principium & dimensionis, ac per consequens multiplicationis indiuiduorum eiusdem speciei. Et hinc est quod licet accidentia in sacramento altaris sint sine subiecto & materia, ratione tamen quantitatis dimensiuæ remanentis sunt indiuidua & & indiuidualiter secundum numerum distincta. Istud declarat S. Thomas contra *Gentiles libro 4. cap. 65.* vbi sic dicit. *Hoc autem habet proprium quantitas dimensiua inter accidentia reliqua, quod ipsa secundum se indiuiduatur, quod ideo est, quia positio qua est ordo partium in toto, in eius ratione includitur. Est enim quantitas positionem habens, vbicunque autem intelligitur diuersitas partium eiusdem speciei necesse est intelligi indiuiduationem, nam quæ sunt eiusdem speciei non multiplicantur nisi secundum indiuiduum. Et inde est quod non possunt apprahendi multæ albedines nisi secundum quod sunt in diuersis subiectis, possunt autem apprahendi multæ lineæ si secundum se considerentur. Diuersus enim situs qui per se lineæ inest ad pluralitatem linearum est sufficiẽs. Et quia sola quantitas dimensiua de ratione sui habet vnde multitudo indiuiduorum in eadem specie possit accidere. Prima radix multiplicationis ex dimensione esse videtur, quia & in genere substantiæ multitudo fit secundum diuisionem materiæ, quæ nunquam intelligi posset nisi secundum quod*

S. Thom. Secunda gentes 4. cap. 65.

materia sub dimensionibus consideratur, nam remota quantitate, substantia omnis indiuisibilis est, vt patet per philosophum primo physicorum. Manifestum est autem quod in alijs generibus accidentium multiplicantur indiuidua eiusdem speciei ex parte subiecti, & sic relinquitur quod cum in sacramento ponamus dimensiones per se subsistere, & alia accidentia in eis sicut in subiecto fundari non oportet nos dicere quod accidentia huiusmodi non sint indiuiduata, remanet enim in huiusmodi dimensionibus indiuiduationis radix. Qualiter autem diuersimode materia sit principium indiuiduationis & quantitas dimensiua, declarat S. Thomas in summa *parte vlt. q. 77. artic. 2.* in responsione principali sic dicens, quod *cum subiectum sit principium indiuiduationis accidentium*, oportet quod *illud quod ponitur aliorum accidentium subiectum esse aliquo modo principium indiuiduationis.* Est *enim de ratione indiuidui quod non possit in pluribus esse, quod quidem contingit dupliciter. Vno modo quia non est natum in aliquo esse, & hoc modo formæ immateriales per se subsistentes sunt & per se indiuiduæ. Alio modo ex eo quod forma substantialis vel accidentalis est quandoque nata esse in aliquo, non tamen in pluribus sed in vno solo sicut hæc albedo quæ est in hoc corpore.*

1. com. 11.

Quantum igitur ad primum materia est principium indiuiduationis omnibus formis inhærentibus, quia cũ huiusmodi formę quãtũ est de se natę sunt esse in aliquo sicut in subiecto, ex quo aliqua earũ recipitur in materia

quæ

quæ non est in aliquo, nec ipsa forma per se subsistens sic potest in alio esse.

Quantum autē ad secundum dicendum est, quod indiuiduationis principium est quantitas dimensiua, ex hoc enim aliquid natum esse in vno solo, quod illud est in se indiuisum & diuisum ab omnibus alijs. Diuisio autem accidit substantiæ ratione quantitatis, vt dicitur, *primo physicorum*. Et ideo ipsa quantitas dimensiua est quoddam indiuiduationis principium huiusmodi formis, inquantum scilicet duæ formæ numero sunt in diuersis partibus materiæ vnde ipsa quantitas dimensiua secundum se habet quandam indiuiduationem. *1.com. 15.*

ARTICVLVS III.

DE hoc quod S. Thomas, *q.* 7. vbi quærit, vtrum Angelus & anima differunt specie. *In responsione principali vult, quod non solum Angeli omnes ab anima, sed etiam omnes ab inuicem differunt specie.* Et in responsione quinti argumenti dicit, *quod intelligere diuersorum Angelorum non est eiusdem speciei, & ad hoc innuit talem rationem. Hoc* inquit *remoto quod Angeli non sunt forma corporum sicut anima. Si non sint compositi ex materia & forma non remanet Angelorum ad animam vel adinuicem nisi formalis differentia,* *q.7. an Angelus & anima differant specie.*

formalis autem differentia speciem variat, vnde forma est quæ dat speciem, & sic relinquitur quod non solum Angeli ab animabus, sed ab inuicem differunt specie. Si quis autem ponat quod Angeli sint compositi ex materia & forma, & similiter anima, adhuc hoc non potest stare. Si enim tam in Angelis quam in anima sit materia, oportet quod illa sit vna de se sicut omnium corporum materia de se est vna, diuersificata tamē secundum formam, & si est de se vna, oportebit omnino quod illius vnius materia in communi sit principium distinctionis Angelorum ab inuicem, & ab anima, sed diuersitas materiæ ante receptionem formæ quæ secundum diuisionem materiæ multiplicatur non potest intelligi fieri præter diuisiones quantitatiuas. Si enim talis diuersitas praexistebat in materia animæ vel Angeli, sequitur quod anima, & Angeli sint compositi ex materia corporea: quod nullus dicit. Si vero materia eorum non sit vna sed diuersorum ordinum, hoc non potest poni nisi secundum ordinem ad formas diuersas, sed talis diuersitas ordinis exigit formas diuersarum specierum, ergo adhuc Angeli ab anima & ab inuicem differunt specie.

CORRVPTORIVM.

QVod angel⁹ ab anima differat specie hoc concedimus sed de Angelis omnibus ab inuicem hoc negamus. Vnde Dam. *in logica sua cap.* II. *de substantia & natura, &c.* Eximiores inquit *philosophi naturas vocauerunt species specialissimas Angelum & hominem equum & asinum, & similia, vt vniuersaliores & constitutiue hypostasum.*

sum. Et infra *eo.c. Sancti patres dimittentes multas contentiosas garrulitates commune quid & de multis dictum, id est, specialißimam speciẽ substantiam & naturam vocauerunt, vt Angelum, equum & canem.* Ecce teste Dam. tam secundum philosophos quam secundum sanctos patres, Angelus est species specialissima. Et infra *cap. 29. de persona Gabrielis. Cum sancta Dei genitrice disputans vnus Angelorum, existens solus illic præsens, disputat separatus à consubstãtialibus Angelis per eam qua in loco est præsentiam & disputationes.*

Ad argumentum dici potest, quod non est vna communis materia spiritualium sicut corporalium. Materia enim corporalium dicitur vna & communis secundum primam significationem quæ est, quod commune dicitur quod in partes diuiditur, & hoc modo totum commune est, sed partes eius sunt singulariũ & singulorum, vt punctus, factus, vt distinguit Boetius quatuor acceptiones communis in principio, super prædicamenta, & hoc modo materia corporalis dicitur communis, quia ex alia & alia parte eius fiunt corporalia singularia, ita quod nequaquam quodlibet ex tota, & hæc est diuisio quantitatiua propter quã fieri possunt multa indiuidua vnius speciei in corporalibus, talium autem communitatem & talium diuisibilitatem non ponimus in materia spiritualium, sed potius vnumquodque indiuiduum in spiritualibus causari simul scilicet quantum ad materiam & quantum ad formã & totam materiã in vnoquoq; compræhendi, & propter hoc plures possunt

Digitized by Google

esse sub vna & eadem specie, licet materia non sit diuisibilis secundum quantitatem dimensiuam, quæ est tota multiplex secundum numerum, quando igitur philosophus dicit, quod non possunt esse plures mundi, quia mundus constat ex tota sua materia dictum suum intelligibile est secundum suam opinionem quam habet de materia, scilicet quod materia est ingenerabilis & incorruptibilis. Hoc posito non est possibile ponere plures mundos esse. Sed certe si ipse credidisset sicut veritas est, materiam corporalem totius mundi fuisse creatam, & eodem modo Deum posse creare secundam & tertiam nunquam negasset positionem plurium mundorum quamquam iste mundus occuparet totam materiam primo creatam, quia multæ materiæ similes illi creari possent. Eodem modo dico in spiritualibus, vnde dico quod in illis multitudo indiuiduorum non est per hoc quod vnum habet partem materiæ spiritualis & diuisam ab alia, quia materia spiritualis cum non sit quanta non est diuisibilis in partes quantitatiuas, sed vnumquodque habet materiam suam totam in se, non tempore sed origine præcedentem. Vnde S. Augustin. *super Gen. ad litteram, cap. 21. li. 2.* ponit hoc exemplum de centro imaginem de centro circuli exire in finitas lineas, constat quod quælibet earum à centro est ducta ad circumferentiã, & quod centrum est vnus, & idem punctus terminans lineas oẽs, diuiduntur tamen oẽs ab inuicem secundum punctum sicut prius,

1. cæli, t. com. 76. & 79. & 1. com. 98.

& illud

& illud est quod erat prius, & hoc non posset esse nisi vnus & idem punctus factus esset multa puncta, & tamen non conuenit dicere quod ille punctus terminatus dum continuat omnes lineas illas esset diuisibilis in partes dimensiuas siue quantitatiuas, sed diuisibilis per habitudinem & ordinem ad diuersas formas, sed est vnum & indiuisibile secundum materiam, & sic multa indiuisibilia secundum potentiam, vnde ad formam argumenti cum dicit, *quod oportet materiam spiritualium ad hoc quod possit esse causa multiplicationis sub positorum sub vna forma habere diuersas partes quantitatiuas ad diuersas formas.* Respondendum est per interemptionem, quod nec sic nec sic, sed sufficit quod eadem ratio possit multiplicari secundum numerum, & sit multa in potentia.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

AD ea quæ hic obijciuntur responsum est supra in responsionibus ad obiecta *contra primam partem summa ar.* 10. vbi & responsio eorum ad argumenta S. Thom. euacuatur. Quod autem respondent ad dictum philosophi de vnitate mundi, nihil est ad propositum, planum est enim quod materia mundi quo ad plures eius partes quantitati dimensiuæ est subiecta, vnde habere contingeret intelligere diuisionem materię partium mundi de nouo creatarum ratione quantitatis

tis dimensiuæ consimilis, quam diuisionem non contingit in sola materia inuenire omni quantitate circumscripta qualis poneretur in Angelis si materia aliqua esset in eis. Iterum supposito quod aliqua materia sit occupata totaliter à sua forma nihilominus posset distingui ab alia materia, eiusdem rationis vbi quantitas dimensiua posset inueniri, sicut si Deus in esse produceret plures soles, sed hoc non potest poni in materia Angeli quæ posset fingi totaliter à sua forma occupata, quia nulla huiusmodi quantitas etiam ab ipsis fictoribus fingitur in eadem.

Quod vero dicunt de puncto centrali nec vbi dicunt nec alibi ab S. Augustino ad istam materiam inueni applicatum, sed esto quod S. Augustinus ponat multas lineas in centro terminari, nunquam tamen ponit quod veritati aduersatur, quod idem punctus centralis per hoc numeretur. Est enim idem punctus re solum variatus ratione ex diuersa sua habitudine vt patet per *philosophum* 2. *de anima*, vbi per hoc exemplum sensus communis declarat vnitatem.

t. com. 13.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

DE hoc quod S. Thomas, *q. 8.* vbi quærit, vtrum anima rationalis tali corpori debeat vniri. In responsione, 3. *argumenti sustinet, animam intellectualem esse aliquam perfectionem corporis cælestis vt forma, quæ quidem potentiam intellectiuam habet, non autem sensitiuam, vt ex verbis Arist. colligi vel accipi potest.* Et in responsione quarti argumenti dicit, *quod sicut per naturam suam omnes intellectuales substantiæ possent peccare, tamen ex electione diuina & prædestinatione per auxilium gratiæ plures fuerunt conseruatæ ne peccarent.* *q. 8. an anima rationalis tali corpori debeat vniri.*

CORRVPTORIVM.

AD hanc positionem videtur inductus fuisse tali ratione quæ dicebatur à respondente. Corpus humanum quamuis sit elementatum, ex hoc tamen quod est redactũ ad æqualitatem commixtionis, habet similitudinem cum cælo, quod omnino elongatum est à contrarijs, & inde est sic nobilitatum vt anima rationalis possit consequenter vniri. Et hanc materiam in parte videtur tangere Auicenna *in sexto naturalium, parte 8. articulo quinto. Complexioni* inquit *quæ magis*

accessit

Digitized by Google

accesßit ad medium erit complexionatum & magis fiet aptum ad recipiendum augmentum perfectionis vitæ. Cum vero aptißimum fuerit, ita vt contraria æqualiter sunt in eo & æqualiter operentur, ad aptabitur perfectioni vitæ rationalis vel vitæ cælestis. Hæc autem aptitudo est à spiritu humano.

Et idem dicit *parte vltima cap. vltimo.* Et ex hoc formatur talis ratio. Si nobilitas corporis humani in hoc consistit quod vniatur & assimiletur corpori cælesti, videtur quod corpus cæleste nobilius sit; & propter hoc cum perfectio debet proportionari perfectibili, corpus cæleste debet habere nobiliorem perfectionem quam sit anima rationalis.

2. t. com. 17. & alibi. Reuera opinio videtur philosophi, quod corpora cælestia sint animata, vt patet *libro* de cælo *& mundo.* Et Auicenna & omnes peripatetici idem dicunt. Et S. Augustinus etiam de hac materia dubitare videtur in enchiridion, *Certum* inquam *non habeo vtrum ad societatem Angelorum pertineant sol & luna & cuncta sydera, quamuis nonnulla esse lucida corpora; non tamen sensibilia vel intelligentia videantur, tamen tenendum est corpus cæli non est animatum.* Vnde Dam. *libro 3. cap. 6. Nullus cælos animatos vel luminaria existimet. Inanimati enim sunt & insensibiles, cælum, terra, lapis vitam non habent, & tamen in Deo vita sunt.* Signum ad hoc videtur quod diximus homo totus diuinus ab Apostolis eruditus præcipue à Paulo vsque ad *cælũ* rapto, qui cum omnem dispositionem hierarchiæ Ecclesiasticæ & Angelicæ vel cælestis tradidit, nunquam tradidit de dispositione stellatis

Digitized by Google

stellatis hierarchiæ. Si autem cæli essent animati, certe essent hierarchici, & si essent, non saltasset Dionysius à hierarchia Angelica ad Ecclesiasticam, nisi tangeret aliquid de stellari. Neque aliquem moueat ita quod dicat quod Dionysius de cælesti hierarchia loquitur, quia absque dubio cælestem vocat Angelicam.

Item si cæli essent animati, constat quod sicut illa corpora sunt nobiliora nostris, ita proportionabiliter anima eorum esset nobilior anima nostra, & per consequens cæli essent nobiliores hominibus, & ita cum nobilius non sit propter ignobilius, non essent corpora cælestia creata propter homines, cuius contrarium scribitur Deuter. 9. *Ne inquit eleuatis oculis in cælum videas solem & lunam & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea & colas quæ creauit Deus in ministerium cunctis gentibus quæ sunt sub cælo.*

Ad rationem dici potest, quod corpora cælestia nobiliora sunt corporibus animalium secundum quid, inquantum illa incorruptibilia sunt, hæc autem corruptibilia, simpliciter autem econuerso est. Omne enim animatum ordine naturæ est nobilius inanimato, & omne corpus (vt ita dicã) animale est nobilius inanimali. Et quod dicit quod elongatio à contrario vel per naturam vt quinta essentia, vel per accessum ad temperamentum & æqualitatem commixtionis est adaptatio corporis ad recipiendum formam perfectiorem, videtur non esse verum simpliciter loquendo.

Digitized by Google

Huius autem signum habemus in partibus corporis, constat enim quod corpus & spiritus sunt aptiora ad perfectionem vitæ suscipiendam ab anima quam caro vel cutis, & tamē caro & cutis magis accedunt ad temperamentum quam cor & spiritus, sicut dicit Auicenna *in primo canone cap. 3. de commixtionibus membrorum* sic inquiens. *Quod autem in corpore est calidius est spiritus & cor à quo procedit.* Et in cap. præcedenti ita dicit his verbis. *Iam manifestum sit quod membra principalia non sunt æqualitati recta multum propinqua, immo oportet quod caro secundum quod caro sit membrum æqualitati propinquius quam cætera membra cutis tamen carne propinquior.*

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

POsitio illa quod cæli sunt animati, à S. Thoma nec hic nec alibi affirmatur, ipse enim hæc sub dubio derelinquit sine aliqua affirmatione, quod patet per verba eius in huius quæstionis determinatione, postquā enim dixit quosdam philosophos & Doctores Catholicos posuisse cælos animatos, & S. Augustinum hoc sub dubio dereliquisse. Dama. oppositum asserente subiungit, quod hæc positio apud modernos Theologos conuenientior est, quod cæli non sunt animati, sicut dicit Dama. super quo hæsitauit S. Augustinus *super Gen. lib. 1. cap. vltimo, & in enchi. 41.* Cuius exemplo etiam S. Thomas hoc sub dubio

dubio derelinquit *lib. 2. contra Gentiles cap. 69.* sic dicens *Hoc autem quod dictum est de animatione cæli, non diximus quasi asserendo secundum fidei doctrinam ad quam nihil pertinet siue sic siue aliter dicatur.* Vnde S. Augustinus *in ench. nec illud quidem certum habeo vtrum ad societatem Angelorum pertineant sol & luna & cuncta sydera, quamuis nonnulla lucida esse corpora, non tamen sensibilia vel intelligentia videantur.* Ecce Doctor noster egregius eximio Doctori beato Augustino sic in hoc articulo se coniungit, vt vnus sine alio nequeat reprehendi. Quando igitur isti sibi imponunt, quod ad hanc positionem quadam ratione quam ipsi explicant fuerit inductus, manifestum est quod falsum dicunt, quod patet ex verbis eius in huiusmodi quæstionis responsione vbi ait. *Hoc pro firmo tenentes dicimus quod corpora cælestia ab aliquo intellectu mouentur saltem separato propter argumenta, tamen vtramque partem sustinentes dicamus, &c.* Ecce nullum argumentum ad alteram partem opinandam induxit cum rationes ad vtramque partem dissoluat.

Rationes autẽ quas ipsi hic ponunt parum valẽt. Ad. 1

Ad primam igitur Dionysij dicendum, quod Dionysius loquens de hierar. Angelica satis determinauit de intellectibus quibus cæli animantur, cum illi si qui tales sunt pertineant ad societatem Angelorum secundum Augustinum, vnde non oportuit hoc sanum aliquem imaginari.

Ad 2. cũ dicunt corpora cælestia esse propter hominem, ex quo videtur quod homo sit nobilius ipsis. Ad 2.

 Dicen-

Dicendum quod hoc non ſequitur, Conſtat enim *quod Angeli ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Nec tamen ſequitur quod homines pro quibus mittuntur ſint ipſis nobiliores.

Item poſſet dici quod homo eſt nobilius quã illud quod oculo corporali in corporibus cæleſtibus poteſt perpendi, quod vtique cedit hominibus ad vtilitatem, vnde ideo præcipitur in ſcriptura illa, ne horum conſideratione aliqua corpora illa adorent. Rationi vero illi non oportebat eos tam ſtudioſe reſpondere, cum S. Thomas eam non ponat, nec illi vllatenus innitatur.

ARTICVLVS V.

q. 9. an anima vniatur materia corporali.

DE hoc quod S. Thomas q. 9. vbi quærit, vtrum anima rationalis vniatur materiæ corporali per medium? dicit in reſponſione principali, *quod eadem numero forma eſt per quam res habet quod ſit in vltima ſpecie ſpecialiſſima & in intermedijs generibus omnibus,* & infra. *Non eſt* inquit, *aliqua forma media inter animam & materiam primam, ſed homo ab ipſa anima perficitur ſecundum diuerſos gradus perfectionis, vt ſit corpus & animatum & rationale.* Et infra ſic. *Igitur anima vt*

ma vt est forma dans esse, non habet aliquod mediũ inter se & materiam primam. Simile dicit *in responsione, 5. argumenti.* Et infra, vtrum in homine anima rationalis & sensibilis & vegetatiua sint vna substantia. Et infra, *q. 3. in responsione principali* dicit *quod nulla forma substantialis vnitur materia mediante alia forma substantiali.*

CORRVPTORIVM.

HAEc positio quantum ad hoc quod negat gradum formarum reprobata est superius in prima parte.

Praterea, hoc quod dicit quod nulla forma substantialis vnitur materiæ mediante alia forma substantiali, sed omnis forma substantialis vnitur materiæ primæ immediate est contra Commen. vt videtur, qui dicit super 2. *phys. super particulam illam* quæ dicit, *& quacunque istorum sit vnus modus. Nam est materia prima subiecta omnibus formis, quoniam non est composita ex materia & forma.* Item simile huius dicit circa, 11. *meta.* super illud, *dubitandum videlicet est, quodlibet* inquit *ens habet cum materia ente materiam primam.* com. 26.

Item *q. 11.* vbi quærit, vtrum anima rationalis, sensibilis & vegetabilis sit vna substantia: In responsione principali dicit. *Relinquitur ergo quod in homine sit tantum vna anima secundum substantiam qua est rationabilis, sensibilis & vegetabilis, & hoc consequens est ei quod ostendimus in pracedentibus de ordine formarum substantialium, quod nulla forma vnitur materia mediante alia forma substantiali, sed forma perfectior dat quicquid dat forma imperfectior & amplius. Vnde*

Digitized by Google

anima rationalis dat corpori humano quicquid dat anima sensibilis brutis & vegetabilis plantis. Hæc positio licet inquantum negat gradum formarum improbata sit superius, verumtamen quia prædictam passionem conatur munire rationibus, tentandum est eas dissoluere. Dicit ergo *in responsione principali eadem q.* parum supra, *Si dicatur, homo est animal, animal est corp⁹, corpus est substantia, erit per accidens, & quod homo non est vere illud quod est animal per se.* Et ita sequitur aliud inconueniens ex pluribus actu existentibus non fit vnum simpliciter, nisi sit aliquod vniens, & aliquo modo ligans ea adinuicem. Si ergo secundum diuersas formas sortes est homo & animal, indigerent hæc duo ad hoc quod vnirētur simpliciter aliquo quod faceret ea vnum. Vnde cum hoc non sit assignare, remanebit quod homo non erit vnum nisi aggregatiue, sicut aceruus qui est secundū quid vnum & simpliciter multa. Et ita aliud inconueniens sequitur quod anima rationalis sit accidentalis forma, quod sic declarat. Cum genus sit speciaale prædicatum, oportet quod forma secundum quam indiuiduum habet prædicationem generis sit forma substantialis, & ita oportet quod forma singularis secūdum quam sortes dicitur animal sit substantialis in eo, & sic necesse est quod det esse simpliciter corpori, & faciat ipsum hoc aliquid. Anima igitur rationalis si est alia secundum substantiam, cum adueniat ei iam subsistenti, vnde non erit forma substantialis sed accidentalis, & sic non dabit esse specificum.

Hæc

Digitized by Google

Hæc inconuenientia vel rationes confirmant positionem de vnitate formæ in composito.

Ad primũ ergo dicendum, quod illud est in formis non habentibus ordinem essentialem adinuicẽ, sicut est albũ & musicũ, & huiusmodi. In formis autẽ habentibus specialẽ ordinem adinuicẽ secundum magis perfectũ & minus, fallit tã in accidentalibus quã in substantialibus. Si enim nix vel sortes est albus, sortes est coloratus, & essentiali prædicatione album est coloratum, similiter in substantialibus, sortes est homo, & homo est animal, ergo sortes est animal.

Ad secundũ dicendũ, quod ex pluribus existẽtibus in actu non fit vnũ, verum est quando actus ita completus est, quod non est in potentia ad vlteriorẽ perfectionẽ. In formis autem substantialibus adinuicem ordinatis, formæ generaliores & si aliquo modo sint actu & cõpletiuæ tamen sunt imperfectæ & in potentia respectu vlterioris complementi per formas minus vniuersales vsque ad formam specialissimam. *Ad 2.*

Et cum addit, *si secundum diuersas formas sortes est homo & animal indigerent, &c.* Dicendum quod vna illarum formarum prior scilicet est in potentia & quasi materialis respectu formæ vlterioris vel posterioris, materialis inquam non secundum se, sed secundum quod disponit materiam, & adaptat respectu formæ posterioris. Ideo sicut materia & forma vniuntur sine medio vniente ea, sicut dicit *philosophus quarto metaphysica.* *Ad 2.*

Digitized by Google

ita illæ formæ non indigent aliquo medio veniente eas,

t.com. 27.

Ad 3.

Ad tertium inconueniens scilicet quod anima rationalis est forma accidentalis, &c. Dicendum quod non omnis forma substantialis aduueniens alicui dat ei esse vltimum & completum in specie specialissima, quod expresse argui potest, ex eo quod philosophus *dicit 16. de animalibus*, scilicet quod embrio nō est simul animal & equus, alioquin forma per quā embrio est equus, cum prius tempore sit animal, esset forma accidentalis, quod constat esse falsum.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

VErum est quod hanc positionem supra reprobauerunt *art. 31. contra primam partem*. vbi via est declarata, quod argumenta eorum sunt nullius momenti, & responsiones eorum ad argumenta S. Thomæ multa impossibilia includere concluduntur. Quia vero rationes quas afferunt hic in nullo realiter ab illis differunt, nihil quippe reale addunt, per ipsa eadem quæ ibi habentur poterunt improbari.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

DE hoc quod S. Th. *dicit q. 14.* vbi quærit de immortalitate animę. Et in responsione principali dicit, *sic manifestum est quod principium scilicet anima de qua loquitur, non est composita ex materia & forma, quia species in ea recipiuntur immaterialiter, quod declarat ex hoc quod intellectus est vniuersalium, quæ abstrahuntur à materia & à conditionibus materiæ.*

Itē q. an anima rationalis sit creata in corpore vel extra corpus. In responsione principali dicit, *quod anima non est composita ex materia & forma.*

CORRVPTORIVM.

HAEc positio videtur esse contra fidem, nam quod nullam habet materiam nullius transmutationis est susceptiuum, ergo si anima non habet materiam non transmutatur de vitijs ad virtutes, nec econuerso, nec de gratia ad gloriam, nec de tristitia ad lætitiam, nec *de aquis niuium ad calorem nimium Iob.* 24. Vnde S. August. 7. *super Gen. ad literam cap.* 10. *Si quoddam immutabile esset anima, nullo modo eius materiam quærere deberemus, nunc autem eius mutabilitas indicat eam interim vitijs & fallacijs* *De immortalitate animæ.*

 defor-

deformē reddi, formari autem virtutibus virtutisq; doctrina. Et infra *ibidem libro* 25. *cap.* 8. loquens de materia animæ *quam* inquit *formationem suam non tempore sed origine præcederet*, quod *nisi de materia spirituali facta anima congruentius creditur.*

Præterea lib. 5. *super Gen. cap.* 8. expresse dicit S. Aug. materiam esse corporalem & spiritualem. Ait enim. *Non temporali sed causali ordine prius facta est informis formalisque materies, & corporalis & spiritualis, de qua fieret quod faciendum esset.* Hæc S. Aug. Vnde dicta positio videtur fauere sexto errori de Angelis condemnato, *qui est quod in abstractis substantijs nulla est possibilis transmutatio, nec sunt in potentia ad aliquid quod æterna sunt & immunes à materia.*

Præterea si non haberet materiam & esset forma tantum, nihil pateretur, dicente *philosopho primo de genera*, quod materiæ est pati, & ibidē, *materia secundum quod materia passiuū est.*

Præterea si est forma simplex nullius accidentis esset subiectum, & ita nec reciperet vitium nec virtutē nec pœnam nec beatitudinem, dicente *Boet. de tri.* 13. *cap. neque Deus fieri potest subiectum forma enim est*, formæ *autem subesse non possunt.* Nam quod formæ subiectæ sunt accidentibus vt humanitas, non ita accidentia accipit in eo quod ipsa est, sed in eo quod sibi ita materia subiecta est, dum enim materia subiecta humanitati suscipit quodlibet accidens, ipsa humanitas suscipere videtur, forma enim quæ est sine materia subiectum esse non poterit. Hoc etiam patet per ratio-

Digitized by Google

rationem sic. In omnibus quæ ordinate agunt, secundum agens non agit nisi in virtute primi agentis, quoniam plus agit in causatum quam secundum agens, vt habetur libro de causis, ergo similiter in patientibus nihil patietur nisi in ratione primi passiui. Sicut autem forma est primum principium siue prima ratio agendi. Omne enim quod agit per formam suam, agit ita primum principiū vel prima ratio patiendi est materia, ergo sicut illud quod caret omni forma non agit ita, scilicet anima si caret omni materia non patietur.

Ad rationem positionis dici potest, quod hæc consequentia non tenet. Species recipitur in intellectu immaterialiter, ergo est immaterialis. Instantia manifesta est in omni sensu & imaginatione, sensus enim est susceptiuus specierum sine materia, & tamen non est immaterialis, sed constat quod sunt virtutes in materia. Oculus enim pupilla est & visus, vt *dicit philosophus 2. de anima.*

Præterea si oportet intellectum & animam assimiliari conditionibus rei quam recipit, ergo quando recipit abstracta ab hic & nunc, & ab omni differentia loci & tēporis, tunc nō alicubi & aliquando est, quod est impossibile. Restat igitur quod ista consequentia non valet.

Adhuc alio modo ostenditur, quod ratio positionis nō cogit. Nā abstractū à materia & à cōditionibus eius, potest intelligi dupliciter, sc. quia vel *ꝙ* intelligitur, intelligitur in sua

natura

tura non completa, vel absque materia & cõditionibus materię consideratur. Primum est falsum, nam obiectũ intellectus est quid vel
3.com.9. & 10. quidditas, *vt habetur 3. de anima & 4. Metaphys.* versus finẽ ab Auicenna vbi & additur, quod
7.com.28. *quidditas rei qua intelligitur, non est materia neq; forma: sed compositum complectens materiam & formam.* Secundum etiam simpliciter non est verum. Nam licet intellectus abstrahat à materia vt à corporali dimensione, non tamen ab omni.

Praeterea nullum inconueniens est, quod vniuersale abstractum à materia corporali sit in intellectu habente materiam spiritualem & intelligibilem. Nam vt dicit Auicenna. 6. *Metaphysica*, loquens de vniuersali forma quæ respectu indiuiduorum est vniuersalis respectu animæ cui imprimitur indiuidualis est & singularis est. Cum igitur singulare non repugnat materiæ & vniuersale secũdum quod est in anima est indiuidua forma & singularis, vt iam dixit Auicenna, nullum est inconueniens intellectum habere materiam propter hoc quod recipit vniuersale.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

TOtum quod hic dicũt innititur cuidam falsitati qua fingũt quandam materiam spiritualem, ex qua cum forma Angelus & anima componantur, quam nunquam philosophus posuit nec etiam S. Augustinus de huius-

Digitized by Google

huiusmodi materia intellexit vbi materiæ spiritualis mentionem fecit, immo sicut dictum est supra in responsionibus ad obiecta contra primam *partem art.* 10. materiam spiritualem nominauit naturam Angelicam nõdum gratia & gloria perfectam sicut *per tex. S. Aug. probatur ibidem*, vbi etiam declaratur qualiter nulla forma in materia circũscriptis dimensionibus indiuiduatur, cuiusmodi tamen formam habet materia illa spiritualis quam fingunt, vnde cum verba eorum huic fictioni innitatur sufficienter, ex hoc falsitati obnoxia comprobatur.

ARTICVLVS VII.

DE hoc quod S. Th. *q.* 15. vbi quęrit vtrum anima separata possit intelligere. In responsione principali dicit sic. *Substantiæ spirituales quanto vnaquaque est altior tanto habet pauciores formas & virtutem magis potentem ad intelligendum omnia per formas paucas.* Simile huic dicit in respõsione 20. *q.* quæ est, vtrum anima separata cognoscat singularia, & *idem in responsione* 5. *argumenti*, & de veritate, *q.* 8. *art.* 14. quæ est vtrum Angeli cognoscant multa. Et in responsione principali dicit sic. *Quilibet Angelus eadem forma intelligit multa, ad minus omnia singularia eiusdem speciei. Superiores vero Angeli plura possunt vna specie intelligere quam inferiores, quia per paucas for-*

Digitized by Google

formas plura possunt perfecte & distincte intelligere.

CORRVPTORIVM.

ISTud falsum videtur, nam si hoc esset possibile, cum hoc sit nobilitatis maximæ, deberet hoc Deo conuenire, cuius contrarium dicit S. August. *in epistola ad Nebridium* quæ sic incipit. *Recentissimis mihi* &c. quod *ad hominem faciendum attinet hominis quidem tantum non meam vel tuam ibi esse rationem. Quantum autem ad orbem temporis, varias hominum rationes in illa sancta Trinitate viuere.* Ecce quod præter formas vniuersales S. Aug. ponit in Deo formas vel rationes singulariũ.

Præterea demus aliquem numerum formarum per quem summa intelligentia intelligit omnia intelligibilia siue cognoscibilia, verbi gratia, centum formas constat quod Deus innumerabiles intelligentias & superiores gradatim super istam nobilissimã creare potest, ergo si secundum nobilitatem graduum decrescat numerus formarum per quas intelligentia intelligit, erit deuenire ad aliquam intelligentiam quæ intelligit plura, immo omnia quæ intelligit per vnam solam formam, & aliæ superiores vel intelligunt sine aliqua forma, quod est inconueniens. Si c enim excederent Deum (vt videtur) in nobilitate intelligendi, vel intelligerent per vnam, & tunc inferiores erunt pares superioribus quantum ad hoc, quod est inconueniens etiam secundum suam perfectionem.

RES-

Digitized by Google

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

AD hæc vero quæ hic objjciuntur, ſuperius patet ſolutio in reſponſione ad obiecta *contra primam partem ar.* 20. & quia nihil aliter adducunt, ideo nihil nouum apponere decreuimus.

ARTICVLVS VIII.

DE hoc quod S. Tho. dicit, *q.* 15. vbi quærit: vtrum anima ſeparata poſſit intelligere? *In reſponſione duorum vltimorum argumentorum, ſcientia in anima nata eſt cauſari à phantaſmatibus ſecundum ſtatum quo eſt corpori vnita, ſecundum quem ſtatum non poterit cauſari à ſuperioribus agentibus tãtum.* Et ſtatim in reſponſione ſequenti dicit, *quod ex hoc quod ſcientia ſubſtantiarum ſeparatarum non eſt proportionata animæ, non ſequitur quod nullam intelligentiam ex earum influxu capere poſſit, ſed ſolum quod non poßit capere perfectam & diſtinctam vt dictum eſt.*

CORRVPTORIVM.

PRimum videtur erroneũ, quia videtur derogare diuinæ potentiæ, quaſi Deus non poſſit dare ſcientiam prophetalẽ alicui, vel etiã ſcientiã vniuerſalẽ & ſpecialẽ, ꝙ conſtat eſſe falsũ. Immo poſſet De⁹

alicui

alicui cæco à natiuitate dare scientiam colorum & aliarum intentionum visibilium. Cōstat enim quod Deus multo plura potest per semetipsum quam natura per ministerium suum.

Secundum etiam videtur falsum, quia prophetæ in reuelationibus sibi factis perfectam & distinctam præscientiam futurorum, & scientiam occultorum recipiunt, vel immediate à Deo, vel mediantibus Angelis, & hoc siue in somnis siue in vigilijs.

Responsio etiam sumpta ex improportione scientiæ non cogit, quia agens à proposito nō agit proportionabiliter secundum dispositionem suam sicut agens naturale, sed secundum beneplacitum arbitrij. Gigas enim qui & de excellentia potestatis suæ possit tenere taurū vel dextrarium quod non euaderet, potest adeo tenuiter tenere arietem si vult quod euadat. Exemplum est Anselmi de originali peccato. Constat autem quod Deus & Angeli infundendo scientiam agunt à proposito, & ideo ratio non valet.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

Ad 1. DIcere quod aliquid conueniat rei naturaliter, ita quod saluo naturæ ordine non possit aliter contingere, non derogat diuinæ potentiæ quæ potest super naturę ordinem, propter quod ad primum patet solutio.

Scien-

Sciendum etiam est, quod in reuelatione facta prophetis, communiter seruatus est ordo naturæ patet enim quod in eis formabantur imagines rerum sensatarum, licet forte alicui facta fuerit reuelatio alio modo, sicut S. Paulo rapto, & sic per hoc patet solutio ad secundum. *Ad 2.* *2. Cor. 12.*

ARTICVLVS IX.

DE hoc quod S. Thom. q. 18. vbi quærit: vtrum anima separata cognoscit omnia naturalia. In responsione 2. *argumenti dicit*, quod *in illis qui scientiam aliquorum naturalium acquisierunt in hac vita erit determinata cognitio in speciebus eorum* quæ *hic acquisierunt, aliorum vero confusa & vniuersalis.* *q. 18. an anima omnia naturalia cognoscat.*

CORRVPTORIVM.

SI intelligat de omnibus actionibus naturalibus falsum est & videtur erroneum, constat enim quod animæ beatorum aliqua naturalia cognoscent in verbo, quorum cognitionem hic non acquisierunt, cognitio autem rerũ in verbo est perfectior & certior, & per consequens non confusa sed specialis & distincta, etiam magis quam rerum cognitio vespertina, & quam aliqua cognitio acquisita hic per experientiam sensuum vel doctrinã.

Digitized by Google

Praeterea, tunc vacantes ſtudio & ſcientiæ perfectiorem ſcientiam haberẽt in patria quã illi qui vacant charitati & pietati, quod falſum videtur, quia plus remunerabitur charitas & pietas, quam ſcientia & ſtudium ſciendi.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

QVOD hic dicit S. Th. non habet intelligi de notitia rerũ in verbo, ſed de notitia rerum quodammodo naturali ipſi animæ ſeparatę prout patet intuenti, vnde obiectiones non ſunt contra eum, & mirum eſt quod viriliter contra eum tam ſuperficialiter arguere voluerunt.

ARTICVLVS X.

q. 20. An cognoſcat ſingularia

DE hoc quod S. Th. *q.* 20. vbi quęrit, vtrũ anima ſeparata cognoſcit ſingularia: In reſponſione primi argumenti dicit, quod *intellectus noſter nunc cognoſcit per ſpecies à rebus acceptas quæ abſtracta ſunt à materia, & ab omnibus conditionibus materiæ, & ideo non poteſt cognoſcere ſingularia, quorum principium eſt materia.* Et in prima parte, *q.* 56. *art.* 1. *in reſponſione* 2. *argumenti* dicit, *quod ſingularium quæ ſunt in rebus materialibus nõ eſt intellectus apud nos, non ratione ſingularitatis, ſed ratione materiæ quæ eſt in eis indiuiduationis principium.*

COR-

Digitized by Google

CORRVPTORIVM.

HOc videtur erroneum, & contra Euangelium vbi dicitur in Ioanne. *Hæc est vita æterna vt cognoscant te vnum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Ioan. 17. Constat quod Christus est indiuiduum & singulare, quod constat beatam animam videre, nõ sensu visus sed intellectu, vel non esset beata. Est autem beata, ergo intelligit Christum.

Insuper vna anima cognoscit aliam, & tamẽ quælibet est singulare.

Prætere, constat quod peccata particularia & singularia sunt & possunt esse in superiori parte rationis quæ tamen sensu non appræhendit vel nunquã pœnitebit nõ.n. pęnitebit nisi de hoc malum cognoscit vel intelligit.

Præterea hæc positio est contra philosophos & bonos mores, nam si intellectus etiam non separatus non cognoscit vel intelligit singularia, sequitur quod non possit consiliari de operabilibus, nec inuenire rectam rationem actionum polyticarum, cum omnis actio sit singularis, & circa singularia.

Præterea, quo modo posset intellectus intelligibilem formam & sibi cognoscibilẽ à singularibus abstrahere, si singularia non cognosceret, nec posset terminum aliquem singularẽ ad componendũ propositionem aliquam assumere, nec de veritate, nec de significatione omnis propositionis, in

qua ponitur terminus singularis iudicare. Nec posset distinguere vniuersale & singulare, nisi cognosceret vtrumque. Vnde cõstat quod intellectus cognoscit vniuersale & singulare, com. 8. sicut *dicit Commentator 3. de anima*, sed differenter, quia vniuersale per se & non cum sensu, hoc est dicere quod intellectus & sensus cognoscunt singulare, sed solus intellectus vniuersale. Item in eadem *q. in solutione 3. argument.* dicit, *quod anima separata non impediuntur à cognoscendu his qua hic sunt.* Dicit *secundo*, quod *mortui nesciunt qua hic aguntur, sed discunt ab eis qui hinc transeunt ad illos, ea qua indicare sinuntur, & qua eos audire oportet. Similiter quãdoque discunt ab Angelis reuelatione diuina, sicut etiam multa reuelata sunt prophetis viuentibus, & quandoque mittuntur aliqui ex mortuis ad viuos à quibus discunt. Sic econuerso Paulus viuus raptus* 2. Cor. 12. *est in Paradisum, vbi didicit arcana verba.* Ex his verbis S. August. colligitur quod localis distantia & propinquitas facit ad cognitionem animarum separatarum, alioquin non oportebit aliquos hinc transire ad illos, vel mitti ab illis ad istos, & etiam ab illis & istis discere.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

QValiter intellectus cognoscit quidditatem rei abstractã à conditionibus materiæ & per consequens vniuersale ipsum per se & directe, & singularia materialia indire-

indirecte, & quod istæ obiectiones sunt risu dignæ patet per ea quæ dicta sunt supra in responsionibus ad obiecta contra *primam partem art. 2.* Item qualiter distantia localis non impediat cognitionem Angeli, nec per consequens animæ separatæ. Et qualiter habet intelligi quod de S. Aug. adducunt patet supra *articulo* 38.

FINIS.

Digitized by Google

SEQVVNTVR RESPONSIONES ÆGIDII RO. AD OBIECTA CONTRA DIcta sancti Thomæ in quæstionibus de virtutibus.

ARTICVLVS I.

q.11. An omnes tenẽatur ad perfectam caritatẽ. Luca 10. S. August.

DE hoc quod S. Th. q. 11. vbi quęritur, vtrum omnes teneantur ad perfectam charitatem habẽdam: In responsione 7. arg. dicit. *Sciendum quod ista quæ dixit domin⁹ discipulis suis. Nihil tuleritis in via &c. sed* quod S Augustin. *exponit in libro de consensu Euangelistarum, non pertinet ad perfectionem vitæ, sed ad potestatem dignitatis Apostolicæ, per quam secum nihil ferentes, viuere de his quæ ministrabãtur ab his quibus Euangelium prædicabant poterant, vt ibidẽ dicitur, quia dignus est operarius mercede sua vel cibo suo, vnde nec præceptum fuit nec consilium, sed concessum. Et propter hoc Paulus qui secum necessaria ferebat, non vtens hac concessione, super erogabat quasi militans proprijs stipendijs.*

(∴)

COR-

CORRVPTORIVM.

HAEc verba si bene aduertantur, & falsitatem continent, & perfectioni Apostolicæ derogant. Quatuor enim dicuntur in his verbis S. Th. Vnum est, quod prædicta verba Saluatoris, scilicet. *Nolite possidere aurum* &c. non pertinẽt ad perfectionẽ vitę.

Secundum est quod pertinent ad dignitatem Apostolicam.

Tertium est quod hæc habentur de expositione beati Augustini *in libro de consensu Euangelistarum.*

Quartum est, quod totum illud. *Nolite possidere aurum* &c. vsque *mercede sua*, non de cõsilio loquitur, sicut patet consideranti verba sua. *Totum inquit non est præceptum nec consilium, sed concessum.*

Primum ergo quod dicit prædicta verba saluatoris. *Nolite possidere* &c. nõ pertinere ad perfectionem falsum est & contra sanctos: *Dicit enim S. Chrys. homel. 33. super Mat. Forte diceret aliquis, quoniam quidem aliam rationem haberent, non habere peram in manu aut duas tunicas, nec virgam, nec calciamenta, qua de causa iniunxerit.* Et paucis interpositis respondet. Etenim *orbi terrarum Doctores erat missurus, & propter hoc eligens eos ex hominibus, ista duplici de causa constituit ab omni absolutos vitæ huiusmodi sollicitudine, vt vna sola detineantur quæ est doctrina, magis autem & ab illa absoluit Do-* S. Chrys.

Digitized by Google

Mat. 10. *minus dicens. Nolite cogitare qualiter aut quid loquamini. Nihil enim ita gaudere facit vt à cura & sollicitudine esse ereptum & maxime cum possibile sit esse ereptum ab hac immorari in illo Deo præsente, & præ omnibus eius officio.*

S. Amb. *Item* S. Ambrosius, *libro 6. sup. Luc.* super illud *Nolite portare sacculum &c. Petrus Apostolus cum posceretur à paupere, vt ei aliquid pecuniæ largiretur,* ait. *Argentum & aurum non habeo. Iste* Act. 3. *gloriatur quod non habebat argentum, ergo paupertas est gloriosa, quia & beata est paupertas, sicut scriptum est. Beati pauperes spiritusancto.*

Ex his auctoritatibus Chrysost. & Ambro. Mat. 5. 5. colligitur, quod prædictorum abdicatio Angelis assimilatur, & maxime Deum lætificat, & quod pertinet ad beatam & gloriosam paupertatem, & sic ex hoc constat quod pertinet ad perfectionem vitæ.

Præterea ostenditur quod potestas dignitatis Apostolicę in sumptione necessariorum de Euangelio, non præiudicat paupertati & perfectioni vitæ consistenti in paupertate. Et ad hoc arguitur sic. Quando Christus ordinauit Apostolis de Euangelio viuere, constat quod non ordinauit eos sumere à credẽtibus necessaria extorquendo per lites & violentias, sed petendo & mendicando. Sed Dominium & potestas in rem quæ non potest haberi nisi petendo & mendicando, nihil differt à paupertate, sicut *hæres quanto tempore paruulus fuerit nihil differt à seruo: cum sit Dominus omnium*, *ergo* potestas dignitatis Apostolicæ in Gal. 4. nullo elongat eos à perfectione vitæ quę est in pau-

Digitized by Google

paupertatem, ergo bene compatiuntur se perfectio vitæ quæ est in paupertate, & paupertas dignitatis Apostolicæ.

Circa secundum quod dicit, quod verba prædicta saluatoris pertinent ad dignitatem potestatis Apostolicæ aduertendum est quod Saluator duo dicit. Vnum mandando scilicet non possidere aurum neque argentum neque æs. Aliud insinuando, scilicet hæc necessaria debere eis ab alijs ministrari, cum dicit, *Dignus est enim operarius mercede sua.* q. d. Digni estis hæc recipere ab illis quibus prædicatis. De hoc secundo satis patet quod pertinet ad dignitatem potestatis Apostolicæ. Sed de primo non videtur verum, quis enim diceret, quod potestatis vel dignitatis alicuius sit non portare aurum: id est non precium victualium, non peram, id est, non victualia, non vestes duplices, & non calciamenta, non itaque ista, sed horum contraria sunt potestatis & dignitatis.

Praeterea concessa, sunt hæc Apostolis in potestatem & dignitatem, quæ quilibet potest habere qui vult & quandocunque vult, certe si aliquo modo & aliquando potestatis & dignitatis sunt, constat quod hoc non est nisi in eo qui cum austeritate & potestate potest repetere & sumere ab alijs, etiam quod sibi debetur, vt si Dominus rex sine argento & auro transiret per ciuitatem regni sui. Sed talis modus sumendi & petendi quod debetur, non fuit licitus Apostolis, ergo prædicta abdicatio non potest dici pertinere ad dignitatem

Digitized by Google

potestatis Apostolicæ sed ad perfectionem vitæ quatenus consistit in paupertate.

Tertium quod dicit prædicta verba Saluatoris. *Nolite portare*, &c. vsque mercede sua, secundum quod exponit S Aug. non pertinet ad perfectionem vitæ sed ad dignitatem dupliciter intelligi potest. Si intelligat quod de expositione S. Aug. non habetur quod prædicta verba pertineant ad perfectionem vitæ, verum dicit, quia nec Augustinus nec alij sancti semper exponunt scripturam sacram omnibus modis quibus potest conuenienter exponi. Si tamen intelligat quod per expositionem S. Aug. haberi potest quod prædicta verba Christi non pertinent ad perfectionem vitæ sic falsum dicit, sicut patet consideranti verba Aug. quæ sunt hæc. *Cum scilicet ante diceret eis Christus, id est Apostolis. Nolite portare aurum, &c. continuo subiecit. Dignus est operarius mercede sua siue cibo suo. Vnde satis patet cur eos hæc possidere aut ferre noluerit, non quia non sint necessaria sustentationi huius vitæ, sed quia eos sic mittebat, vt eis hæc exhiberi monstraret ab illis quibus Euangelium credentibus nuntiarent*. Hæc S. Augustinus. In his verbis non negat S. Augustinus prædictorum necessariorum abdicationem ad perfectionem vitæ pertinere, quamuis insinuet eorum ministrationem à credentibus deberi. Saluator ergo per prædicta verba abstulit Apostolis necessaria, & sic indixit eis necessitatem, & ideo ne timerent penuriam & verecundiam, oportet eis necessaria deberi

Mat. 10.
Luc. 10.

deberi ab auditoribus. Vnde dicit S. Ambrosius *homel. 33. super Mattheū. Et non dicant Apostoli mendicantes iubes nos viuere & verecundantem in hoc monstrat hoc debitum existere operarios eos vocando, & quod datur mercedem nominando.*

Quod infert quarto quod totum illud, *Nolite poßidere aurum, &c.* non est præceptum nec consilium, sed concessio. Hoc reuera videtur esse contra Euangelium & contra sanctos. Matth. 10. scribitur. *Has duodecim misit Iesus, præcipiens eis & dicens. In viam gentium ne abieritis.* Et paucis interpositis subditur. *Nolite portare aurum.* Et Marci sexto expressius præcipit eis, *ne quid tollerent in via, non virgam, non peram, non panem, neque æs & zonam: sed calceatos sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.* Et Ambrosius *super Lucam super illud. Nolite portare, &c.* ibi ait S. Ambrosius. *Matthæus scripsit quoniam dixit ad discipulos Dominus. Nolite portare aurum, &c. Si prohibemur aurum poßidere, quid eripere, quid auferre. Si quod habes donare præciperis quemadmodum cogeris quod non habeas.* Et infra. *Non tam gloriatur. Petrus, quod aurum & argentum non habeat, quam quod seruet Domini præceptum. Nolite poßidere, &c.* *Matt. 10. Mar.*

Item super illud *Actor. 3. Argentum & aurum non est mihi, memor præcepti illius. Nolite poßidere aurum, &c. pecunia quæ ad pedes*

pedes Apostolorum ponebatur, non sibi, sed ad vsum pauperum recondebantur. Et S. Gregorius 17. *homil. Euangelij. Qui peram & sacculum portare prohibuit, sumptus & alimenta ex eadem prædicatione concessit.* Nam sequitur. *In eadem domo manete, edentes & bibentes, &c.*

Ex his patet quod pars prædictæ auctoritatis præceptorie vel prohibitorie dicta est. Finis enim vel illud quod intelligitur per finem scilicet sumptio necessariorum ab audientibus, dicitur per modum concessionis. Vnde super illud 1. *Cor.* 9. *Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi*: dicit glo. *Permisit Dominus, sed non iussit Apostolis accipere necessaria à subditis: vt quisquis vellet vteretur eo quod sibi liceret ex diuina constitutione. Si quis vero eo vti nollet: non contra iussum faceret, sed suo iuri cederet.*

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

ISta verba S. Thomæ si bene aduertantur sententiæ S. Augustini de consensu Euangelistarum plenarie innituntur. Ait enim
Mat. 10. Augustinus ibi sic. *Cum enim secundum Mattheum diceret eis. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, nec peram, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque virgam continuo adiecit. Dignus est enim operarius cibo suo. Vnde satis ostendit, cur eos hæc possidere aut ferre noluerit,* non quod huiusmodi necessaria *non sint sustentationi huius vitæ, sed*

sed quia eos sic mittebat vt eis hæc deberi monstraret ab illis ipsis quibus Euangelium credentibus annuntiarent tanquam stipendia militantibus, tanquam vinea cultoribus, tanquam lac gregis pastoribus. Vnde Paulus dicit, Quis militat vnquam suis stipendijs, quis plantat vineam, & de fructu illius nunquam edit: quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit: Tunc enim loquebatur de his quæ necessaria sunt prædicantibus Euangelium. Vnde paulo post dicit. Si nos vobis spiritualia seminamus magnum est si carnalia vestra metamus: Si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non magis nos sed non vsi sumus hac potestate. Vnde apparet hoc non ita præcepisse Dominum tanquam Euangelistæ aliunde viuere, non debeant quam eis præbentibus quibus annuntiant Euangelium. Alioquin contra hoc præceptum fecit idem Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus exquirebat, ne cuiquam grauis esset, sed potestatem dedisset in qua scirent sibi ita deberi. Cum autem à Domino aliquid imperatur, nisi fiat inobedientiæ culpa est. Cum autem potestas datur, licet cuique non vti, & tanquam de suo iure recedere. Hæc ergo loquens Dominus discipulis id agebat, quod ipse Apostolus Paulus post apertius explicat ita. Nescitis quoniam qui in templis operantur quæ de templo sunt edunt, qui altari deseruiunt altari compartiuntur. Sic & Dominus ordinauit his qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuere. Ego autem nullius horum vsus sum. Cum itaque dicit Dominum ordinasse ea, se autem vsum non esse: vtique ostendit vtendi potestatem datam, non impositam seruandi necessitatem. Hoc ergo ordinans 1. Cor. 9.

Dominus,

Digitized by Google

Dominus, quod cum ordinasse dicit Apostolus, qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuere, illa Apostolus loquebatur, vt securi non possiderent neque portarent huic vitæ necessaria, nec magna nec minima, ideo posuit, nec virgam, ostendens à fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua autem requirentibus, ac per hoc addendo. Dignus est operarius cibo suo, prorsus aperuit & illustrauit: vnde & quare omnia loqueretur. Hanc igitur potestatem nomine virgæ significauit ne quid tollerent in via nisi virgam tantum. Cum igitur prædicta sententia S. Thomæ tam plenarie (sicut patet intuenti) in prædictis verbis S. Augustini contineatur, nimus est verecundum, immo errori propinquium, eandem sententiam fore contrariam dictis sanctorum & ipsam contra sancta Euangelia dicere, quam per sensum Euangelistarum protulit tantus Doctor. Non tamen negamus quin verba illa aliter valeant exponi, & quod non habere argentum vel aurum in paupertate voluntarie assumpta ad perfectionem pertineant, prout dictum est, quod & ipsi in proposito multipliciter, sicut patet astruere nituntur. Ex his tamen non sequitur, quin verba Domini prædicta eo modo quo ea exponit Augustinus loco prædicto non pertineant ad perfectionem vitæ sed ad perfectionem dignitatis Apostolicæ quod quia euidenter in verbis S. Augustini relucet præallegatis, ad refellendum omnia quæ dicunt ad præsens, plura adducere non oportet, qualiter enim non habere huiusmodi pertineant ad perfe-

perfectionem, dictum est in responsionibus supra ad obiecta contra *secundam secunda articulo 15.* vbi obiecta eorum quę contra S. Thomam habent in hac parte euidentius dissoluuntur, per quæ patet responsio ad ea quæ hic obijciuntur ad idem intentum suum concludendum. Quid autem principaliter in hoc toto intenderint, lectoris arbitrio relinquatur.

FINIS.

Digitized by Google

SEQVVNTVR RESPONSIONES, ÆGIDII ROMANI AD OBIECTA CONTRA dicta Sancti Thomæ in quæstionibus de Potentia DEI.

ARTICVLVS I.

Materia tertia ar. primo an ex nihilo fieri possit creatio.

DE HOC quod S. Thomas. *q.3. articulo primo*, vbi quærit, vtrum Deus possit aliquid creare de nihilo: In responsione 12. argumenti dicit, *quod materia proprie loquendo non habet ideam in Deo nisi compositi.* Et in parte prima. *q.15. art. 3.* in responsione *tertij argumenti dicit*, *Sic materia habet ideam in Deo, non tamen aliam ab idea compositi, nam secundum se nec habet esse, nec est cognoscibilis.*

CORRVPTORIVM.

HOc est falsum, quia cum materia proprie loquendo habeat aliam essentiam ab essen-

Digitized by Google

essentia formæ & compositi, necesse est quod materia in Deo habeat ideam suæ essentiæ correspondentem, vel erit ponere aliud à Deo principium, in quo materia suam habeat ideam, quod erit materiæ effectiuum, vel quod materia habeat esse æternum, non à Deo vel ab aliquo principio causatum, quorum vtrunq; est erroneum. Hoc alibi est improbatum, & magis diffuse, *supra contra de veritate in articulo tertio.*

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

VErum est istud quod tamen nixi sunt supra improbare, sed ad illa quæ ibi diffusius dicunt. Et ad illud quod hic repetunt, patet solutio per ea quæ dicta sunt in responsionibus ad obiecta *contra primam partem art.* 4.

ARTICVLVS II.

DE hoc quod S. Thomas dicit *q. 3. art. 9.* vbi quærit, vtrum anima rationalis educatur ita esse per creationē vel traductionē. In responsione. 9. *argumenti*, loquens de generatione hominis ita dicit. *Per virtutem formatiuam quæ est à principio in semine prius abiecta forma spermatis, &c. Tandē abiectis alijs formis inducitur à creante anima quæ simul est rationalis, sensibilis & vegetabilis.*

Materia. 3. ar. 9. an educatur anima.

Digitized by Google

CORRVPTORIVM.

HIc redit ad vnitatem formæ in homine, quod reprobatum est *in q. de anima, articulo* II.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

HIc oportet redire ad responsiones quæ datæ sunt supra contra primam *partem articuli* 31.

ARTICVLVS III.

Materia quinta ar. 1. vna operatione producit Deus res & vna conseruat.

DE hoc quod S. Thomas, *q.* 5, *articulo primo*. in responsione secundi argumenti dicit, *quod non alia operatione Deus producit res in esse, & in esse conseruat.*

CORRVPTORIVM.

COntra hoc est quod creatio nec est nec esse potest per cooperationem alicuius alterius. Conseruatio autem multorum potest esse per cooperationem gratiæ artis & naturæ huiusmodi ergo non sunt idem.

Præterea, operatio qua Deus producit res in esse, & conseruat eas in esse, dupliciter potest intelligi, vel operatio operans, id est voluntas qua res in esse producit ex nihilo, & iuxta quam sic res productæ in esse conseruãtur,

Digitized by Google

tur, & si sic accipiatur, alia dicenda est operatio ab illa secundum rationem, nō secundum rem; quia alia est voluntas secundum rationem qua Deus vult rem in esse produci, & alia qua vult rem in esse conseruari. Nisi enim poni posset diuersitas vel pluralitas voluntatum secundum rationem non secundum rem sicut idearum; posset dici quod esset eadem voluntas Dei quā vult solem oriri & Luciferum damnari, & Petrum saluari, quod non videtur. Potest etiam operatio qua Deus res produxit in esse, & operatio qua res in esse conseruat, intelligi operatio operata, scilicet inchoatio essendi, & continuatio essendi siue res incipiens primo esse, & res permanens in esse, & sic adhuc non sunt penitus idem operatio productionis & operatio conseruationis. Nam *Genesis primo dicitur, quod die septimo requieuit Dominus ab omni opere quod patrarat*. Et Ioannis quinto dicitur. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*. Sed alia est operatio à qua requieuit & qua semper operatur, quieuit enim à productione rerum productarum, & operatur vsque nunc rerum conseruationem, alias enim in nihilum tenderent secundum Gregorium. Alia ergo operatione producit res in esse, & conseruat eas in esse.

Item Augustinus super *Genesim 6. dicit quod aliud est opus conditionis: & aliud opus conseruationis, sed idem est conditio & productio ergo,* &c.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

IN q. vbi supra ponitur quod impugnant in S. Thoma in responsione argu. secundi, vbi dicti sui rationem reddit, dicens, *ipsum esse rerum permanentium non est diuisibile, nisi per accidens, prout alicui motui subiacet, secundum se autem est in instanti, vnde operatio Dei qua est per se causa quod res sit, non est alia, secundum quod facit principium essendi, & essendi continuationem.*

Ad 1. *Ad ea autem* quæ obijciunt dicendum ad primum, quod ea quę producuntur à Deo immediate per creationem immediate ab eo cõseruantur in esse. Et loquor de his quę alia via in esse produci non possunt, cuiusmodi sunt intelligentiæ & Angeli & corpora cælestia, & huiusmodi, quæ vero producunt vel produci possunt de sua natura à Deo per causas medias illa apta nata sunt per aliquas causas medias conseruari in esse.

Ad 2. *Ad secundum dicendum*, quod operatio Dei operans, nihil aliud est quam sua essentia quæ est omnino inuariabilis. Nec videtur inconueniens quod sit eadem operatio vel voluntas Dei ad quam consequuntur effectus diuersi, dummodo tamen sint tales qui conueniant ipsi, hoc dixerim propter hoc quod interserũt de luciferi damnatione. Ipsa enim culpa pro qua damnatur, ab ipsa voluntate Dei non processit, verumtamen concedendum est quod eadem est voluntas Dei inuariabilis qua vult

Digitized by Google

vult bonos pro ſuis benemeritis præmiari, & qua vult malos pro ſuis demeritis damnari. Operatio vero Dei operata hæc eſt creatio vel productio paſſio, & ſimiliter conſeruatio paſſio non dicunt aliam rem abſolutam additam rei, vel eius eſſe à Deo accepto, quoniam creatio paſſio dicit mihi ipſam acceptionem eſſe rei cum quadam nouitate. Conſeruatio vero includit eandem acceptionem circumſcripta nouitate intellecta ſecundum noſtrum modũ intelligendi quadam continuatione, quamuis in ipſo eſſe rei permanentis continuitas nulla cadat, cum ſit totum ſimul & in indiuiſibili conſiſtat.

Quod autem dicitur Ioan. 5. *Pater meus vſque modo operatur*, poteſt verificari vno modo quod non ceſſat à rerum productione, & tunc ſicut res ſunt aliæ, ſic productiones ſunt aliæ, & ſimiliter conſeruationes. Si autem intelligatur quod quæ prius operatus eſt per creationem, adhuc dicitur operari propter earum conſeruationem, tunc iſtæ duæ operationes vt dictum eſt, realiter differre non poſſunt, quoniam acceptio eſſe cum ſui nouitate, vel cum quadam continuatione intellecta penitus eadem eſſe reperitur.

Ad tertium quod dicit S. Auguſt. aliud eſſe opus conditionis, aliud conſeruationis, habet intelligi de alietate ſecundum rationem, & eo modo concedimus iſta duo eſſe diuerſa, hoc vero non eſt contra S. Thomam, qui ponit vtrumque ad eandem operationem realiter pertinere. *Ad 3.*

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Materia quinta ar. 8. an cessante motu cæli remaneat actio & passio in elementis.

DE hoc quod dicit S. Thomas *in de potentia Dei, q. 5. articulo, 7.* vbi quærit, vtrum cessante motu cæli remaneat actio & passio in elementis: In responsione principali, *substantiæ separatæ sunt perfectiores in agendo quam corpora cælestia, quia non sunt composita ex materia & forma.*

CORRVPTORIVM.

HOc vltimum est falsum, scilicet de substantijs separatis vt ostensum est parte prima.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

IN responsionibus *contra primam partem,* articulo 10. *patuit*, quam nulla sit eorum ostensio, & quam falsa positio in hac parte.

FINIS.

SEQVVN-

SEQVVNTVR RESPONSIONES, ÆGIDII ROMANI AD OBIECTA CONTRA dicta Sancti Thomæ in quæstionibus de quodlibeticis.

ARTICVLVS I.

DE HOC quod S. Thomas, *quodlib.* 1. vbi quærit, vtrum Angelus dependeat à loco corporali secundum suam essentiam, aut sit in loco secundum operationem? *Dicit quod Angelus est in loco per contactum virtutis, hoc est per operationem. Et in parte* 1. *q.* 52. *art.* 1. in responsione principali dicit, *quod Angelus per applicationem virtutis Angelicæ ad aliquem locum qualitercunque dicitur esse in loco, vnde non oportet quod sit in loco vt contentum: sed vt continens aliquo modo.* Et eadem *q. artic.* 3 in responsione principali dicit, *quod Angelus dicit esse in loco per hoc quod virtus eius immediate contingit locum per modum continentis perfecti.*

Quodlibeto 1. an Angelus dependeat à loco corporali secundum suam essentiam aut sit in loco per operationem.

Digitized by Google

CORRVPTORIVM.

SI intelligit ita quod non sit aliter in loco quam hic & alibi verba sua intendere videntur, manifeste est erroneum, & contra Euangelium Matthei, 18. *Angeli eorum semper vident faciem patris, &c.* Cum igitur Angelus ad operationē vel in operatione (quæ est Dei visio) non attingat locum, nec indigeat loco, Angeli soli Dei contemplationi vacantes qui dicuntur assistentes iam non erunt in loco, & per consequens nec in cælis. Cuius contrariū tenet fides & Euangelium. Vnde S. Gregorius 2. moralium. *Angelorum spiritus loco quidem incircumscripti sunt*, sequitur quidem per hoc quod incircumscripti sunt existunt, per hoc autem quod inter præsentes existunt, nunquam recedunt.

Item dictæ positiones sunt contrariæ cuidam positioni Parisiensi per sententiam quæ est, *quod Angelus est in loco per diffinitionē, & ideo locus Angelorum, & animarum beatarum qui exit corporum glorificatorum, scilicet cælum empireū.*

Item videtur fauere errori 24. nuper condemnato, qui est, *quod animæ separatæ non sunt alicubi nisi per operationem, & non possunt moueri ab extremo in extremum per medium, nisi quia possunt velle operari in medio vel extremis*, error est si intelligitur substantiam Angeli non esse in loco, nec transire de loco ad locum.

Digitized by Google

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

QValiter hęc quod hic & alibi dicit S. Thom. nullius assertioni veræ contrarietur, immo ipsam contineat veritatem, dictum est supra in responsionibus ad obiecta contra *primam partem art*. 16. In nullo enim obuiat sua positio quin Angeli sint in cęlo siue alio quocunque loco, vt ipsi sibi hic & alibi falsæ imponunt, sed sicut patet intelligenti pulcherrime docet modum quo spiritus in corpore & loco sunt ponendi, & qualiter eorum transitus quem non negat sed declarat debeat intelligi. Vnde contra eum non sunt quæ hic & alibi contra ipsum obijciuntur, sicut supra *in art*. 16. supradicto ostensum est.

ARTICVLVS II.

DE hoc quod S. Tho. *quodlibeto* 6. vbi quærit, vtrum anima rationali aduenięnte corpori corrumpantur omnes formæ quæ prius fuerunt substantiales & accidentales: In responsione principali dicit, quod *impoßibile est in vno & eodem plures formas substantiales esse, & hoc ideo, quia ab eodem res habet esse & vnitatem. Manifestum est autem*

Digitized by Google

quod res habet esse per formam, vnde & per formã habet vnitatem, & propter hoc vbicunque est multitudo formarum, hoc non est vnum simpliciter. Et infra, *vnde adueniente forma humana tollitur forma substantialis quæ prius inerat, alioquin generatio vnius non esset corruptio alterius. Formæ vero accidentales quæ prius inerant vt dispositiones ad animam, corrumpuntur quidem non per se sed per accidens ad corruptionem subiecti.*

CORRVPTORIVM.

HAEc positio reprobata est *supra* 31. & 48. *articulis* primæ partis.

Ad illud tamen, quod multitudo formarum est contra rationem vnitatis. Dicendum quod res in qua est multitudo & gradus formarum est vna per formam vltimam, vt expresse dicit philosophus, 8. *Metaph. & Commentator eius in parte illa. Et cum nos* (inquit Commentator) *dicimus, quod vnum quod significat diffinitio vna est vnum per substantiam quæ est forma, scilicet per vltimam formam & vltimam differentiam*, est ergo talis res vna simpliciter & indiuisibilis.

Ad aliud dicendum, quod adueniente anima rationali &c. quod illa propositio generatio vnius est corruptio alterius & econuerso, habet veritatem semper in generatione simplicis, sicut quando elementum generatur ex alio elemento, non autem habet semper veritatem in generatione compositi, scilicet quando compositum generatur ex simplicibus, siue com-

ne compositum ex composito, quamuis in singulis elementis sint plures formæ substantiales vt forma substantiæ & forma corporis forma elementaris, tamen sola forma elementaris facit elementum existere in actu, ergo elementa non existunt in actu nisi per formas elementares quę cõtrariæ sunt, & ideo quando vnum generatur aliud corrumpitur. nõ sic autem est in generatione mixti ex simplicibus elementis, quando enim mixtum generatur ex simplicibus elementis, non corrumpuntur elementa, absit sed alterantur secundum philosophum, generatio ergo vnius est corruptio alterius in talibus.

Aliter potest dici, quod propositio habet veritatem si recte intelligitur, & secundum mẽtem auctoris, non enim dicit philosophus, quod generatio alicuius est corruptio eiusdẽ, sed corruptio alterius, vt patet in generatione enim hominis ex semine primo inducitur forma embrionis, secundo anima vegetatiua, tertio sensitiua, tandem infunditur rationalis, & hæc omnia pertinent ad generationem vnius & eiusdem, & ideo non oportet quod per infusionem animæ rationalis corrumpatur sensibilis & vegetatiua, quia ad eiusdem indiuidui generationem pertinent.

RES-

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

HAEc positio declarata est supra in responsione ad obiecta contra *primam partem* 31. *ar.* & 45. quæ auté hic dicunt nullius sunt momenti, quod enim dicunt de philosopho & Commentatore quod diffinitio est vna per formam vltimã nihil facit pro eis, quia philosophus & Commentator non ponunt aliam formam nisi vnam, quæ sub vna ratione significatur nomine generis & differentiæ prioris, sub alia ratione illa eadem non alia significatur nomine differentiæ vlterioris siue vltimæ, & quod hæc sit eorum intentio patet expresse per hoc quod dicit *Com.* 8. *Metaphysice*, cuius verba adducta sunt supra art. supra dicto.

Ad 1.

Ad 2. *Quod autem dicunt*, consequenter elementa manere in mixto, non corrupta sed alterata, manifeste est contra philosophum. Quod est alteratum & non corruptum, manet actu, ergo si elementa sunt in mixto essent ibi actu, quod est contra textum philosophi qui dicit, quod non sunt actu sed virtute. Quod qualiter debeat intelligi, patet ex dictis ibi supra.

Ad 3. *Item alia responsio*, quam fingunt nihil valet. Quamuis enim totus ille processus dispositionis materiæ à semine vsque ad infusionem animæ rationalis, tamẽ necesse est ponere quod semen differt ab embrione, & embrio ab homine. Cũ igitur generatio vnius sit corrup-

tio

tio alterius, necesse est dicere quod generatio embrionis sit corruptio seminis. Et similiter generatio hominis est corruptio embrionis.

Quod etiam fingunt tres animas, est contra S. Augustinum & merito reprobandum; vt *patet supra 31. articulo.*

ARTICVLVS III.

DE hoc quod S. Tho. dicit quodlibeto 1. q. 15. vbi quærit, vtrũ religiosus teneatur obedire suo prælato præcipienti, vt reuelet sibi aliquod secretum fidei suæ commissum. *Quod religiosus non tenetur in casu reuelare prælato secretum sibi commissum.* Nam in responsione principali dicit, quod *duplex est secretum. Vnum quod vergit in periculum aliorum quibus aliquis cauere tenetur, & hoc non tenetur celare, sed potius reuelare. Aliud secretũ est quod de se celari potest sine peccato, & tale secretum nullo modo tenetur religiosus prælato pandere etiam præcipienti, quod est fidei suæ commissum.* Cuius ratio est, *quia solemnior est obligatio ad seruandum ea quæ sunt fidei & charitatis quæ est ex lege naturæ & ex promissione probata, quam ea quæ est ex promissione quæ est in religione.*

quodl. 1. q. 15. Quod teneatur secreto vna religiosus sua superiori reuelare.

(.·.)

COR-

Digitized by Google

CORRVPTORIVM.

SEcundum membrum diuisionis non videtur verum, immo occasio ad non obediendum. Primũ patet, quia sicut id quod licet de se, quando prohibetur non licet, ita quod de se celari potest sine peccato superueniente præcepto prælati iam sine peccato non potest prælato celari, præcipue cum possit, velit & debeat prodesse & non obesse. Secũdum patet, sc. quod hæc sit contra bonũ & debitum obedientiæ & ob hoc occasio inobedientiæ, quia sc. subditus profitẽdo seipsum quo ad corpus & animam dat & committit prælato suo nihil sibi de se & rebus suis retinendo, si ergo recipit secretum fidei suæ commissum, ita quod prælato suo prodesse & non obesse cupienti non reuelet, vtique illicita est promissio, & in præ iudicium tã prælati quã subditi, qui per prælatum debet & potest iuuari, & ideo non tenetur celare, sed præcipienti reuelare, non obstante stulta professione, secundum illud Isid. *In malis promissis rescinde fidem, & in voto turpi muta decretum.*

2. *Præterea per hoc*, quod ipse recipit secretum fidei suę cõmissum, non absoluitur à fide quã debet prælato vel reipublicæ quia ergo subditus debet prælato & cuilibet proximo, & maxime reipublicæ, quia vt dicit *Tullius 2. officiorum. Nulla res magis rempublicam continet quam fides*, quare cum huiusmodi secretum celare est in præiudicium reipublicæ proxi-

mi,

mi & prælati, non tenetur prælato pręcipienti celare, sed reuelare.

Ad rationem S. Thom. dicendum, quod obligatio fidei quæ est virtus theologica, solemnior est quam obligatio promissionis in religione, non tamen obligatio fidei quæ est virtus moralis & iustitiæ quia sicut iure naturali obligamur ad seruandam fidelitatem proximo, ita & ad obediendum prælato obligamur voto solemni professionis siue religionis.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

Professi in religione nunquam sic sunt obligati pręlato, quin possint fidelitatem proximo promittere, & promissum licite seruare. Ex quo patet quod ista sententia S. Tho. est vera, quæ vero obijciunt frustra, friuola sunt & vana.

Ad primum dicendum, quod ratione præcepti prælati, non potest fieri licitũ & debitũ quod de se illicitum & indebitum est, cuiusmodi est fidelitatem in promisso licito non seruare. *Et per illud patet ad secundum*, quia non est obediendum, quantumcunq; præcipiens pręlatus potest prodesse, quia *non sunt facienda mala vt eueniant bona secundum Apostolum.* Quod autem dicunt stultam promissionem esse mutandam, verum dicunt, sed talis non est promissio stulta, de qua loquitur S. Tho. Ad. 1. Ad 2.

Ad rationem quoque male respondent, quia contra virtuté moralé præcepto prælati

non

non est agendum sicut nec contra virtutem theologicam.

ARTICVLVS IV.

Quodl.1. q.16. An subditus teneatur reuelare occulta fratris superiori.

DE hoc quod S. Thomas dicit *quodlibe.1.q.16.* vbi quærit, vtrum subditus teneatur reuelare occultam culpam fratris prælato etiam præcipienti? In responsione principali. *Si proceditur via simplicis denuntiationis, nō tenetur subditus prælato præcipienti occultam culpam fratris sui reuelare, nisi præcedente monitione videret eum incorrectum, immo magis peccaret si ad præceptum prælati reuelaret, quia plus tenetur obedire præcepto Euangelij quam prælato, & multo magis peccaret prælatus inducens subditum vt peruerteret ordinem Euangelij.*

CORRVPTORIVM.

CIrca hoc quod præcipientem & obedientem condemnat ad mortale peccatū, videtur errare, quia iudicat de præcepto affirmatiuo sicut de negatiuo. Illud enim Mat. *Si peccauerit in te frater tuus* &c. est præceptum affirmatiuum, quod obligat semper, non tamen ad semper, sed tantum pro loco & tempore necessitatis, sicut illud. *Honora patrē tuum & matrem tuam* &c. Sunt autem sex casus

Mat.18.

Mat.15. Mar.7.

ſus quibus concurrentibus peccat qui fratré peccanté non corripit ſecũdum ordinem illũ Euangelicum. Aliquo autem illorũ deficiéte non habet neceſſario illum corripere, ſed poteſt vel ſaltem non corripere vel differre, & tunc prælatus qui poteſt & vult prodeſſe, pręcipit ſibi reuelare culpam fratris ſui ad corripiédum propter præcepti neceſſitatem, neceſſario habet reuelare ſubditus tali qui poteſt & vult prodeſſe & non obeſſe, inquantum culpã fratris ſui ſcit ſolus, reuelet ſolus pręlato. ſi ſcit cum pluribus, reuelet cum pluribus, vel coram illis *vt ſecundum Auguſtinum, ibi culpa moriatur vbi oritur.* De illis autem ſex caſibus ſumuntur tres à parte fratris peccantis & tres à parte corripientis. Prim⁹ à parte peccãtis eſt ꝙ peccatum non tãtum ſit veniale ſed mortale, quod patet ex præcepto *Mat.18.* vbi dicitur. *Si te audierit, lucratus es fratrem tuũ.* Et ſequitur. *Si te & Eccleſiã non audierit, ſit tibi quaſi ethnicus,* hoc eſt excommunicatus. Cõſtat autem quod fratré lucrari præſupponit ipſum fuiſſe amiſſum, ſed aliquis non amittitur niſi per mortale peccatum. Et præterea non debet quis excommunicari niſi pro mortali peccato & nõ veniali. Igitur præceptum datum eſt tantum de mortali, non de veniali. Qui ergo reuelat ex cauſa veniale prælato, non facit contra Euangelium, & per conſequens non peccat nec obediens nec præcipiens.

Secundus caſus eſt, quod ſi ſit ſpes de peccantis emendatione, & non timor probabilis de eius peieratione. Vnde *Prouerb.9. Noli argue-*

 re deri-

S. Aug. *re derisorem ne oderit te*, S. Greg. in glo. *Non est timendum ne derisor cum arguitur contumeliam tibi inferat, sed hoc potius prauenendum, ne tractus ad odium inde peior fiat, ideo tibi quandoque ab eius correptione, non commoditatis tuæ: sed dilectionis gratia cessandum*. Et S. August. de ci. Dei. *Si obiurgandis corripiendisque male agentibus quis parcit, quia eisdem ipsis metuit ne deteriores efficiantur, non videtur esse occasio cupiditatis: sed consilium charitatis*. In hoc casu non tenetur frater fratrem peccantem corripere, quia tūc tenetur agnoscere vultū pecoris sui, vt ei pro loco & tempore possit medelam adhibere. Certum est quod in hoc casu tenetur subditus prælato præcipienti obedire.

3. *Tertius casus casus est*, quando expectatur tēpus magis opportunum pro facienda correptione, nam si rationabilem causam habeat, potest frater differre, vt S. August. dicit. 9. *de ci. Dei. Si propterea obiurgandis corripiendisque male agentibus quis parcit, quia tempus opportunum inquirit non est occasio cupiditatis: sed consiliū necessitatis*. Et *in libro de conflictu vitiorum & virtutum. Aptum tempus expectans vt peccatorem arguat, & eius delicta contra eius faciem statuat, quando igitur fratri sic expectanti præcipitur vt reuelet, tenetur reuelare*, quia prælatus potest frequenter tempus aptum habere vbi subditus non habet, sic enim correptio acceleraretur.

Ex parte autem corripientis debent concurrere tria ad hoc quod statim debeat corripere. Primum est peccati cognitio, quia non

Digitized by Google

non sufficit suspicio, vel aliorum leuis relatio. Vnde S. Augustinus de verbis Domini tractans illud *Mat. 18. Si peccauerit in te frater tuus* &c. dicit, quod *cum certe peccauerit, nisi quia tu scis quia peccauerit*. Et infra. *Scio* inquit *adulteros ab vxoribus occupatos, non dico tu adulter corrige te ne forte dicerem quod nescirem, & quod temere audiuerim suspicarer*. Propter quod dicitur. *Ecclesiastici* 11. *priusquam interroges ne vituperes quenquam: & cum interrogaueris corripe iuste*.

Secundum quod in tempore correptionis sit in corripiendo mansuetudo, quia si quis iratus corripiat, magis prouocat quam corrigat, *vnde Iob. 36. non te superet ira*. Super quo *S. Greg. 7. moralium. Dignum quippe est vt cum aliena corripimus nostra metuamus, vt mens quæ à sua accensione deferueat, prius intra semetipsam & zeli sui impetum tranquilla æquitate componat, ne si animaduertenda vitia abrupto feruore trahamur corripiendo fratrem peccemus, in correptione quidem vitiorum menti subesse debet iracundia, non præesse. Si enim qui corrigere nititur ira superetur, plus opprimit quam corrigit*. Vnde S. Iacob. 1. *Ira viri iustitiam Dei non operatur*. Et in psal. *Superuenit mansetudo, & corripiemur*.

Tertium est, quod in aliquo non sit maior corrigendi obligatio, nam si subditus videt vna cum prælato fratrem illius subditum peccare, potest licite frater non peccans supponere ꝙ prælatus eũ corripiat sicut debet, vt habetur ad *Heb. 12. Quis enim fi-*

 lius

Digitized by Google

lius quem non corripiat pater. Quia *vt dicitur.3. Reg.20.Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Dico ergo quod quandocunque in fratre vel sciente peccantẽ concurrunt tria prædicta cum tribus præhabitis ex parte fratris peccantis,tũc est tempus & locus necessitatis, ita quod si non corripit, transgressor est illius præcepti affirmatiui, si peccauerit &c.Si aliquid horum defuerit, nõ tenetur corripere quantum est de virtute Euangelici præcepti, quod est affirmatiuum, Euangelium enim intendit peccantis emendationem, & ideo corripiens sic se debet habere,quod valeat hunc finẽ adipisci. Quia vt dicit *Tullius in rhetorica sua* 1.*li.Ex vtilitate reipublicæ, non ex legis inscriptione quæ est in literis leges interpretari habent. Ob causam enim illam interpretari debẽt ob quam instituta sunt.* Et quia prælatus potest facilius & meliꝰ corrigere subditum quam frater subditus cuius correptionem intendit Euangelium. Hinc est quod in his casibus ex vi illius præcepti.Mat.18.*Si peccauerit* &c.nõ tenetur nisi tunc corripere fratrem cum tenetur prælato præcipiẽti eius culpam reuelare vt corrigatur.*Mat.23. Quæcunque dixerint vobis facite.*Quia dicit S. Aug. *siue plectendo siue ignoscendo, solum hoc vnum quæritur vt vita hominum corrigatur, licet enim secundum quædam iura denuntians* prælato peccatum etiam ad correctionem non auditur.sed repellitur,nisi præmiserit charitatiuam admonitionem quæ sit in fauorem pacis, & ne detur occasio subditis insurgendi contra præla-

tos,

tos, quia hæc de facili faciunt, tamen quando prælatus religionis alicuius in capitulo vel alibi agit familiariter & ex statuto religionis ad subditorum correctionem, non semper est necesse ordinem corrigēdi (positum Mat. 18.) seruari, vt dicitur *extra de accusationibus, qualiter & quando debeant* &c. Hunc quidem ordinē non credimus vsquequaque circa religiosos obseruandum. Non igitur bene dicit S. Th. dicendo, quod religiosus prælato præcipienti culpam fratris reuelare, peccat obediendo, & prælatus præcipiendo. Nec ordinem Euangelicum peruertunt in hoc, sed obseruāt, quia sic quidam ordo regiminis fit, quod rex iudicat de factis baronum, præpositus vero de factis ciuium, quando præpositus videt quod factum ciuis non potest iudicare, vel non ita bene, saltem sicut rex si dimittit iudicare vel punire, ex hoc defert regi, non peruertit ordinem.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

VIa ac forma denuntiationis ac fraternæ correptionis secundū doctrinam S. Th. declarata est superius in responsione ad obiecta *contra secundam secundæ ar.* 3. ex quibus patet quod multa quæ hic tanguntur sunt pro S. Th. & ea quæ videntur contraria ibidem dissoluuntur.

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

quod q. 18. An periurium sit maius homicidio.

DE hoc quod S. Th. *quodlibe. 1. q. 18.* vbi quærit, vtrum periuriū sit maius peccatum quā ipsum homicidium: In responsione quæstionis concedit, quod *periurium sit maius peccatum quam homicidium & grauius, quod confirmat per illud ad Heb. 10. Omnis controuersia finis est iuramentum. Vnde ex hoc ipso quod in causa cuiuscunque peccati defertur iuramento manifeste ostenditur quod periuriū pro maximo peccato debet haberi, nec immerito, quia periurium videtur diuini nominis abnegatio.*

CORRVPTORIVM.

1. SImpliciter loquendo non videtur verum quod dicit, plura enim mala quæ proximum lædunt & Deum offendunt, inueniuntur in homicidio quam periurio. Vnde si alicui hęc necessitas in iudicio imponatur, sc. quod vel occidat vel faciat iuramentum secundum rectam rationem, videtur quod magis debeat vitare homicidium quam periurium. Vnde Dauid qui iurauerat occidere Nabal, pœnituit, & magis iudicauit vitandū homicidium quam periurium, vnde benedixit & Abigail, cuius persuasione retraxit se ab homicidio 1. *Reg.* 25.

Ad

Digitized by Google

Ad rationem quam facit ad confirmationem dicti sui dicendum, quod pari ratione posset concludi, quod periurium esset grauius idolatria & peccato sodomiæ quia in peccato cuiuslibet criminis si fama laboraret contra aliquem, & probari non potest, indicitur purgatio per iuramentum, sed hoc non est; quia periurium est grauius quolibet sicut ipse supponit. Sed quia alius modus quo purgetur vtilior non inuenitur vel videtur, & quia etiã in iuramento Deus testis inuocatur qui est veritas, quæ nec fallit nec fallitur. 2.

Ad illud vero quod addit, quod periurium est quædam abnegatio Dei, attendendũ quod non est verum, sed sunt multi qui leuiter & scienter peierant, qui nulla ratione etiam pro morte vitanda nomen Dei negarent. 3.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

Licet quandoque plura mala sequantur ad homicidium quam ad periurium, tamen in casu posset contrarium euenire. Vnde secundũ S. Th. simpliciter, maior culpa inuenitur in periurio, quia committitur directe contra Deum quam in homicidio quod committitur contra proximum. *Ad 1.*

Secundo quod dicunt, ꝙ secundũ rectã rationẽ in casu necessitatis si qua fingatur, cũ tamẽ hoc non sit possibile, cum ad periurium nemo possit cõpelli, debet homo magis vitare homicidium quam periurium, ex ipsa ratione S. Tho. patet esse falsum, probatio vero qua ad

Digitized by Google

hoc afferunt nullam efficaciam habet, quoniã David minus recte iurauerat, & ideo melius sibi erat de malo illius iuramenti incauti pœnitere, quam super hoc ipsum peccatum homicidij superaddere, vnde illa Abigail Dauid à iuramento reuocans inconsiderato ait. *Non erit tibi hoc in singultum & in scrupulũ Domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris.* Ex quo manifeste datur intelligi, quod multo melius erat de iuramento pro vltione inferenda pœnitere, quam illum qui mortem non meruerat ipso genere facti, ratione cuius & sanguis in textu dicitur innoxius pro illo iuramento seruando interimere. *In malis enim promissis rescinde fidem.* Ex hoc ergo non sequitur, quod simpliciter homicidium sit magis fugiendum quam periurium.

Ad 2a *Quod autem dicunt* ad rationem S. Thom. quod pari ratione posset cõcludi, quod periurium esset maius peccatum quam idololatria, planum est intelligenti quod non dicunt verum. Probatio quoque quam ad hoc afferunt, non valet. Iuramentum enim quod fit in purgatione alterius rationis quam illud quod fit in alijs causis determinans iudicialiter. Nam de ratione iuramenti quod fit in purgationem alicuius quod agatur ad hoc, quod accusatus famæ pristinæ restituatur, non quia periurium ipsis peccatis quibus accusatur præponderet in omnibus. In causis vero alijs iudicialiter exequendis iuramentum

præstatur,

Digitized by Google

præſtatur, quia hoc modo ſimpliciter præſumitur, quod periurium magis debeat euitari, cum ſit directe contra Deum, quam læſio quæcunque quæ tangit proximum.

Quod vero dicunt, quod multi ſunt qui ſcienter peierant, qui nulla ratione nomen Dei denegarent, etiam ratione mortis euitandæ manifeſtum eſt quod falſum dicunt, quia in dicto ſuo contradictoria includunt. Qui enim peierant ſcienter nomen Dei negant, & per ipſam peierationem non poteſt aliud intelligi niſi quædam ipſius nominis Dei abnegatio, vnde peierare & Deum non negare, omnino repugnant: ſicut eſſe hominem & non eſſe animal.

ARTICVLVS VI.

DE hoc quod S. Thomas, *quodli. 1. q. 20.* vbi quærit, vtrum Monachus peccet mortaliter comedẽdo carnes: In reſpõſione dicit ſic, *Eſt conſiderandum ad quid religioſus ſe voto religionis aſtringat. Et ſi quidem vouet ſe regulam ſeruaturum, videtur ſe obligare ad ſingula quæ in regula continentur, & ſic contra quodlibet eorum agendo peccaret mortaliter.* Et infra dicit ſic, *Et ideo ſancti qui ordinem inſtituerunt ne immitterent hominibus laqueos damnationis ordinauerunt modum*

quod. 1. q. 20 an monachus peccet mortaliter edendo carnes.

profitendi quo religiosus non promittit seruare regulam sed obedientiam secundum regulam. Beatus enim Benedictus statuit monachum regulam profiteri, non quidem regulam obseruare, sed profitens promittat secundum regulam conseruationem morum suorum.

CORRVPTORIVM.

PRimum quod profitens regulam astringat se ad omnia quę in regula cõtinentur, ita quod peccat mortaliter faciendo contrarium, reprobatum est à S. Greg. & Innocentio 4. & Alexandro 4. qui exponendo regulam beati Francisci dicunt, *quod fratres per regulam non obligantur nisi ad ea quæ præceptorie vel inhibitorie sunt expressa. Ad cætera vero Euangelica consilia quæ in ea continentur, tenentur sicut cæteri Christiani, & eo magis de bono & æquo* &c. Hoc etiam patet per Apostolum ad *Gal. 5. Qui suscipit circumcisionem debitor efficitur vniuersæ legis*, & cætera quæ patent supra *contra secundam secunda scilicet vtrum religiosus peccet mortaliter transgrediendo ea quæ sunt in regula.* Et etiam baptizatus promittit se secundum Euãgelium seruaturum mandata, scilicet vt ad salutem necessaria, consilia vt expedientia & ad perfectionem perducentia. Similiter ergo cum in regulis patrũ sint quædam data per modũ præcepti & inhibitionis, quædam per modum statuti, quædã per modum monitionis, illi qui regulam profitentur non se astringunt ad omnia per modum præcepti, sed ad aliqua & ad aliqua non.

Præte-

Digitized by Google

Praeterea, quia quælibet regula est proprio professori pro lege, si patres institutores religionum voluissent profitentes regulam ad omnia obligare ad quid distinxissent regulam per capitula: quorum quædam cõtinent substantialia ipsius regulæ, scilicet paupertatem, obedientiam, castitatem, quædam continent superadditiones preceptorum & inhibitionũ, quædam vero informationes agendorum, quædam monitiones cauendorum, quædam exhortationes perfectionum, secundum quẽ modum distinxit beatus Franciscus regulam suam. Falsum est ergo quod dicit profitentes regulam obligari ad singula contenta in regula.

Secundum quod dicit, quod religiosus nõ debet profiteri regulam, sed obedientiam secũdum regulam, est contra illam *decretalem extra de regularibus* &c. *sicut patuit sup.*

Et praeterea, si sufficit promittere obedientiam, vt dicit, ergo si regula non astringit ad continendum per modum præcepti, & si prelatus per modum obedientiæ non prohibet, poterit religiosus professus per dictã formã, si non est in sacris ordinibus, ducere vxorem, quod est absurdum, oportet ergo dicere quod idem est profiteri, regulam secundũ obediẽtiam & obseruationem morum secundum regulam profiteri & econuerso, alioquin eius professio quæ profitendo obedientiam secũdum regulam & obseruationem morum secundum regulam esset rationi rectæ & iuri canonico contraria.

RES-

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM *S. Thomam.*

QValiter habeat intelligi quod vouentes regulam aliquam, vel viuere secundum regulam, vel obedientiam secundum regulá aliquam. Et ad ea quæ hic & alibi obijciuntur contra sententiam S. Thom. in hac parte, patet ex dictis *supra in responsionibus ad obiecta contra secundam secundæ articulo 76.*

ARTICVLVS VI.

Quod. 2. q. 1. vtrū Christus in triduo fuerit idē homo.

DE hoc quod S. Thom. *quodli. 2. q. 1.* vbi quærit, vtrum Christus in triduo fuerit idem homo: In responsione principali dicit sic. *Non potest dici quod corpus Christi simpliciter fuerit idē numero, quia qualibet differentia substantialis excludit idem simpliciter, animatum autem est differentia substantialis, & mori est corrumpi. Nec iterum potest dici quod sit simpliciter non idem vel aliud, quia non est secundum totam substantiam non idem aut aliud.*

CORRVPTORIVM.

HAnc positionem videtur retractasse vt dicitur, Sed quia retractatio non inuenitur scripta. Dicendum quod corpus Christi

Digitized by Google

Christi mortuum in triduo fuit idem corpus numero simpliciter, non solum propter vnitatem suppositi diuini quod solum ibi erat, sed etiam propter vnitatem formæ substantialis corporis inquantum corpus. Eadem enim est forma corporis & viui & mortui.

Ad rationem dicendum, quod animatum non est differentia substantialis corporis vt corpus est, sed inquantum viuum. Est enim aliquid vere corpus sine anima, vnde mori est corrumpi, non corporis vt corpus, sed corporis viui inquantum viuum fuit. Et Catholice est credendum & tenendum quod fuit idē simpliciter, quia eandem habuit materiam & formam substantialem vel corporalem.

Aliter dici potest ad rationem, quam insinuat, quæ sic formari potest. Differentiæ substantiales secundum Porphyrium faciunt aliud, sed animatum & inanimatum sunt differentiæ substantiales corporis secundum eundem, ergo faciunt corpus aliud & aliud, ergo corpus Christi prius animatum, & postea inanimatum est aliud & aliud, dici potest quod inanimatum dupliciter accipi potest scilicet priuatiue, & sic non est differentia constitutiua, quia priuatio nihil constituit, ergo etiam nec sic est differentia diuisiua, quia secundum Porphyrium eædem sunt differentiæ diuisiuę generum & constitutiuæ specierum. Inanimatum ergo sic acceptum priuatiue, non facit corpus Christi aliud, immo potius arguit quod sit idem numero absentia, enim certæ formæ fit in eadem secundum numerum, vbi fuit

Inanimati duplex sumptio.

fuit præsentia, sicut dicitur in prędicamentis, quod priuatio & habitus dicuntur circa idē aliquid, & hoc modo succedit inanimatum animato in corpore Christi. Alio modo accipitur inanimatum in diuisione corporis positiue, positiuam enim oportet esse differentiam quæ constituit inferius & diuidit superius, & sic acceptum inanimatum facit aliud, sic autē non accipitur in corpore Christi mortui, vel in quolibet alio.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

DIci potest quod corpus Christi viuum & mortuum est idem numero simpliciter ratione suppositi, vt dictum est supra in responsionibus ad obiecta *contra primam partem ar.* 31 Responsiones vero quas hic afferunt ad argumentum S. Tho. nihil valent, sicut patet intuenti.

Quod enim primo, affirmant quod eadem est forma substantialis viui & mortui, est contra philosophum, & contra omnem (vt creditur) veritatem.

Quod vero quasi corrigendo se dicunt de inanimato priuatiue & positiue sumpto, fictitiū est secundum philosophum & omnes eum intelligentes. Nunquam enim est priuatio formæ substantialis nisi cum positione alicuius quæ non compatitur secum præcedētem priuationem.

Quod

Quod vero dicunt, quod priuatio & habitus habent fieri circa idem, sic intelligitur secundum philosophum quod priuatio & habitus in genere accidentis habent fieri circa idem subiectum actu existens: Sed in genere substantiæ circa materiam primam quæ est ens in potentia, sicut patet per philosophum vbique.

ARTICVLVS VIII.

DE hoc quod S. Thom. *quodli. 3. q. prima*, vbi quærit, vtrum Deus facere possit quod materia sit sine forma? In responsione principali dicit, *quod hoc facere nõ potest, quia includit contradictionem, scilicet materiam esse actu, & non esse actu.* *Quodlib. 3 q. 1. an materia possit esse sine forma.*

CORRVPTORIVM.

HAEc positio non est tenenda, quia præiudicat sacramento altaris, quod patet sic. Accidens plus dependet à subiecto quam materia à forma, ergo si non potest esse materia sine forma, multo fortius non potest esse accidens sine subiecto, sed hoc est falsum, immo de facto est acci-

Digitized by Google

accidens sine subiecto, vt patet in Sacramento altaris. Maior patet primo, quia materia est substantia, accidens vero non.

Secundo, quia licet materia sustentetur per formam secundum quod forma est eius complementum, & non potest denudari ab omni forma per actionem naturæ nihilominus tamen materia sustinet formam, secundum quod forma non potest esse nisi in materia subiecta, vt dicit Commentator *super illud primi physicorum, & iam diximus quando illa sunt.* Accidens autem nihil sustentat nec materiam nec formam neque compositum, sed solum sustentatur. Vnde manifestum est quod accidens est forma maioris dependentiæ quam materia.

com. 81.

Ad hoc respondet ibidem dicens, quod accidens dependet secundum suum esse à subiecto sicut à causa sustentante ipsum. Et quia Deus potest conseruare omnes effectus causarum secundarum absque ipsis causis, ideo potest conseruare accidens sine subiecto. Sed materia secundum esse actuale dependet à forma, inquantum forma est ipse actus eius, vnde non est simile hæc est ratio eius. Sed ex hoc probatur illud quod ipse negat de materia. Cum enim omne esse sit à forma, vt dicit *philosophus 2. de anima*, & Boetius *li. de Trini.* 3. & formam constat non primam causam esse sed Deum, cum Deus (vt ipse dicit) possit producere omnes effectus causarum secundarum absque ipsis causis secundis, sequitur necessario quod Deus possit facere materiam subsistentem sine

t. com. 37.

sine omni forma, sicut hoc facit forma cum causa prima plus influit in effectum quam causa secunda, vnde dicta positio videtur fauere errori nuper condemnato, qui est, quod *Deus non potest in effectum causæ secundæ sine causa secunda.* *Auctor de causis.*

Ad illud de contradictione dicendum, quod implicare contradictionem potest intelligi dupliciter scilicet simpliciter & secundum omne tempus, vt currens non mouetur. Aut vt nunc, aut secundum cursum naturalem qui est nunc in rebus talem contradictionem implicant, hæc asina loquitur, virgo parit, mortui resurgunt. Illud vero quod primo modo implicat contradictionem, non potest Deus facere, sicut non potest sibiipsi esse contrarius. Sed illud quod implicat contradictionem secundo modo tantum scilicet vt nunc, Deus bene potest facere, quia si Deus aliter faceret, non implicaret contradictionem. Vel dicendum est quod de ratione materiæ non est solum esse in potentia simpliciter, sed esse solum in potentia secundum cursum naturæ hoc est secundum cursum modo inditum rebus; vnde esse in actu secundum potentiam supra naturam, & esse in potentia secundum cursum naturę non dicunt contradictionem.

Præterea, esse materiæ non dependet ab actu formæ, & ideo non dicit contradictionem, quia non est respectu eiusdem, sicut quod hoc sit longum respectu vnius & non respectu alterius.

Digitized by Google

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

AD ea quæ hic dicuntur, responsum est supra in responsionibus contra ea quæ obiecta sunt *contra primam partem articulo* 27.

ARTICVLVS IX.

Quod. 3. q. 31. an mundus æternus fuerit.

DE HOC quod S. Thomas *quodlib. q. 31.* vbi quærit, vtrum demonstratiue possit probari, quod mundus sit æternus: In responsione, q. dicit, *quod ea quæ simpliciter diuinæ voluntati subsunt, demonstratiue probari non possunt, quia vt dicitur primo Corinth. 2. quæ sunt Dei nemo nouit nisi spiritus Dei. Creatio autem mundi à nullo alio dependet nisi à sola voluntate Dei, vnde ea quæ ad principium mundi pertinent demonstratiue probari non possunt.* Et post pauca. *Est autem valde cauendum, ne ad ea quæ sunt fidei demonstrationes quis adducat.*

COR-

CORRVPTORIVM.

PRIMVM scilicet quod demonstratiue probari non possit mundum non esse æternum, videtur esse occasio erroris ad credendum quod fuerit æternus vel potuerit esse. Dicimus enim quod æternitas mundi improbari potest etiam demonstratiue, demonstratione scilicet per impossibile, sicut patuit supra. Et etiam aliter per vnum quod ipsi ponunt quasi principium, omne compositum est nouum, vt ponit Commentator 9. *metaphysicæ ibi & voluntas & actio*. Constat autem quod mundus est compositus maxima compositione ergo est nouus. Ratio autem sua non plus ostendit quod non potest demonstrari æternitas mundi quam æternitas animæ rationalis vel Angeli, quia nec animæ nec Angeli creatio dependet ex alia causa quam ex sola voluntate diuina. Dicendum ergo quod de his quæ soli voluntati diuinæ subiacent: contingit loqui dupliciter. Vno modo antequam fiant. Alio modo postquam facta sunt. Si primo modo, sic nihil contingit de eis demonstratiue sciri vel certitudinaliter nisi per reuelationem. Si secundo modo, sic contingit de eis multa sciri demonstratiue, quia ipsa factio eorum habet vim demonstrationis & reuelationis. Ita est de mundo, quia postquam factus est potest demonstrari nouitas eius, sed antequam fieret, nihil absolute de eo demonstrari potuit. com. 29.

Et quod dicit postea, cauendum est valde ne quis ad ea quæ sunt fidei, demonstrationes adducere præsumat, quia per hoc excellentiæ fidei derogatur. Veraciter nobis videtur per hoc quod persuasio sua plus vergat in fidei detrimentum quam promotionem, immo est contra beatum Petrum *primo cap. 3. parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea qua in vobis est spe*, sicut supra. Et cum addit, *quod derogat fidei*, eo quod veritas *fidei excellit omnem humanam rationem*. Dicendum quod veritas fidei in aliquibus articulis, non in omnibus excedit rationem humanam, quia vt S. Augustinus dicit *lib. de vera religione. Omnia illa quæ primo credimus, vel non auctoritatem secuti partim intelliguntur vt sciantur esse certissima, partim vt sic videatur fieri posse, ac sic fieri oportuisse.*

Præterea, licet excedat rationem humanam pro tempore quando fiunt, quando tamen facta sunt seipsis rationem illuminant, & eleuant ad ipsum factorem cognoscendum, vt habetur per illud ad *Rom. primo. Inuisibilia Dei per ea quæ facta, &c.* Vnde etiam S. Augustinus 4. *de Trinit.* Erit inquit *nostræ intentionis in hoc opere ea quæ credimus non probabiles tantum, verum etiam necessarias adducere rationes, & fidei nostræ documentum veritatis enodatione & explanatione condere. Credo namque sine dubio ad quorumlibet explanationem quæ necesse est esse, non modo probabilia, immo etiam necessaria argumenta non deesse, quamuis illa*

Digitized by Google

illa interim nostram contingat industriam latere.

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

AD ea quæ hic dicuntur diffuse dictum est supra in responsionibus ad obiecta *contra primam partem, articulo 6. & 7.*

FINIS.

Digitized by Google

INCIPIVNT RESPONSIONES, ÆGIDII ROMANI AD EA QVAE OBIIciuntur contra dicta S. Thomæ in quæstionibus super primum sententiarum.

ARTICVLVS I.

1. Sent. d. 3. q. 4. ar. 2. de pœnis anima.

DE hoc quod S. Thom. *di. 3. primi scripti q. 4. ar. 2.* in responsione principali dicit, *quod potentia animæ sunt accidentia consequentia speciem originata ex principijs ipsius, nihilominus tamen sunt de integritate ipsius animæ, inquantum est totum potentiale.*

CORRVPTORIVM.

HIc non video errorem, dicit tamen plane contra S. Augustinum 9. *de Trin. cap.* 10. vbi dicit, *quod hæc tria, amor, notitia & mens, quæ dicit esse potentias animæ & partes imaginis sunt in anima substantialiter*, vel (vt ita dicã) inquit essentialiter, non tanquam in subiecto, vt calor & frigus & huiusmodi.

Item

Digitized by Google

Item idem 10. *de Trin. cap. penul.* hæc inquit, *tria memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non tres vitæ sunt, sed vna vita, non tres mentes sed vna mens, nec tres substantiæ, sed vna substantia.* Et simile dicit in pluribus locis *in li. de spiritu & anima.*

Idem videtur velle Auicenna, 6. *de naturalibus, prima parte vbi dicit, quod anima est vis respectu actionum & respectu formarum sensibilium & intelligibilium quas recipit*, Et potest dici forma respectu materiæ in qua existit, ex quibus vtrisque constituitur substantia, animal & vegetabile.

Præterea in libro prædicamentorum dicitur, quod maxime proprium est substantiæ, quod eadē numero existens susceptibilis est contrariorum, hoc autem nulli accidenti conuenit, vt habetur in prædicamentis, conuenit dico secundum se, quia licet eadem superficies sit susceptibilis albi & nigri, hoc non est secundum se, vt dicit *Auicenna* 5. *metaphysica*, sed ratione substantiæ quæ substat.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

QVod autem potentiæ animæ non possunt dici sua substantia vel essentia, patet sic. Diuersi actus requirunt necessario diuersa susceptiua, verbi gratia, Videre & audire nequaquam possunt esse perfectiones eiusdem susceptiui siue eiusdem potentiæ sed ipsa essentia animæ est

Digitized by Google

proprium susceptiuum actus essendi sine ipsius esse, ergo necesse est quod aliquid aliud ab essentia animæ sit susceptiuum proprium ipsius operari, qui est actus alius ab esse siue ab actu essendi diuersus, igitur potentia qua perficitur per actum operandi necessario differt ab essentia animæ quæ perficitur per esse siue per actum essendi.

2 *Item* nihil habet potentiam actiuam nisi inquantum est ens actu. Potentia actiua igitur præsupponit esse actu, & hoc ideo est, quia ipsum esse intimius se tenet cum essentia quam potentia actiua, quoniam essentia non potest intelligi habere potentiam actiuam circumscripta esse actu. Bene autem potest intelligi quod essentia perficiatur per esse suum siue per actum essendi circumscripta potentia actiua. Si igitur potentia animæ sit idem cum essentia, multo fortius ipsum esse erit idem cum eadem, & sic essentia creaturæ erit idem cum suo esse, quod est erroneum.

3 *Adhuc* operationes animæ sunt inter se realiter diuersæ verbi gratia velle intelligere, & huiusmodi, ergo & earum principia cuiusmodi sunt potentiæ scilicet voluntas & intellectus sunt inter se realiter diuersa, & sic non potest vtraque esse idem quod essentia animæ quæcunque enim sunt eadem vni & eidem, etiam inter se sunt realiter eadem.

Sed

Sed si dicatur, quod idem sunt re, sed differunt ratione, hoc stare nõ potest, quia ex hoc quod aliqua res vna, siue natura vna sumitur sub diuersa ratione, non propter hoc est diuersæ operationis principiũ, verbi gratia, potentia visiua si sumatur in habitudine ad subiectum sub vna ratione, vel in habitudine ad obiectum sub alia ratione, non propter hoc est diuersa operationis principium, ergo similiter nec in proposito. *Soluti.* *Contra*

Si autem dicatur, q hoc nõ est ex diuersa ratione siue ex diuerso modo considerãdi quod idem realiter sit principium proximum diuersorum actuum, sed propter diuersas habitudines siue relationes quibus idem ad diuersa realiter refertur. Nec hæc quidem stare potest, quoniam relatio non est principium alicuius operationis, alioquin in relatione esset motus, quod patet esse falsum, ergo diuersitas sola relationis non potest facere operationum vel actuum diuersitatem realẽ. Multa poterunt adhuc argumenta adduci, & multa inconuenientia ex ista positione, scilicet quod potentię animæ sunt ipsa sua essentia, concludi quibus posset probari, quod qui sunt positionis illius, non sunt longi ab errore. *Solutio* *Contra.*

Quia autem dicunt, huiusmodi opinionem esse contra sententiam beati Augustini patere potest S. August. lucidus intelligenti non esse verum. Auctoritates illas quas adducunt de S. Augustino exponunt Doctores per hoc, scilicet quod S. Augustinus non intendebat q *Ad 1.*

ipsę potentiæ animæ in se consideratę, abstractiue dicantur substantiales vel ipsa substantia animæ sed concretiuè, vt videlicet notitia sumatur pro mẽte noscente vel nota, & amor pro mente amante vel amata, vbicunque ponuntur notitia & amor ab S. Augustino esse ipsa essentia animæ siue ipsi consubstantiales.

Quod autem oporteat dicto modo verba S. August. intelligere, patet, quia nequaquam in alio sensu verba eius verificari poterunt circa hanc materiam. Ait enim 11 *de tri. cap.* 4. loquens de trinitate illa quæ inuenitur in parte imaginatiua, quod ergo est ad corporis sensum aliquod corpus in loco, hoc est ad animi aciem similitudo corporis in memoria. Et quod est aspicientis visio ad eam speciem corporis ex qua sensus formatur, hoc est visio cogitantis ad imaginem corporis in memoria constitutam ex qua formatur acies animi. Et quod est intentio voluntatis ad corpus visum visionemque copulandam, vt fiat ibi quædam vnitas trium, quamuis eorum sit diuersa natura, hoc est eadem voluntatis intentio ad copulandam imaginem corporis quæ est in memoria, & visionem cogitantis, id est formam quam cœpit acies animi rediens ad memoriam, & hic quædam vnitas ex tribus non iam naturæ discretis, sed vnius eiusdemque substantiæ quia hoc totum intus est, & totum vnus animus. Et eandẽ sententiam *repetit* 15. *de Trinit. cap.* 8. Deinde ab ipso animo ab his quæ extrinsecus sunt, sata sunt velut introdu-

Digitized by Google

cta inuenta altera trinitas, vbi apparent eadem tria esse vnius substantiæ imago corporis quæ in memoria est, & inde informatio cum ad eam conuertitur animus cogitantis, & vtrunque coniungens intentio voluntatis. Ecce in verbis auctoritatis primæ species in memoria reposita, & eius similitudo in acie cogitantis expressa, dicuntur esse ipsius animus, sicuti & voluntas vtrumque coniungēs, quoniam de tribus simul ait totum intus est & totum vnus animus. Sed manifestum est quod nec species in memoria, nec etiam similitudo in acie cogitantis expressa est ipsa anima, vel ipse animus abstractiue intellectus, ergo oportet quod ista sententia S. Augustini sic intelligatur, scilicet quod illud cui species in memoria imprimitur, & illud in cuius acie eius similitudo exprimitur, ipse animus vel anima esse dicatur, vt species tam hęc quam illa non pro ipsis speciebus abstractiue, sed pro ipsa anima ipsis speciebus informata concretiue accipiatur. Igitur & in eodem contextu ipsa voluntas non quidem abstractiue accepta pro potentia sola, sed pro ipsa anima, inquantum sibi inest potentia volitiua per quam copulat illam speciem quæ est in memoria & visione cogitantis, ipse animus vel anima perhibetur per hoc quod dicitur, hoc totum intus est & vnus animus.

Quia etiam sic concretiue habeant intelligi verba S. Aug. amplius patet ex verbis secūdæ

aucto-

Digitized by Google

auctoritatis, quoniam imago corporis quæ in memoria est, & informatio cum ad eam conuertitur acies cogitantis, & vtrunque coniungit intentio voluntatis impossibile est dicere esse ipsam essentiam si abstractiue accipiantur, quoniam ipsa species in memoria accipitur ab extra, sicut patet *per S. Aug. li.* 10. *cap.* 19. *vbi* sic ait. De *ipsis imaginibus corporis intus inquit in anima eas inuenit per corpus impressa*, quod autem alicui ab extra imprimitur, *nimis fatue & absurde ipsa eius rei essentia astruitur. Informatio quoque aciei nunc adest nunc abest, & similiter intentio voluntatis, vnde vtraque operatio in genere accidentium necessario reperitur, & per consequens ipsa substantia animæ nulla ratione poterunt affirmari.* Verba igitur illa S. August. de istis sumptis concretiue habent intelligi sub hoc sensu, scilicet quod illud cui species in memoria imprimitur, & quod per eius similitudinē in acie expressam informatur, & quod per voluntatem formæ sic appræhēsæ copulatur, est vnius substantiæ prout *dicitur* 15. *de Trinit.* & totum vnus animus, prout *dicitur* 11. *capitulis* præallegatis.

Ad 2. *Illam auctoritatem* S. Augustini 10. *de Trini.* exponit magister *sententiarum* 3. *di.* sic hęc tria *dicuntur vna mens* &c. hoc est in vna mente cuius sunt vires & proprietates naturales, sicut patet per magistrum ibidem.

Quod autem dicunt de Auicenna, nihil est, licet enim Auicenna ponat eandem essentiam animæ esse radicem omnium potentiarum, quod vtique est contra barbam ipsorum, cū ponant

Digitized by Google

ponant tres animas in homine, propter hoc non ponit quod ipse potentiæ animæ sint ipsa eius essentia. Quod dicit, *anima vis est respectu actionum* &c. sic habet intelligi, quia in ipsa anima radicātur vires quæ sunt principia omnium actionum huiusmodi.

Ad vltimum quod insinuant, quod *potentia animæ deberent dici substantia quia sunt contrariorum susceptiua*. Dicendum quod ipse potentiæ abstractiue intellectæ non sunt cōtrariorum susceptiuæ sed anima potius ipsis potentijs substrata suscipit contraria, virtutes scilicet & vitia, sicut corpus subiectum quantitati suscipit album & nigrum. **Ad 3.**

Ad euidentiam eius quod prædictū est, verba S. Augustini de ipsis concretiue sumptis debere intelligi, facit ipse modus ostendendi quo probat notitiam & amorem accidentia non esse, *de Trini. cap. 4.* vbi dicit hæc non accidentaliter sed substantialiter, vel (vt ita dicam) essentialiter: non tanquam in subiecto, vt color & figura in corpore, aut aliqua alia qualitas aut quantitas. Quicquid enim tale est, non excedit subiectum in quo est. Non .n. color & figura huius corporis, potest esse & alterius corporis &c. Planum est enim quod si abstractiue accipiamus speciem intelligibilē vel actum intelligendi, seu & actum amandi non possunt suum subiectum excedere, nec notitia vel amor si sic accipiatur, alteri subiecto quam menti poterunt inhærere, non plus quam calor vel figura sua poterunt excedere subiecta. Vt ergo iste sensus efficax inueniatur,

Digitized by Google

tur, necesse est quod verba sua sic intelligantur; scilicet notitia ibi accipiatur pro mente amata. Sic enim est valida ratio sua, quod sic patet quia intelligere & amare sunt actiones immanentes in agente. Hinc est quod nullum accidens ponitur in obiectis quo trāsire intelliguntur, nullum enim accidens adijcitur auro ex hoc quod est intellectum vel amatum, sicut est de operationibus quæ trāseunt in extrinsecum, sicut patet de calefactione & dealbatione, per quas accidentia illa calefactis & dealbatis acquiruntur. Et hoc liquet quod esse intellectum non addit aliquid menti intellectæ sicut nec lapidi intellecto. Optime ergo probat S. Aug. quod notitia & amor non dicunt accidentia alia, inquantum sumuntur pro mente nota & amata. Sine dubio tamen accidentia quodammodo includunt quando sumuntur concretiue pro mente amante & noscente, quia tam actus quam potentia hæc & illa ipsi menti noscenti vel amanti vt subiecto in esse nullatenus formidatur.

ARTICVLVS II.

1. sent. d. 8. q. 3. art. 1 de animatione cœli.

DE hoc quod S. Tho. *scripto primo dis. 8. q. 3. art. 1. in solutione 3. argumenti dicit, quod primum mobile quod philosophi dicebant motum ex se est compositum ex motore & moto, & reuera videtur intelligere non de motore*

motore separato sed coniuncto qui est anima, quod patet ex hoc quod dicit motum ex se. & ita ponit cœlos animatos, vt multi philosophi posuerunt, & pene omnes.

CORRVPTORIVM.

HOc si sentit videtur plane errare, sicut & philosophi qui hoc ponunt. Contra quos Damas. *lib. 1. cap. 20. Nullus cœlos animatos existimet, inanimati enim sunt & insensibiles.*

Item hoc est contra Rabbi Moysen, qui dicit. *Si cœlum ab anima moueretur, aliquando quiesceret*, cuius contrarium videmus.

Item si cœli essent animati, cũ corpora eorum sint nobiliora nostris, similiter & animæ vt videtur, & per consequens cœlum esset nobilius homine, & ita cũ nobilius non sit propter ignobilius, non essent corpora cœlestia creata propter hominis seruitium. Cuius cõtrarium habetur *Deut. 4. Ne eleuatis oculis ad cœlum videas solem & lunam &c. quæ creauit Deus in ministerium cunctis gentibus.*

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

QValiter S. Tho. senserit de animatione cœli, & qualiter cum beato Aug. in verbis concordauerit, ostensum est supra in responsionibus ad obiecta, *contra quæstiones disputatas, articulo 13.*

ARTI-

ARTICVLVS III.

1. sent. d. 8. art. 1 de motu.

DE hoc quod S. Thomas *scripto primo dist 8. q. 3. art. 1. in responsione 3. argumenti dicit*, quod *primus motus est causa omnis motus corporalis*, *eo quod omnis motus corporalis ordinatur ad motum* cœli localem.

CORRVPTORIVM.

1. HOc videtur minus Catholicæ dictum: Primo quia post iudicium secundum fidem Catholicam & doctrinam sanctorum cessabit motus cœli, & tamen in inferno *transibunt de aquis niuium ad calorem nimium*, vt habetur *Iob. 24.* vbi autem transitus corporum, ibi motus corporales.

2. *Secundo*, quia post iudicium statim erit corpus beati vbi voluerit spiritus eius. Exemplu & probationem huius habemus in Christo post resurrectionem, cuius cóstat motus corporalis causa non fuit motus cœli.

3. *Tertio*, quia credimus motum resurrectionis corporum de puluere terræ ad resumptionem animarum, cuius causa nó est motus cœli, nec ad motum cœli ordinatur.

4. *Quarto*, quia motus animalis & hominis progressiuus est motus corporalis, cuius causa non est motus cœli sed appetitus.

Quinto,

Digitized by Google

Quinto, quia hoc est contra S. Aug. 9. *confess.* qui vult quod cessante motu cœli, adhuc posset rota figuli moueri, & sermo distinctus per syllabas longas & breues proferri, vbi sic dicit, *an non cessarent cœli lumina, moueretur rota figuli, non esset tempus, aut essent in verbis nostra syllabæ, aliæ longæ aliæ breues, nisi quia illæ longiori tempore sonuissent, illæ breuiori.*

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

QVia omnis motus corporalis ordinetur ad motum cœli localem, patet per *philosophum 8. physicorum*, nec hoc in aliquo fidei derogat.

Quod autem obijciunt de aquis niuium &c. dici potest quod motus ille non est naturalis qualis est ille de quo loquuntur philosophi, sed sumitur ibi transitus pro immutatione, secūdum quod sensus damnatorum à speciebus frigoris & caloris multipliciter cruciantur. Quod si quis motus ac localis transitus debeat ibi poni in principium supernaturale vel voluntarium debet reduci, ita quod naturalis non debeat proprie dici, igitur motus corporum glorificatorum debet dici, supernaturalis, inquantum consequuntur ad actum voluntatis. Motus quoque vel mutatio quæ erit in resurrectione corporū, multo amplius in principium supernaturale reducitur sicut patet.

Digitized by Google

Quod tandem de S. Augustino dicunt, quod cessante motu cœli &c. verum est, quia per aliquem motorem libere ac voluntarie agentem bene localiter mouetur, sed non naturaliter, ita quod motus ille in principium quod est natura, possit reduci, & quod intelligat de tali motu qui procedit à principio voluntario, innuit per hoc quod subdit de sermone distincto per syllabas longas & breues, huiusmodi enim motus locutionum reducitur in principium voluntarium.

ARTICVLVS IV.

1. sent. d. 8. q. 5. art. 2.

DE hoc quod S. Th. dicit 8. *scripto di. 8. q. 5 art. 2.* in responsione 1. argumenti, *quod anima non ponitur ex aliquibus quæ sint partes quidditatis eius, sicut nec qualibet alia forma.*

CORRVPTORIVM.

1. HOc est contra S. Aug. 7 *super Gen. ad litteram,* ante finem parum, vbi dicit, *quod anima primi hominis facta fuerit ex materia spirituali, quæ quidem formationem suam præcessit, non tempore sed origine, sicut vox cantum;* & alia multa sunt contra hæc quæ dicta sunt supra.

2. *Ad argumentum* in contrarium respondeo quod est tale. *In 2. de anima dicitur*, quod anima

Digitized by Google

ma est actus corporis & ibidem dicitur, quod forma nec est materia nec compositum.

Responsio, argumẽti non ostendit, nisi quod anima non est compositum nec illud cuius est forma, & hoc est verum, quia non est corpus.

Secundo omne compositum habet esse ex suis principijs componentibus, si igitur sit cõposita tunc ipsa in se habet aliquod esse quod nunquã remouetur ab ea, cũ sit immortalis. 5.

Præterea ex coniunctione corporis & animæ relinquitur quoddam esse quod est esse ꝗ est esse hominis, ergo in homine est duplex esse, scilicet esse animæ & esse compositi, quod videtur impossibile, cum vnius rei sit tantum vnum esse.

Respondeo dicendum, quod hoc argumentum ita est cõtra ipsum, qui ponit animã immaterialem, sicut contra eos qui ponunt eam compositam, quia tam ipsa quam illi ponunt eam existentem quando est separata, & ita semper quando est coniuncta habet duplex esse, scil. esse animæ & esse coniuncti secundũ hanc viã.

Ad argumentum tamẽ dicimus, quod esse cõpositi est esse duarum rerum & non vnius, & hoc non est inconueniẽs, quia duorum sunt duo esse.

Tertio, omnis compositio quæ aduenit alicui post suum esse completum est ei accidentalis, si ergo anima est composita ex suis principijs habens esse perfectum, compositio eius cum corpore erit ei accidentalis, sed cõpositio accidentalis terminatur ad esse vnum per accidens, ergo ex anima & corpore nõ efficitur vnum nisi per accidens. 4.

Respondeo sicut prius, hæc ratio est contra ipsum, qui ponit animam simplicem formam per se subsistentem & habentem esse naturæ suæ perfectum, ergo accidentalis erit compositio secundum hoc.

Ad argumentum dicimus aliter, quod cum dicit animam habere esse perfectum antequam coniungatur corpori hoc esse falsum, quia enim anima apta nata est esse corporis perfectio, non habet perfectum naturæ suæ modum, nisi quando habet corpus sibi coniunctum, corpus inquam non animale sed spirituale in tanta facultate sibi obediens, vt sit sibi gloriæ, quod prius fuit sarcinæ, vt habetur 21. *super Gen.* in fine. Ita etiam modo nó haberet esse perfectum suæ naturæ nisi vnita esset corpori animali, id est quod facit animale.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S.Thomam.

QValiter anima intellectiua sicut & Angelus sit natura simplex, nec est cópostita ex materia & forma, multis rationibus & authoritatibus poterit probari, vt patuit supra in responsionibus ad obiecta *contra primam partem articulo* 9.

Ad 1. Auctoritates auté S. Aug. quod hic & alibi pro se adducút, nihil facit pro eis si ex integro recipiatur, immo inuenietur quod S. August. imponunt quæ non habentur ab eo, patet per verba sua *super Gen.* 7. *cap.* 15. vbi sic ait. *Frustra iā quæritur, ex qua veluti materia facta sit anima,*

anima, sed intelligi recte potest in primis illis operibus facta, cum factus est dies. Sicut enim illa qua non erant facta sunt, & hęc *inter illa*. Quia si materies alia formabilis fuit & corporalis & spiritualis, non tamen in ipsa instituta nisi à Deo à quo sunt omnia, quæ quidem formationem suam non tempore sed origine precederet sicut vox cantum, quid enim de materia spirituali facta anima creditur. Ecce non asserit ex aliqua materia fieri, sed si fiat ex aliqua materia, fieri congruentius creditur ex spirituali. Quid autem sentiat de hoc secundum veritatem, explicat infra *cap. 27. scilicet vltimo eiusdem libri*: vbi sic dicit. *Nunc etenim de anima quam inspirauit homini Deus sufflando in eius faciem, nihil confirmo nisi quod ex Deo sic est, vt non sit substantia Dei sed sit incorporea, id est non sit corpus sed spiritus, non de substantia Dei procedens, sed factus à Deo, non ita factus à Deo vt in eius naturam natura vlla corporis vel irrationalis animæ verteretur, ac per hoc de nihilo* &c. Sed si de lo, ergo nec de materia corporali nec spiritua- nihili, vnde nihil valet quod pro se adducunt illud quod dicit S. Augustinus inquirẽdo sub conditione. Hoc autem pro nobis est quod anima de nihilo, & per consequens de nulla materia hoc asserit & confirmat, sicut patet per verba sua inspicientibus præallegata. *S. Aug.*

Responsio vero quam afferunt ad primam rationem S. Thomæ nihil valet. Planum est *Ad 1.*

est enim quod philosophus distinguit substã-tiam in materiam, formam, & compositũ verisimiliter sicut patet ex verbis eius. Dicamus igitur genus vnum quoddam genus eorum quæ sunt substantia. Huius autem aliud quidem sicut materiam quæ secundum se quidem non est hoc aliquid. Aliud autem sicut formam & speciem, secundum quam dicitur iam hoc aliquid, & tertiam quæ ex his. Ex quo patet quod omnis forma distinguitur contra compositum. Non igitur erit verũ dicere de forma quacunque quod non erit hoc compositum, sed quod est nullum compositũ. Illa enim quæ condiuidunt aliquod vnum per se, & non per accidens, sic se habent quod vnum non solum in particulari, sed etiam in vniuersali necessario remouetur, verbi gratia cũ dicitur. Animalium aliud homo, aliud Asinus. Cũ igitur materia, forma & compositũ nõ per accidens sed per substantiã condiuidant sicut patet, necesse est hæc ab inuicem vniuersaliter remoueri, ita scilicet quod nulla materia sit forma vel compositum, & nulla forma materia vel compositum & nullum compositum materia nec forma. Cum igitur Philosophus istam diuisionem faciat, vt declaret animam esse formam, nulli dubium quin sequatur secundum ipsum demonstratiue animam non esse compositam, non vt intelligatur non esse hoc compositum, sed nullũ. Potest enim sic formari. Nullum compositum est forma, omnis autem anima rationalis est forma, ergo nulla anima rationalis est compositum, neces-

Digitized by Google

se est ergo ab anima ex quo forma est, materiã & compositum vniuersaliter remoueri.

Quod autem dicunt ad secundum argumentum, est irrationabiliter dictum. In primis.n. cum dicunt illam rationem esse contrariã S. Th. falsum dicunt. Ipse enim non ponit quod ipsa forma animæ recipiat quoddã esse in sua materia spirituali quam ipsi fingunt, tunc .n. sequeretur, quod cum aliud esse quoddã proueniret ex coniunctione animæ & corporis, q duo essent in eodem. Ipse autem ponit, quod ipsa anima accipit esse primo in ipso corpore, tanquam in propria materia cuius est forma, vnde ponit quod anima & corpus vnum esse constituunt, siue vniuntur in vnũ esse. Quod autẽ dicunt respondendo ad prædictã rationẽ quod omne esse compositi est esse duorũ, non rei vnius, hoc falsum est, quoniam compositũ est res vna. Ex materia & forma etenim fit vere vnum, ergo oportet quod habeat vnum esse. Vna enim potentia non potest perfici per duplicem actum sed quidditas rei compositæ ex materia & forma est propria potẽtia huius actus, scilicet esse igitur impossibile est quod rei cuius quidditas est vna sint duo esse.

Quod etiam dicunt, tertiam rationem esse cõtra S. Thomam non continet veritatem. Ratio enim probat, quod si ipsa forma animę acciperet esse completum suæ naturæ in materia illa spirituali sibi connaturali, prout ipsi fingunt, tunc necessario sequeretur, quod ei⁹ cõpositio cũ corpore esset accidẽtalis. Sed secũdũ viã S. Th. hoc nõ sequitur, cũ ipse ponat ani-

Digitized by Google

animam quæ forma simplex est, suum esse completum recipere in corpore tanquam in materia propria quam perficit, vnde vnio cũ corpore est secundum eum in vno esse substantiali.

Quod autem dicunt S. Thomam dicere animam habere esse perfectum antequam corpori vniatur: ex dictis patet esse falsum. Ponit enim animam in corpore suum esse completum accipere, quod tamen eam ponit retinere à corpore separatam, ita tamen quod semper ad corpus habet naturalem inclinationem propter perfectiorem modum essendi quem habet corpori coniuncta quam à corpore separata.

ARTICVLVS V.

DE hoc quod S. Thomas dicit ibidem in solutione *secundi argumenti, quod coniunctũ non habet aliud esse quam esse formæ.* Item in responsione 3. *argumenti addit, quod per coniunctionem animæ cum corpore non efficitur aliquod aliud esse sed esse quod est anima per se efficitur coniuncti, ita quod coniunctum non habet aliud esse quam esse* formæ. Idem dicit *di.* 15. *q. vltima* in responsione principali.

Digitized by Google

CORRVPTORIVM.

ILLVD dictum oritur ex duplici errore, quorum vnus est, quod vna forma substantialis est in coniuncto; quæ cum materia prima cui immediate sine alia præuia dispositione coniungitur facit compositum.

Secundus est, quod materia talis scilicet prima non habet esse, nec potest habere nisi per formam, & ambo errores à magistris sunt reprobati. Dico ergo quod sicut compositum ex anima & corpore est aliud ens quam alterum quodlibet componentium. Ita etiam & esse compositi est aliud quam esse formæ, esse enim est proprius actus entis, ita quod quodlibet ens habet suum esse. Cum ergo corpus ante animæ infusionem habeat esse, manifestum est quod totum esse corporis in composito non est animæ alioquin corpus post separationem penitus desineret esse sicut accidentia, quæ non habent aliud esse quam esse suorum subiectorum, & ideo quando amittunt esse subiecti, amittunt penitus esse, nisi sustentententur per miraculum, vt in sacramento altaris.

RESPONSIO AD HAEC SECUNDUM S. THOMAM.

QVALITER vnum est esse compositi ex anima & corpore, patet ex dictis supra art. primo, & in responsionibus ab obiecta contra *primam*

mam secunda ar. 4. qualiter etiam ponere vnitatem formæ simpliciter materiam sine forma esse non posse, ex dictis satis patet dici erroneum non debere.

Ad argumentum quo nituntur ostendere, quod corpus habet esse in homine aliud ab esse anima quod ipsi corpori communicatur. Dicendum quod corpus ante infusionem animæ habet esse à forma quadam quæ in aduentu animæ corrumpitur, propter quod esse quod à tali forma habuit non remanet; & post separationem noua forma inducitur à qua aliud esse communicatur.

Quod autem dicunt, quod ex hoc sequitur quod corpus deberet penitus desinere esse ad modum accidentium, manifestum est quod non sequitur Accidentia.n. quæ sunt indignātis naturæ perimi possunt, non mutari secundum Boetium. Corpus autem physicum mobile est & mutari potest, vnde corpus viuum in morte non annihilatur: sed in corpus mortuum noua forma substantialis inducitur, & per consequens actu essendi nouo naturaliter permutatur.

ARTICVLVS VI.

Ibidem impossibile est animā iugnari quam infundi.

DE hoc quod S. Thomas *dicit ibidem in responsione vltimi argumenti, animam indiuiduari per corpus & ex corpore, & quod impossibile est animam prius creari quam infundi.*

COR-

CORRVPTORIVM.

SEcundo dictum videtur plane derogare fidei, quæ dicit Deum omnipotentem. Cum enim animæ creatio nec sit nec esse possit ab alio quam à Deo, dicere animam prius non posse creari quam infundi, non est aliud dicere, nisi quod Deus non potest eam prius creare quam infundat. Sicut secundum Ansel. mundum non posse creari, nihil aliud est quam Deum non posse mundum creare. ergo non esset omnipotens. 1.

Item hoc est contra S. Augustinum 7. super Gen. 24. Certe inquit *humanæ opinioni tolerabilius videtur Deum in primis operibus (qui simul creauit omnia) animam etiam humanam creasse quam suo tempore membris ex limo formati corporis inspirare.* 2.

Item indiuiduationem animę fieri per corpus, videtur esse falsum & occasio errandi, quia sequitur ex hoc quod vel anima post separationem à corpore desinat esse, vel saltem quod post mortem hominum erit vnus intellectus tantum vel anima. Si enim coniunctio cum corporibus facit distinctionem & indiuiduationem animarum, sequitur quod separatio faciet vnitatem. 3.

Item arguitur sic, aut corpus est tota causa indiuiduationis animæ aut pars causæ aut concausa. Si tota causa, ergo ipso posito ponitur effectus scilicet indiuiduatio, & ipso remoto remouetur effectus, ergo post mortem non esset indiuiduatio animarum, sed 4.

vna

vna tantum vel vnus intellectus: quod erat
3. de anima com. 5. error Auer. Si vero corpus est concausa indiuiduationis, tunc quæro quæ est illa pars quæ est concausa cum illo, non est dare nisi materiam animæ, sicut & ipsi dant in alijs formis, ergo anima habet materiam spiritualem per quam indiuiduatur. Si autem dicas, non indiuiduatur per materiam sed per corpus & accidentia, aut hæc accidentia causantur ex coniunctione animæ cum corpore, aut ex coniunctione materiæ spiritualis ipsius animæ & eius forma, quia materia & forma sunt causa omnium accidentium quæ sunt &
1. com. 80. fiunt in ea, vt habetur primo physicorum. Si primo modo, ergo cum accidentia non maneant facta separatione animæ à corpore, non maneret animæ indiuiduatio, ergo nec ipsa maneret. Si secundo modo, tunc habeo propositum scilicet quod non indiuiduatur per corpus suum.

com 2. 5. *Item Commen. super 4. metaphysica* dicit quod substantia vniuscuiusque per quam est vnum: est suum esse.

com. 4. *Idem super 10. metaphysica quod est principium esse*, est principium numeri, & quod est principium essendi. Cum ergo anima non habeat esse per corpus, quod planum est, sequitur quod anima non habeat vnitatem & principium numerationis, siue indiuiduationis à corpore.

RESPON-

Digitized by Google

RESPONSIO AD HAEC SECVNdum S. Thomam.

ANIMAM per corpus numerari aut indiuiduari per corporum diuersitatem, & qualiter hoc debeat intelligi, declaratum est supra in responsione ab obiecta contra primam *partem, articulo* 8. *&* 11. quibus intelle- Ad 1.
ctis ea quoque quę hic obijciuntur contra hęc facile dissoluuntur.

Quod dicunt in primis fidei derogare, scilicet quod impossibile est animam prius creari quã infundi, non dicunt verum.

Ad argumentum vero per quod hoc probant dicendum, quod multa sũt impossibilia naturæ, quæ non sunt impossibilia Deo. Quãuis igitur ipsi animæ ratione suæ naturæ repugnet prius esse quam corpori vniri: ratione cuius S. Thomas dicit hoc esse impossibile, posset tamen alium essendi ordinem Deus animæ tribuere, vt non solum ante corpus, sed etiam semper ad modum Angeli sine corpore existeret, licet forsan tũc anima proprie dici non posset.

Ad illud quod de S. Augustino adducunt di- Ad 2.
cendum, quod Augustinus dicit sic de anima primi hominis inquirendo, non afferendo. Vnde in fine illius inquisitionis *cap. vltimo* 7. *super Gen.* sic concludit. *Enumeratis quibusdam quibus pro certo adhæret*, scilicet *quod anima sit de nihilo, & sit immortalis secundum quendam vitæ suæ modum*. Subdit. *Cætera quæ in hoc libro disputando*

sputando locutus sum, ad hoc valeant legenti, vt aduerterit quemadmodum sine affirmandi temeritate tenenda sunt, quæ non aperte scriptura loquitur. Aut si ei quærendi modus iste non placet, quemadmodum ipse quæsiui, sciat si me potest docere, non abnuat; si autem me non potest docere, à quo ambo discamus mecum requirat. Vtinam isti alij exemplo S. Augustini sic humiliter æstimationes suas, pro quibus nunc rationes, nunc auctoritates (nisi secundum quandam apparentiam) proferre studuissent.

Ad 3. *Rationes vero quas* adducunt contra animæ

Ad 4. indiuiduationem solutæ sunt supra dictum

Ad 5. Commen. *super 4. & 10 metaphysica*, nihil facit pro eis, quia Commen. (sicut patet in fine commenti) intelligit de principio essendi & numeri effectiuo. Et intendit quod cum hoc fuerit inuentum, scilicet quod idem est principium esse numeri, quod declaratum est in philosophicis, scilicet hoc esse primum motorem æternum, declarabitur quod illud est vnum de quo declaratum fuit hoc quod est principium substantiæ. Et quod concedendum est, quod Deus ipse est principium effectiuum animæ tam quo ad esse quam etiam quoad numerationem, nihilominus tamen corpus ad hoc requiritur tanquam principium vel causa materialis.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS VII.

DE hoc quod dicit S. Thomas, *ibidem art. vlt. in responsione principali, quod nulli substantia simplici debetur locus nisi secundum relationem quam habet ad corpus, anima autem comparatur ad corpus vt forma eius*. Simile parti primæ huius positionis dicitur infra *di. 15. q. vlt. in responsione argumenti tertij*.

CORRVPTORIVM.

HOc quod hic primo dicitur cũ illo articulo supra, quod anima non sit composita ex materia spirituali & forma, potest esse occasio erroris in putando quod animæ separatę à corporibus nunquam sint scilicet neque in cælo neque in purgatorio, quod est contra fidem & contra Damas. *lib. 2. cap. 3.* vbi dicit. *Ita Angeli circumscriptibiles sunt. Cum enim sunt in calo non sunt in terra, & cum à Deo ad terram mittuntur non remanent in calo*.

Item contra philosophum *primo de calo & mundo*, vbi ait, *quod omnes homines conueniunt in hoc, quod hoc corpus primum gloriosum est locus spirituum, qua vulgariter dicuntur Angeli. Si autem Angeli sunt in loco, eadem ratione, vel fortiori anima separata*. *t. com. 22.*

RESPONSIO AD HAEC SECVNDVM S. Thomam.

QVo modo Angeli sint in loco, & quomodo ea quæ hic ponũtur facile dissoluantur, sufficienter patet supra in responsionibus ad obiecta, *contra primam partem art. 16.*

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

1. d. 11. a. 3. de spiratione spiritus sancti.

DE hoc quod S. Thomas *scripto primo dist. 11. art. 3.* in responsione principali dicit, quod *pater & filius virtute vnius essentiæ spirant spiritum sanctum vnica spiratione, & ideo qui spiratur est simplex.*

CORRVPTORIVM.

HOc dictum excusat quidam. Dicit enim Dam. *lib. primo cap.* 8. *Generatio* inquit *sine principio est & æterna: naturæ opus existens.* Certe si generatio est opus naturæ, & spiratio, quia ergo non dixit quod spirant inquantum communicant virtutem vnius naturæ sed tantum virtute vnius naturæ principandi spiritum sanctum vel spirandi, qui si sic tunc spiritussanctus spiraret se ipsum cum eadem virtus naturæ sit in ipso. Sed intendit dicere, quod pater & filius habentes naturæ vnius virtutem spirandi spirant spiritum sanctum. Et sic videtur loqui Ansel. *de processione spiritussancti. cap. 7. Ex eo* inquit *quod pater & filius vnum sunt, ideo ex Deo est spiritussanctus; non ex eo vnum alij sunt.* Et libro *eodem. cap. 6. dicit.* quod *spiritussanctus ex Dei essentia est.*

Item in Monolog. 14: Spiritussanctus procedit, non ex eo in quo plures sunt pater & filius: sed ex

Deo

Deo in quo vnum sunt plures. Alia enim est relatio patris, alia filij, alia spiritussancti. Sed ex ipsa sua essentia quæ pluralitatem non admittit, emittunt pater & filius pariter tantum bonum.

Item 27. di. pater & filius non faciunt neque gignunt, sed quodammodo (si sic dici potest) spirant suum amorem, quamuis non modo nostro spiret summa incommutabilisque essentia.

Item philosophus primo rhetorica sua dicit, quod natura fiunt quorum causa est in ipsis & ordinata, quia ergo in patre & filio est causa, vel potius principium spirandi spiritum sanctum: potest dici sic large, quod virtute vnius naturæ inquantum sunt vnum in natura virtuosa vel essentia secundum Anselm. spirant spiritum sanctum. Alijs videtur, quod dicta positio non sit recipienda, nam per ij *virtute vnius naturæ* notatur ratio principandi. Cum igitur eadem virtus & natura sunt in spiritumsancto, spiritussanctus spiraret seipsum, quod est erroneum.

Præterea vt dicit Richar. *6. de trini. generatio est productio existentis de existentia secundum operationem naturæ.* Si igitur spiratio sit virtute naturę & operatione naturæ, spiratio erit generatio.

Præterea licet sit vna natura in patre & filio, non tamen natura est immediatum principium spirandi & principale, sed vis communis spiratiua, ita quod non virtute vnius naturæ sed virtute communis vis spiratiue spirant spiritumsanctum. Rr *Item*

5. *Item 5. de trinit. cap. 14. Exit spiritussanctus à patre, non quo modo natus, sed quo modo datus,* spirari autem virtute naturæ non est exire quo modo datus sed potius quo modo natus. Quia vt dicitur. 4. *metaphysica natura est generare sibi simile*, spirare autem non videtur naturæ sed voluntatis animatiuæ ergo, &c.

6. *Item idem* Richar. *6. de trini. cap. 8. Nihil itaque in diuinis est iuxta donum largientis gratia, sed iuxta proprietatem largientis natura*, sed *proprietas natura* exigit, quod voluntas & vis spiret non natura tantum, sed potius quod generet, ergo, &c.

t. com. 2.

RESPONSIO AD HAEC SECVNDUM S. Thomam.

POTENTIA spiratiua sicut & potentia generatiua essentiam quidem diuinam dicunt in recto, licet notionem importent in obliquo, & ideo satis congrue dicitur, immo verissime quod pater & filius virtute vnius naturæ spirant spiritum sanctum, quam ipsa natura diuina quæ vna est cum ipsa virtute vel potentia sparatiua. Quod autẽ contra hoc obijciunt friuolum est & vanum

Ad 1. *Ad primum ergo dicendum*, quod ratio principiandi spiritum sanctũ est ipsa diuina essentia vel natura, licet principians sit persona patris & filij. Et hoc tamen non sequitur quod spiritussanctus spiret seipsum, eo quod in ipsa eadem

eadem natura inueniatur, quod patet. Natura enim quæ est ipsa essentia diuina: est ratio principiandi filium, & ipsa eadem communicatur filio non tamen sequitur quod filius producat seipsum, quamuis enim eadem natura sit in patre & in filio, non tamen habet eandem rationem principiandi in vtroque, quia videlicet non est in vtroque eodem modo. Sic omnino est intelligendum de natura diuina quę in patre & filio habet ratione͂ principiandi spiritum sanctum. In spiritusancto vero in quo est alio modo rationem istam non habet, vt scilicet sit principium semetipsum vel persona͂ aliam produce͂di. Et ad hoc quod dictum est approbandum, faciunt per omnia auctoritates quas primo adducunt.

Quod vero subdunt pro alijs videtur, quod prædicta positio non sit recipienda. Dicendu͂ nobis de visu vel æstimatione talium dictis Anselmi præallegatis contradicentium vel forsan ipsa non intelligentium non est curandum.

Ad primum vero *quod illi adducunt*, dictum est supra in responsione primi argumenti illius articuli.

Ad secundum dicendu͂, quod secundu͂ Richar. generatio quidem est productio existentis de existente secundum operationem naturæ vt natura est, sed spiratio est virtute naturæ: non tamen per modum naturæ sed per modu͂ voluntatis, inquantum, s. ipsa natura diuina eius voluntas est, sicut essentia diuina est ipsi Deo ratio essendi inquantum essentia. Et ipsa eade͂ *Ad 2.*

 essen-

Digitized by Google

essentia est ipsi Deo ratio intelligendi, inquãtum intellectus & ratio volendi inquantum voluntas est. Licet autem voluntas & natura non differant nisi secundum rationem, tamen emanationes duæ quarum vnius ipsa diuina essentia est principium vt natura est, & alterius vt voluntas est sunt diuersæ quod vtique contingit quod ipsa essentia diuina quæ vna est & eadẽ, penitus est principium intellectionis quæ ad verbum expressius terminatur & principium dilectionis siue actus voluntatis, qui in nexu quodam seu copula consumatur, quod & amor procedens seu ipse spiritussanctus procedens intelligitur, prout alibi ex dictis S. Tho. euidentius declarabitur.

Ad 3. *Ad tertium dicendum*, quod hoc quod dicunt, quod natura non est immediatum & principale principium spirandi, sed vis spiratiua includit contradictoria, quia vis spiratiua est ipsa natura diuina, licet in ipsa vt spiratiua importetur notio in obliquo.

Ad 4. *Per idem patet ad quartum*, dicere enim quod non spirent virtute vnius naturæ & quod spirent virtute vis communis spiratiuæ ex proximo dictis liquet contradictoria implicare.

Ad 5. *Ad quintum dicendum*, quod *spiritussanctus dicitur non exire quomodo datus*, &c. quia procedit per modum voluntatis, tamen non sequitur quin natura siue essentia diuina inquantũ est ipsa sua voluntas sit principium formale quo spiritussanctus à patre & filio procedit.

Ad sex-

Ad sextum dicendum, quod auctoritas Rich. omnino est pro S. Thoma. Si enim nihil est in diuinis iuxta donum largientis gratiæ, sed totum iuxta proprietatem largientis naturæ, manifestum est quod ex plenitudine perfectionis illius naturæ prouenit, quod ipsa natura sit principium generationis filij & natura voluntas principium professionis spiritussancti. Ad 6.

Quod tandem ipsi dicunt de suo, quod proprietas naturæ exigit quod voluntas vt vis spiratiua spiret, falsum est & erroneum plane. Voluntas enim non spirat sicut nec essentia, nec per consequens vis spiratiua quæ est ipsamet essentia cũ notione in obliquo intellecta. Sed persona patris & persona filij, in quibus communiter ipsa voluntas ac potentia spiratiua reperitur. Discant ergo cautius in hac materia loqui, ne nouam inducant doctrinã, prophanam vtique & erroneam, quia scilicet ipsa natura diuina vel essentia debeat dici producere vel spirare. Ex quo sequitur cum nihil seipsum in esse producat, diuinam essentiam plurificari, quod dicere nullus dubitat manifestam hæresim affirmare.

ARTICVLVS IX.

DE hoc quod S. Th. *in scripto 1. dis. 16. q. 1. ar. 3.* in responsione principali dicit, *animam habentem meliora naturalia, dum tamen sit par conatus plus recipere de gratia & de perfectionibus infusis.*

CORRVPTORIVM.

LIcet hoc videtur posse dupliciter intelligi, vel ita quod gratia & perfectiones infusæ per illam sint quidem plus & melius in essentia sua vt à Deo infunduntur, quia gratia & perfectiones infusę habenti minus bona naturalia, hoc putamus esse falsum & errori propinquum, quia secundum hoc gratia quodammodo non esset gratia ad Ro. 11. & qui plus laboraret non plus reciperet. Magis enim est consonū gratiæ & iustitiæ quod habens minus bona naturalia, si par sit conatus in eo respectu illius qui meliora habet quod plus de gratia accipiat, quia plus secūdum vires suas laborat, & plus se ad gratiam disponit, sicut plus misit vidua quæ misit quadrantem, quam diuites qui iactabant multa. Et multo fortius illi multa mittendo quam si iactassent quadrantem. Sic etiam credo, quod homo debilis & passibilis ieiunando, vigilando, peregrinando, vel alijs laborando, plus se disponit ad gratiam & plus ętiam recipiet quam fortis quasi gigas ęqualia faciendo. Vel potest intelligi ita quod gratia & perfectiones infusę habenti meliora naturalia cum pari conatu sunt maioris efficaciæ inquantum in illo recipiūtur, licet in se & secundum se sint æquales, sic est verum quod dicitur. Nam si homini naturaliter impio vel crudeli, & alteri naturaliter pio & miti æqualiter conantibus pro gratia habenda gratia infundatur ille pius plus habilitat ad opus bonum vt ad proximum diligēdum

Mat. 12.
Luca 21.

Digitized by Google

dum & Deum quam impius sicut idē radius plus illuminat minus obscurum & minus densum quam magis obscurū. Et si sint duo milites æque fortes, ille qui habet meliorem equum plus potest in bello. Habet autē se gratia secundum S. Aug. ad liberum arbitri sicut sessor ad equum. Et ęqualis ignis plus inflammat lignum siccum & pingue, quam lignum madefactum & viride.

RESPONSIO AD HAEC SEcundum S. Thomam.

QValiter habeat intelligi quod habēs meliora naturalia recipiat plus de gratia, patet ex dictis in respōsionibus ad obiecta contra primam partem, quibus visis ea quæ hic dicuntur in nullo fore contra sententiam S. Tho. euidentius conuincuntur, quia & ipsa verba S. Tho. satis expresse procedunt si intelligantur. Hoc enim sciendum, quod ad omnia quæ isti contra S. Th. à principio adduxerūt, facillime per eius verba veritate plena poterit responderi, pro aliquibus tamen habendo omnia scripta eiusdem quæ isti (vt ex processu eorum euidentius liquet) nixi sunt deprauare, nulli dubium facultatem deesse, quorum forsan manibus ista eorum deprauatio deuenire continget, nunc verba eius, nunc sententiā (prout capere potuimus) articulis singulis curauimus ad omnia respondendo, secūdum nostrū modulum applicare volentes, ad altius sapientibus occasionem lucidus respondendi, & illius

Digitized by Google

laudem attollendi vberius præbere, quæ doctorem istum sapientiæ radio illustrare, & super Ecclesiæ candelabrum, pro orbis terrarum instructione, dignatus est sua clementia exaltare. Cui laus honor & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

FINIT.

Correctorium Corruptorij editum à venerabili Domino AEgidio de Roma ordinis Eremitarum S. Augustini Archiepiscopo Bituricen. contra & aduersus quosdam æmulos doctrinæ S. Th. de Aquino ordinis prędicatorum.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON *1893*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C
64

Digitized by Google